

BIBLIOTHECA
FF. PRÆDICATORUM
CONVENTUS
CIVIT. BENITIÆ
Lit. 254 L
Pl.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

ROSA AUREA.

DE

SACRATISSIMO B. MARIAE V. ROSARIO

EIUSQUE

VENERABILI CONFRATERNITATE

DEQUE ROSARIO TUM PERPETUO TUM VIVENTE

AUCTORE

P. FR. THOMA MARIA LEIKES

ORDINIS PRAEDICATORUM
PROMOTORE SS. ROSARII PROVINCIAE TEUTONIAE.

CUM APPROBATIONE SUPERIORUM.

DÜLMEN IN GUESTFALIA
SUMPTIBUS A. LAUMANNI (FR. SCHNELL)
1886

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

Approbatio.

Iussu Adm. R. P. F. Augustini M. Keller, Vicarii Generalis Provinciae Teutoniae, diligenter perlegimus opus, cui titulus „Rosa Aurea“ auctore R. P. F. Thoma M. Leikes, Ordinis Praedicatorum; nihilque, quominus in lucem edatur, obstare censemus, imo illud usui praecipue Rectorum Ss. Rosarii Sodalitatum valde accomodatum esse iudicamus.

Venlonae, die 10. Maii 1886.

Fr. Antoninus Krautwig, Ord. Praed. Lib. Cens.
Fr. Iosephus M. Keller, Ord. Praed. S. Th. L.

Opus, cui titulus „Rosa Aurea“, a R. P. Fr. Thoma M. Leikes conscriptum et a duobus Patribus Ordinis nostri approbatum imprimi permittimus.

Fr. Augustinus M. Keller, S. Th. L., Vicarius Generalis Provinciae Teutoniae, Ordinis Praedicatorum.

Datum Venlonae, in Conventu nostro „Trans Cedron“ SS. Cordis Iesu, die 15. Maii 1886.

Typis excudi et divulgari permittitur.

Ruraemundi, in festo S^mi^ Sacramenti 1886.

P. J. H. Russel, Can. et Prof.,
Librorum Censor.

c. 2071

Salvo iure proprietatis et translationis.

Benevolo Lectori.

Inter varias devotiones ecclesiasticas ultimum locum certe non obtinet illa devotio, quae ab Ecclesia nuncupatur Sacratissimum Rosarium.

Atque nostris imprimis temporibus sub auspiciis Leonis XIII, Summi Pontificis gloriose regnantis, ista devotio mirum in modum per universas orbis catholici regiones summo cum animarum emolumento est propagata. Ad fovendam hanc devotionem temporibus diversis enatae sunt tres Societates diversae scilicet:

a) Confraternitas Ss. Rosarii,

b) Rosarium perpetuum,

c) Rosarium vivens.

Quae tres uniones a S. Sede approbatae singulae munitae sunt suis constitutionibus ac regulis, singulaeque gaudent suis privilegiis et indulgentiis. De hisce vero omnibus plurimae a S. Sede saeculis elapsis emanatae sunt Constitutiones ac Bullae.

Quamquam vero de hac materia copiosissima diversi et haud obscuri auctores scripserunt, quos in decursu huius libri saepius citatos invenies, tamen res nullibi satis collectae, nullibi secundum materias apte dispositae inveniuntur.

Qua de causa Rectores harum Sodalitatum repetitis vicibus nobis aperuerunt desiderium habendi tractatum completum de omnibus quae pertinent ad Ss. Rosarium eiusque Sodalitates.

Ac sane vero, ut istae Sodalitates rite et convenienter gubernentur, necesse est, ut illi, ad quos earum gubernatio pertinet, exacte noverint, quaecunque a S. Sede de istis Sodalitatibus ordinata ac constituta sunt, quaecunque denique scienda sunt de Ss. Rosario.

Noster ergo finis in hoc opere elaborando fuit, ut haec omnia secundum diversas materias disposita exponeremus, hauriendo ex Bullis et Brevibus Summorum Pontificum, ex Decretis Sacrarum Romanarum Congregationum, ex doctis denique ac piis auctoribus, qui de hac materia scripserunt.

Et quemadmodum ut excitaremus et clerum et fideles ad Ss. Rosarii devotionem sancte colendam diversos liberculos idiomate germanico edidimus, sic pariter in hoc opere Sacerdotes ad Ss. Rosarii Sodalitates rite dirigendas adiuvare intendimus. Omnibus ergo Ss. Rosarii Confraternitatum Rectoribus hoc opus offerimus, ut Sodalitatum constitutiones ac regulas semper in promptu habeant; ut de variis, quae oriri possint, dubiis sibi consulere queant; ut in quibus forsan erravimus benigne corrigant. Totum desiderium nostrum in eo est, ut omnes, quibus hoc opus destinatum est, eo utantur ad maiorem Dei gloriam, in honorem Augustissimae Reginae Ss. Rosarii, ad animarum salutem.

Vale et ora pro servo tuo in Christo.

Scribebam Venlonae, 1. Maii 1886.

Fr. Thomas M. Leikes, Ord. Praed.

Tabula materiarum.

	pag.
Leonis PP. XIII Litterae et effata de Ss. Rosario . . .	**1—25**
I. Encyclica „Supremi Apostolatus“ 1. sept. 1883	3
II. Litterae ad Magistrum Gen. Ord. Praed. 20. nov. 1883	12
III. Decretum Urbis et Orbis. 10. dec. 1883 . .	15
IV. Litterae in forma Brevis. 24. dec. 1883. . .	17
V. Encyclica „Superiore anno“ 30. aug. 1884*) .	21
De Confraternitate Sacratissimi Rosarii	**27—466**
Brevis historia Ss. Rosarii eiusque Confraternitatis	*31—115*
De origine Ss. Rosarii	31—56
A. S. Dominicus Rosarium primus instituit	31
I. probatur ex auctoritate	31
II. „ ex iis quae de Ss. Ros. institut. leguntur	41
III. „ ex historia.	46
B. S. Dominicus Ss. Ros. Confraternitatis auctor . . .	51
I. probatur ex auctoritate	51
II. „ ex historia.	52
De progressu Confraternitatis ab eius exordio usque ad annum 1350	57—71
I. Statuta Confratern. ex anno 1250	57
II. Confraternitates etc. in ecclesiis Ord. Praed. saeculis 13^0, 14^0, 15^0	60
III. De ingenti numero confratrum primo aevo adscriptorum	65
De lapsu Confraternitatis ab anno 1350—1460	72—80
De renovatione Confratern. saeculo 15^0 per Alanum	81—88
De gloriosa restauratione Confratern. Coloniensis.	89—101
De Confraternitate ab anno 1475—1800	102—111
De Confraternitate ab anno 1800 usque ad nostra tempora .	112—115

*) Decretum Urbis et Orbis, editum die 20. aug. 1885, invenies infra pag. 291 Confer etiam ea quae ex Encyclica „Quod auctoritate Apost.“ d. 22. dec. 1885 inseruimus pag. 464 seqq.

pag.

De recta institutione et administratione Confraternitatis Ss. Rosarii . . . . . *116—235*

De fine Confraternitatis . . . . . 116—120

De erectione Confraternitatum . . . . . 121—154

I. De iis quae in erectione pertinent ad Magistrum Generalem Ordinis Praedicatorum 121

Copia Diplomatis erectionis. 126

II. De iis quae pertinent ad loci Ordinarium . . 132

Statuta ab Ordinario approbanda 135

III. De iis quae pertinent ad Priores Ord. Praed.. 138

IV. A. De Capella seu Altari Ss. Rosarii 139

B. De Imagine Capellae 142

V. De modo et forma erectionis 147

Processus Verbalis erectionis 151

De sanatione Confraternitatum Ss. Rosarii. . . . . 155—164

Processus Verbalis renovationis. 163

De iuribus Confraternitatum Ss. Rosarii . . . . . 165—174

De administratione Confraternitatum . . . . . 175—193

Rituale Confraternitatis . . . . . 194—199

I. Ritus solemniter recipiendi Confratres 194

II. Benedictio Rosariorum 195

III. Benedictio Candelarum 197

IV. Benedictio Rosarum 197

V. Absolutio in articulo mortis. 198

VI. Benedictio Imaginum Ss. Rosarii 199

De sodalibus recipiendis . . . . . 200—210

De confratribus et sororibus Confraternitatis. . . . . 211—218

De organisatione speciali Confraternitatis . . . . . 219—226

De caritatis operibus, specialiter de consororibus dotandis . 227—234

De recta et pia Rosarii persolutione . . . . . *235—275*

De nominibus Ss. Rosarii . . . . . 235—239

De rosariis benedicendis et benedictis. . . . . 240—256

De rosariis a Summo Pontifice benedictis 250

De rosariis Hierosolymitanis. 252

De rosariis per Crucigeros benedictis. 252

De precibus vocalibus Ss. Rosarii. . . . . 257—260

De mentali Ss. Rosarii oratione . . . . . 261—272

Modus recitandi Ss. Rosarium in Ordine Praedicatorum consuetus . . . . . 273—275

Laudes Ss. Rosarii eiusque Confraternitatis . . . . . *276—336*

De excellentia Ss. Rosarii . . . . . 276—283

Pius IX. et Rosarium . . . . . 284—289

Leo XIII. et Rosarium . . . . . 290—293

pag.
Episcopi et Rosarium anno 1883 . . . . . 294—295
Pauli Mariae Quarti tractatus de Ss. Rosario . . . . . 296—308
De excellentia Confraternitatis Ss. Rosarii . . . . . 309—315
Victoriae virtute Ss. Rosarii reportatae . . . . . 316—323
A Sanctis colitur Ss. Rosarium . . . . . 324—328
De miraculis Ss. Rosario patratis . . . . . 329—336

De indulgentiis et privilegiis Confraternitatis Ss. Rosarii . . *337—466*

I. De valore Summariorum Indulgentiarum Confraternitatis . . . . . 338—340
II. Indulgentiae et privilegia Confratern. revocari non possunt, nisi facta de iisdem speciali mentione . . . . . 341—343
III. De communione indulgentiarum 344
IV. De communione privilegiorum 344
V. De indulgentiis Confraternitati concessis ab Innocentio VIII. et Alexandro VI. . . . . 346—356
VI. De indulgentia „Toties-Quoties“ . . . . . 356—363
VII. De indulgentiis in Hispania concessis. . . . 363—364
VIII. De indulgentiis pro confratribus infirmis etc. 365—367
IX. De monialibus et in collegiis conviventibus. 367—368
X. Indulgentiae omnes applicari possunt defunctis 368
XI. De translatione indulgentiarum . . . . . 369—370
XII. De translatione Festi Ss. Rosarii. . . . . 370—372
XIII. De conditionibus communibus pro indulgentiis lucrandis . . . . . 372—377
Summaria Indulgentiarum Confraternitatis Ss. Rosarii . . . 378—430
A. Summarium Innocentii XI. 378
B. Summarium Benedicti XIII. 407
Breve Pii VII. „Ad augendam“ d. 16. febr. 1808 409
Decretum S. C. I. iussu Pii IX. editum d. 12. maii 1851 413
C. Summarium Pii IX. 416
Kalendarium indulgentiarum Confraternitatis. . . . . 431—447
De privilegiis Confraternitatis . . . . . 448—462
I. De participatione bonorum spiritualium . . . 448
II. De altari Confraternitatis privilegiato 450
III. De Missa Ss. Rosarii privilegiata 456
Formulare huius Missae 459
Finis tractatus de Confraternitate Ss. Rosarii . . . . . 463—466

De Societate Rosarii perpetui . . . . . **467—496**
Brevis historia huius societatis 469
Pii IX. Breve „Postquam“ d. 12. apr. 1867 473
De fine Rosarii perpetui 478

pag.

De forma Rosarii perpetui 485
De Hora annuali 486
De Hora mensuali 494
Indulgentiae Rosario perpetuo concessae 495

De Sodalitate Rosarii Viventis . . . . . 497—534

De origine huius Sodalitatis 499
Gregorii XVI. Breve „Benedicentes" d. 27. ian. 1832 . 501
De fine Sodalitatis Rosarii viventis 502
Nova Sodalitatis organisatio 504
Pii IX. Breve „Quod iure haereditario" d. 17. aug. 1877 505
Supremi Moderatoris super Rosario vivente declarationes 508
Hierarchia Rosarii viventis 512
Regulae pro distributione Mysteriorum 519
Privilegia et indulgentiae Sodalitatis 523
Summarium indulgentiarum Ros. viv. 524
Synopsis et Kalendarium earundem 527
Festa Sodalitatis 530
Consuetudines quaedam communes 531

Appendix . . . . . 535—556

I. Devotiones quaedam ex Rosarii Confraternitate natae . . . . . 537—541
A. Devotio XV. Sabbatorum 537
B. Devotio XV. Feriarum tertiarum . . . 537
C. Devotio Mensis Octobris 538
II. Summarium indulgentiarum pro obiectis a Rom. Pontifice benedictis . . . . . 542—547
III. Ordinationes pro Ss. Rosario editae a Capitulo Generali Ord. Praed. 1885 . . . . . 547—549
IV. Series Bullarum etc. Apostolicarum et Decretorum S. Congr. in favorem Confraternitatis Ss. Rosarii . . . . . 550—555

Index rerum alphabeticus . . . . . 557—560

LEONIS PAPAE XIII.

PONTIFICIS MAXIMI

LITTERAE ET EFFATA

DE SS. ROSARIO B. MARIAE V.

I.

De efficacitate et vi Beatissimae Virginis Mariae Rosarii, deque eius cultu promovendo.

VENERABILIBVS FRATRIBVS PATRIARCHIS PRIMATIBVS ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS VNIVERSIS CATHOLICI ORBIS GRATIAM ET COMMVNIONEM CVM APOSTOLICA SEDE HABENTIBVS:

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES,

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Supremi Apostolatus officio, quo fungimur et longe difficili horum temporum conditione, quotidie magis admonemur ac propemodum impellimur, ut quo graviores incidunt Ecclesiae calamitates, eo impensius eius tutelae incolumitatique consulamus. Quapropter, dum quantum in Nobis est, modis omnibus Ecclesiae iura tueri, et quae vel impendent vel circumstant pericula antevertere et propulsare conamur, assidue damus operam caelestibus auxiliis implorandis, quibus effici unice potest, ut labores curaeque Nostrae optatum sint exitum habiturae. — Hanc ad rem nihil validius potiusque iudicamus, quam religione et pietate demereri magnam Dei Parentem MARIAM Virginem, quae pacis nostrae apud Deum sequestra et caelestium administra gratiarum, in celsissimo potestatis est glo-

riaeque fastigio in caelis collocata, ut hominibus ad sempiternam illam civitatem per tot labores et pericula contendentibus patrocinii sui subsidium impertiat. — Itaque proximis iam anniversariis solemnibus, quibus plurima et maxima in populum christianum per Marialis *Rosarii* preces collata beneficia recoluntur, preces hasce ipsas singulari studio toto orbe catholico adhiberi Magnae Virgini hoc anno volumus, quo, Ipsa conciliatrice, divinum Eius Filium nostris placatum et mitigatum malis feliciter experiamur. Has igitur litteras ad Vos, Venerabiles Fratres, dandas censuimus, ut, cognitis consiliis Nostris, populorum pietas ad ea religiose perficienda vestra auctoritate studioque excitetur.

Praecipuum semper ac solemne catholicis hominibus fuit in trepidis rebus dubiisque temporibus ad Mariam confugere et in materna Eius bonitate conquiescere. Quo quidem ostenditur certissima non modo spes, sed plane fiducia, quam Ecclesia catholica semper habuit in Genetrice Dei iure repositam. Revera primaevae labis expers Virgo, adlecta Dei Mater, et hoc ipso servandi hominum generis consors facta, tanta apud Filium gratia et potestate valet, ut maiorem nec humana nec angelica natura assecuta unquam sit, aut assequi possit. Cumque suave Ipsi ac iucundum apprime sit, singulos suam flagitantes opem iuvare ac solari; dubitandum non est, quin Ecclesiae universae votis adnuere multo libentius velit ac propemodum gestiat.

Haec autem tam magna et plena spei in augustam caelorum Reginam pietas luculentius emicuit, cum errorum vis late serpentium, vel exundans morum corruptio, vel potentium adversariorum impetus militantem Dei Ecclesiam in discrimen adducere visa sunt.

— Veteris et recentioris aevi historiae, ac sanctiores Ecclesiae fasti publicas privatasque ad Deiparam obsecrationes et vota commemorant, ac vicissim praebita per Ipsam auxilia partamque divinitus tranquillitatem et pacem. Hinc insignes illi tituli, quibus Eam catholicae gentes christianorum Auxiliatricem, Opiferam, Solatricem, bellorum Potentem, Victricem, Paciferam consalutarunt. Quos inter praecipue commemorandus solemnis ille ex Rosario ductus, quo insignia Ipsius in universum christianum nomen beneficia ad perpetuitatem consecrata sunt. — Nemo vestrum ignorat, Venerabiles Fratres, quantum laboris et luctus, saeculo duodecimo exeunte, sanctae Dei Ecclesiae intulerint Albigenses haeretici, qui recentiorum Manichaeorum secta progeniti, australem Galliae plagam atque alias latini orbis regiones perniciosis erroribus repleverant; armorumque terrorem circumferentes, late dominari per clades et ruinas moliebantur. Contra huiusmodi teterrimos hostes virum sanctissimum, ut nostis, excitavit misericors Deus, inclitum scilicet Dominiciani Ordinis parentem et conditorem. Is integritate doctrinae, virtutum exemplis, muneris apostolici perfunctione magnus, pugnare pro Ecclesia catholica excelso animo aggressus est, non vi, non armis, sed ea maxime precatione confisus, quam sacri Rosarii nomine ipse primus instituit, et per se, per suos alumnos longe lateque disseminavit. Dei enim instinctu ac numine sentiebat futurum, ut eius precationis ope, tamquam validissimo instrumento bellico, victi hostes profligatique vesanam impietate audaciam ponere cogerentur. Quod reipsa evenisse compertum est. Etenim ea orandi ratione suscepta riteque celebrata ex institutione Dominici Patris, pietas, fides, concordia restitui, haereti-

corum molitiones atque artes disiici passim coepere: ad haec, plurimi errantes ad sanitatem revocati, et catholicorum armis, quae fuerant ad vim propulsandam sumpta, impiorum compressus furor.

Eiusdem precationis efficacitas et vis mirabiliter etiam perspecta est saeculo decimo sexto, cum ingentes Turcarum copiae Europae prope universae superstitionis et barbariae iugum intentarent. Quo tempore sanctus Pius V Pontifex Maximus, excitatis ad communium rerum tutelam principibus christianis, omni studio in primis egit, ut potentissima Mater Dei, per Rosarii preces implorata, nomini christiano volens propitia succurreret. Nobilissimum sane spectaculum per eos dies caelo terraeque exhibitum omnium in se mentes animosque convertit. Hinc enim Christi fideles non procul a Corinthiaco sinu vitam et sanguinem pro religionis patriaeque incolumitate fundere parati, hostem interriti opperiebantur; illinc inermes pio supplicantium agmine Mariam inclamabant, Mariam ex Rosarii formula iteratis vicibus consalutabant, ut certantibus adesset ad victoriam. Adstitit exorata Domina; nam commisso ad Echinadas insulas navali praelio, christianorum classis, sine magna suorum clade, fusis caesisque hostibus, magnifice vicit. Quare idem sanctissimus Pontifex in accepti beneficii memoriam anniversarium tanti certaminis diem honori Mariae Victricis festum haberi voluit: quem Gregorius XIII titulo Rosarii consecravit.

Simili modo, superiore saeculo, semel ad Temesvariam in Pannonia, semel ad Corcyram insulam nobilis est de Turcarum copiis victoria reportata: idque sacris Magnae Virgini diebus, precibusque pio Rosarii ritu ante persolutis. Quae res Clementem XI Deces-

sorem Nostrum adduxit, ut grati animi ergo solemnem Deiparae a Rosario honorem quotannis habendum tota Ecclesia decreverit.

Igitur cum sacra haec precandi formula tantopere Virgini grata esse dignoscatur, eaque ad Ecclesiae populique christiani defensionem et ad divina beneficia publice privatimque impetranda apprime conferat; mirum non est, eximiis eam praeconiis alios quoque Decessores Nostros efferre atque augere studuisse. Sic Urbanus IV *quotidie per Rosarium christiano populo bona provenire* testatus est. Sixtus IV hunc orandi ritum *ad honorem Dei et Virginis, et ad imminentia mundi pericula propulsanda opportunum;* Leo X *adversus haeresiarchas et gliscentes haereses institutum,* et Iulius III *romanae Ecclesiae decorem* dixerunt. Itemque de eo sanctus Pius V, *hoc,* inquit, *orandi modo evulgato, coepisse fideles iis meditationibus accensos, iis precibus inflammatos, in alios viros repente mutari, haeresum tenebras remitti, et lucem catholicae fidei aperiri.* Demum Gregorius XIII, *Rosarium a beato Dominico ad iram Dei placandam et Beatae Virginis intercessionem implorandam fuisse institutum.*

Hac Nos cogitatione, exemplisque Decessorum Nostrorum permoti, opportunum omnino censemus, solemnes hoc tempore supplicationes ob eam caussam instituí, ut invocata per Rosarii preces Virgine augusta, parem necessitatibus opem a Iesu Christo eius Filio impetremus. — Perspicitis, Venerabiles Fratres, Ecclesiae labores dimicationesque diuturnas et graves. Christianam pietatem, publicam morum honestatem, fidemque ipsam, quae summum est bonum virtutumque ceterarum principium, maioribus quotidie periculis videmus oppositam. Item difficilem conditionem varios-

que angores Nostros non modo cognoscitis, sed facit caritas vestra, ut quadam Nobiscum societate et communione sentiatis. Miserrimum autem est ac longe luctuosissimum, tot animas Iesu Christi sanguine redemptas, quodam aberrantis saeculi veluti correptas turbine, praecipites in peius agi atque in interitum ruere sempiternum. Igitur divini necessitas auxilii haud sane est hodie minor, quam cum magnus Dominicus ad publica sananda vulnera Marialis Rosarii usum invexit. Ille vere caelesti pervidit lumine, aetatis suae malis remedium nullum praesentius futurum, quam si homines ad Christum, qui *via, veritas et vita* est, salutis per Eum nobis partae crebra commentatione rediissent; et Virginem illam, cui datum est *cunctas haereses interimere,* deprecatricem apud Deum adhibuissent. Idcirco sacri Rosarii formulam ita composuit, ut et salutis nostrae mysteria ordine recolerentur, et huic meditandi officio mysticum innecteretur sertum ex angelica salutatione contextum, interiecta oratione ad Deum et Patrem Domini Nostri Iesu Christi. Nos igitur haud absimili malo idem quaerentes remedium, non dubitamus, quin eadem haec a beatissimo viro tanto cum orbis catholici emolumento inducta precatio, momenti plurimum habitura sit ad levandas nostrorum quoque temporum calamitates.

Quamobrem non modo universos christianos enixe hortamur, ut vel publice vel privatim in sua quisque domo et familia pium hoc Rosarii officium peragere studeant et non intermissa consuetudine usurpent, sed etiam INTEGRVM ANNI LABENTIS OCTOBREM MENSEM caelesti Reginae a Rosario sacrum dicatumque esse volumus. — Decernimus itaque et mandamus, ut in orbe catholico universo hoc item anno solemnia Deiparae a Ro-

sario peculiari religione et cultus splendore celebrentur; utque a prima die proximi octobris ad secundam subsequentis novembris, in omnibus ubique curialibus templis, et si Ordinarii locorum utile atque opportunum iudicaverint, in aliis etiam templis sacrariisve honori Deiparae dedicatis, quinque saltem Rosarii decades, adiectis Litaniis Lauretanis, religiose recitentur: optamus autem, ut ad has preces conveniente populo, eodem tempore vel sacrum ad altare fiat, vel Sacramento augusto ad adorandum proposito, sacrosancta deinceps hostia pius supplicantium coetus rite lustretur. — Magnopere probamus, sodalitates a Rosario Virginis solemni pompa viatim per urbes, accepta a maioribus consuetudine, publicae religionis caussa procedere. Quibus autem in locis id iniuria temporum forte non licet, quidquid publicae religioni ex hac parte detractum est, frequentiore redimatur ad sacras aedes accursu; et diligentiore virtutum christianarum exercitatione fervor pietatis eluceat.

Eorum autem gratia, qui quae supra iussimus facturi sunt, libet caelestes Ecclesiae thesauros recludere, in quibus ipsi incitamenta simul et praemia pietatis inveniant. Omnibus igitur, qui intra designatum temporis spatium Rosarii cum Litaniis publicae recitationi interfuerint, et ad mentem Nostram oraverint, septem annorum itemque septem quadragenarum apud Deum indulgentiam singulis vicibus obtinendam concedimus. Quo beneficio frui pariter posse volumus, quos supplicationibus publicis supra dictis legitima caussa prohibeat, hac tamen lege, ut eidem sacrae exercitationi privatim operam dederint, itemque Deo ad mentem Nostram supplicaverint. — Eos vero, qui supra dicto tempore decies saltem, vel publice in

sacris templis, vel iustas ob caussas privatis in domibus eadem peregerint et, expiatis rite animis, sacra de altari libaverint, piaculo omni et statis admissorum poenis ad pontificalis indulgentiae modum exsolvimus. — Plenissimam hanc admissorum suorum veniam omnibus etiam elargimur, qui vel in ipsis beatae Mariae Virginis a Rosario solemnibus, vel quolibet ex octo consequentibus diebus, ablutis pariter salutari confessione animis, ad Christi mensam accesserint, et in aliqua aede sacra pro Ecclesiae necessitatibus ad mentem Nostram Deo et Deiparae rite supplicaverint.

Agite vero, Venerabiles Fratres; quantum Vobis curae est et Mariae honos et societatis humanae salus, tantum studete populorum in Magnam Virginem alere pietatem, augere fiduciam. Divino quidem munere factum putamus, ut, vel turbulentissimis hisce Ecclesiae temporibus, in maxima christiani populi parte stet ac vigeat antiqua in augustam Virginem religio et pietas. Nunc vero exhortationibus his Nostris excitatae, vestrisque vocibus incensae christianae gentes vehementiore in dies animi ardore sese in Mariae tutelam fidemque recipiant; et adamare magis ac magis insistant Marialis Rosarii consuetudinem, quam maiores nostri non modo uti praesens in malis auxilium, sed etiam nobilis instar tesserae christianae pietatis habere consueverunt. Obsecrationes concordes ac supplices libens excipiet humani generis Patrona caelestis, illudque facile impetrabit, ut boni virtutis laude crescant; ut devii sese ad salutem colligant ac resipiscant; ut vindex scelerum Deus ad clementiam ac misericordiam conversus rem christianam remque publicam, amotis periculis, optatae tranquillitati restituat.

Hac spe erecti, Deum ipsum per Eam, in qua

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

totius boni posuit plenitudinem, summis animi Nostri votis enixe obsecramus, ut maxima quaeque Vobis, Venerabiles Fratres, caelestium bonorum munera largiatur: in quorum auspicium et pignus, Vobis ipsis et Clero vestro et populis cuiusque vestrum curae concreditis, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 1 Septembris, A. MDCCCLXXXIII. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

LEO PP. XIII.

II.

Litterae ad Religiosum Virum Iosephum Mariam Larroca, Summum Dominiciani Ordinis Magistrum.*)

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI RELIGIOSE VIR SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Ex iis quae ad Nos retulisti in observantissima epistola die 26 elapsi Octobris data, non exiguum inter curas, quibus angimur, solatium percepimus. Nam cum vehementer optaremus, ut toto eiusdem mensis spatio sacro Rosarii cultu Deiparae Virgini praecipuus honor haberetur, ad Eius praesidium Ecclesiae implorandum, uti per encyclicas litteras Nostras declaravimus, nullum plane nuncium ad Nos pervenire gratius et iucundius poterat, quam quod tuis iisdem litteris ad Nos defe-

*) Eundem Rm̃m Praelatum Pater sanctissimus in audientia hunc fere in modum allocutus fuit initio mensis septembris, declarans, Sibi profecto gravissima mala, quibus Ecclesia undique premitur, velut e specula circumspicienti, nihil aptius, nihil opportunius visum esse, quam sacrum precationis huius Rosarii ritum commendare ac promovere, quo nempe per mysteriorum salutis nostrae contemplationem assiduam, fides excitetur in mentibus hominum, atque divinae orationis ignis, in tot Christianorum cordibus vitiis ac erroribus oppressus et exstinctus, denuo accendatur, immo in cuiusque familiae intimis penetralibus, pacis, dignitatis, prosperitatis utique pignus, reviviscat. Ita quidem compositis rebus, Se firmissima teneri spe, et miseras errantesque oves ad pascua salutis redituras, et potentissimis Rosarii Marialis armis dimicato hoste, Ecclesiam catholicam et hanc Petri Sedem plenum mox deportaturam esse triumphum. Numquidnam tali fervidarum supplicationum concentu flecti renuet Deus? Numquid ritu isto deprecatus, animarum deviarum non miserebitur pius animarum Redemptor? Numquid advocatae nostrae, intemeratae Genitricis suae, interventum recusabit? Fidenti equidem sinceroque animo Sese asserere: Pie deprecantibus divinum auxilium neutiquam defecturum: causa enim agitur Dei...

Ex litt. pat. eiusdem Magistri Generalis d. 15. sept. 1883.

rendum curasti. Nunciabant illae enim, quod ex pluribus Venerabilibus Fratribus et multis etiam Fidelibus, qui ad Nos accesserunt, libentissime novimus, promptum ac docile christiani populi obsequium in excipienda significatione voluntatis Nostrae cum in proximis, tum in dissitis Orbis regionibus, magnos concursus et praeclarum religionis spiritum, quo fideles ad sacras aedes confluentes, indictis precibus adstiterunt, ac flagrantia studia, quibus ubique divinae Matris opem suis precibus demereri certarunt. Compertus etiam Nobis ex eadem tua epistola fuit peculiaris zelus, quo tui Ordinis Sodales desideriis Nostris obsecundare, ac tum divini cultus splendore, tum exempli sui luce populorum pietatem excitare contenderunt, ex qua re is fructus extitit, ut in iis quoque locis, ubi zelus ille ex obiectis difficultatibus vim suam libere explicare non poterat, perspicua et insignia sese prodiderint vivae fidei et solidae pietatis indicia. Pro his omnibus, Dilecte Fili, Deo benignissimo singulares gratias agimus, quo adiutore veneratio et fiducia populi christiani erga Immaculatam Virginem in tanta pravitate saeculi splendida perseverat et viget, Eique benedicimus, quod, dum in populo suo spiritum precationis fovet ac nutrit, ei Se placatum et propitium adfuturum non dubiis argumentis ostendit. Hinc nihil potius et antiquius habemus, quam ut fidelium ardor in hoc pientissimo Rosarii officio persolvendo non tepescat, sed stabilis atque integer maneat, ac fideliter ubique servetur haec christianae pietatis tessera, quam Maiores nostri tot monumentis divini praesidii commendatam, praecipuo semper studio retinuerunt. Quoniam vero tuo potissimum religioso Ordini, Dilecte Fili, ex Sancti Conditoris vestri instituto ministerium

commissum fuit hoc salutare pietatis opus in catholico populo promovendi, dum Vobis plurimum gratulamur pro iis, quae in hanc rem studiose hoc tempore peregistis, vehementer etiam Vos hortamur, ut huic vestro muneri in dies magis respondentes, strenuam operam Rosarii exercitationi fovendae, et propagationi curandae navetis, cum non dubitemus, eo uberiores salutis fructus Ecclesiae obventuros, quo latius isthaec precandi ratio effundatur, et quo fervidiore devoti animi sensu a fidelibus usurpetur.

In eo autem quod scribis de novo titulo et praeconio adiiciendo, quo Domina nostra clementissima in publicis Ecclesiae supplicationibus appelletur, tuam pietatem agnoscimus et zelum commendamus, necessarium tamen ducimus rem antea accurate perpendi, quam aliquid circa illam a Nobis decernatur.*) Interea omnium caelestium gratiarum plenitudinem tibi cunctisque queis praesides, et universo fideli populo, interpositis Reginae Superum meritis, a Deo enixe implorantes, in earum auspicium et in paternae Nostrae dilectionis testimonium, Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die 20 Novembris An. 1883. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

LEO PP. XIII.

*) Cf. pg. 15.

III.

Decretum Urbis et Orbis.

Ad praesidium columenque militantis Ecclesiae virum sanctissimum excitavit misericors Deus, Dominicum Guzmanum, inclitum Ordinis Praedicatorum conditorem et patrem, qui pugnare pro Ecclesia catholica aggressus est, maxime precatione confisus, quam Sacri Rosarii Mariani nomine primus instituit, et per se suosque Alumnos longe lateque disseminavit. Admirabilem hanc orandi formulam nobilis instar tesserae christianae pietatis Catholici semper habere consueverunt. Quare vix ac Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII ad opem a Iesu Christo per Mariam Virginem Eius Matrem praesentibus necessitatibus impetrandam, integrum mensem Octobrem Rosarii precibus in toto catholico Orbe hoc anno exigendum, encyclicis datis Litteris, indixit: ubique sacrorum Antistites et fideles populi, supremi Pastoris voluntati obtemperantes, frequentissima Rosarii recitatione pietatis suae et dilectionis erga Dei Matrem peramantissimam splendida argumenta exhibuerunt, certam spem foventes se, eadem Beatissima Virgine opitulante, a caelesti misericordiarum Patre in praesentibus tam privatis, quam communibus christianae reipublicae calamitatibus efficacius optata subsidia impetraturos.

Iamvero Sanctissimus idem Dominus Noster summopere cupiens tum augeri cultum erga ipsam augustam Dei Genitricem hac praesertim orandi consuetudine eidem Virgini gratissima, tum Christifideles ad hoc obsequium Ei praestandum magis magisque excitari,

humillimas preces sibi oblatas a Reverendissimo Patre Iosepho Maria Larroca Magistro Generali Ordinis Praedicatorum, nimirum ut Litaniis Lauretanis addendam indulgeat Reginae a Rosario invocationem, quae iamdudum apud Dominicianam Familiam in usu est, benigne ac perlibenter excepit. Voluit propterea Sanctitas Sua praecepitque, ut ceteris Litaniarum Lauretanarum beatae Mariae praeconiis, et hoc in Ecclesia universa in posterum addatur postremo loco, scilicet „*Regina Sacratissimi Rosarii, ora pro nobis*“.

Mandavit praeterea super his expediri Litteras in forma Brevis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 10 Decembris 1883.

D. Card. Bartolinius S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Laurentius Salvati S. R. C. Secretarius.

IV.

Litterae in forma Brevis.

LEO PP. XIII.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

Salutaris ille *spiritus precum*, misericordiae divinae munus idem et pignus, quem Deus olim effundere pollicitus est *super domum David et super habitatores Jerusalem*, etsi numquam in Ecclesia catholica cessat, tamen experrectior ad permovendos animos tunc esse videtur, cum homines magnum aliquod aut ipsius Ecclesiae aut reipublicae tempus adesse vel impendere sentiunt. Solet enim in rebus trepidis excitari fides pietasque adversus Deum, quia quo minus apparet in rebus humanis praesidii, eo maior esse caelestis patrocinii necessitas intelligitur. — Quod vel nuper perspexisse videmur, cum Nos diuturnis Ecclesiae acerbitatibus et communium temporum difficultate permoti, pietatem christianorum per epistolam Nostram Encyclicam appellantes, Mariam Virginem sanctissimo Rosarii ritu colendam atque implorandam Octobri mense toto decrevimus. Cui quidem voluntati Nostrae obtemperatum esse novimus studio et alacritate tanta, quantam vel rei sanctitas vel caussae gravitas postulabat. Est enim neque in hac solum Italia nostra sed in omnibus terris pro re catholica, pro salute publica, supplicatum: et Episcopis auctoritate, Clericis exemplo operaque praeeuntibus, magnae Dei matri habitus certatim honos. Et mirifice sane Nos declaratae pietatis ratio multiplex delectavit: templa magnificentius exornata: ductae solemni ritu pompae: ad sacras con-

ciones, ad synaxin, ad quotidianas Rosarii preces magna ubique populi frequentia. Nec praeterire volumus, quod gestienti animo accepimus de nonnullis locis, quos procella temporum vehementius affligit: in quibus tantus extitit fervor pietatis, ut presbyterorum inopiam privati redimere, quibus in rebus possent, suomet ipsi ministerio maluerint, quam sinere, ut in templis suis indictae preces silerent.

Quare dum praesentium malorum sensum spe bonitatis et misericordiae divinae consolamur, inculcari bonorum omnium animis intelligimus oportere, id quod sacrae Litterae passim aperteque declarant, sicut in omni virtute, sic in ista, quae in obsecrando Deo versatur, omnino plurimum referre perpetuitatem atque constantiam. Exoratur enim placaturque precando Deus: hoc tamen ipsum, quod se exorari sinit, non solum bonitatis suae, sed etiam perseverantiae nostrae vult esse fructum. — Talis autem in orando perseverantia longe plus est hoc tempore necessaria, cum tam multa Nos tamque magna, ut saepe diximus, circumstent ex omni parte pericula, quae sine praesenti Dei ope superari non possunt. Nimis enim multi oderunt *omne quod dicitur Deus et colitur:* oppugnatur Ecclesia neque privatorum dumtaxat consiliis, sed civilibus persaepe institutis et legibus: christianae sapientiae adversantur immanes opinionum novitates, ita plane ut et sua cuique et publica tuenda salus sit adversus hostes acerrimos, extrema virium coniuratos experiri. Vere igitur huius tanti proelii complectentes cogitatione certamen, nunc maxime intuendum animo esse censemus in Iesum Christum Dominum Nostrum, qui quo Nos ad imitationem erudiret sui, *factus in agonia prolixius orabat.*

Ex variis autem precandi rationibus ac formulis in Ecclesia catholica pie et salubriter usitatis, ea, quae Rosarium Mariale dicitur, multis est nominibus commendabilis. In quibus, quemadmodum in Litteris Nostris Encyclicis confirmavimus, illud permagnum, quod est Rosarium praecipue implorando Matris Dei patrocinio adversus hostes catholici nominis institutum: eaque ex parte nemo ignorat, sublevandis Ecclesiae calamitatibus idem saepe et multum profuisse. Non solum igitur privatorum pietati, sed publicis etiam temporibus est magnopere consentaneum, istud precandi genus in eum restitui honoris locum, quem diu obtinuit, cum singulae christianorum familiae nullum sibi abire diem sine Rosarii recitatione paterentur. His Nos de caussis omnes hortamur atque obsecramus, ut quotidianam Rosarii consuetudinem religiose et constanter insistant: itemque declaramus, Nobis esse in optatis, ut in Dioeceseon singularum templo principe quotidie, in templis Curialibus diebus festis*) singulis recitetur. Huic autem excitandae tuendaeque exercitationi pietatis magno usui esse poterunt familiae Ordinum religiosorum, et praecipuo quodam iure suo sodales Dominiciani: quos omnes pro certo habemus tam fructuoso nobilique officio minime defuturos.

*) 1) S'agit-il de la récitation du Rosaire tout entier, ou bien seulement des cinq dizaines qui composent la simple *couronne*, c'est-à-dire le chapelet?

2) Ce décret prescrit-il la récitation du *chapelet*, dans les églises paroissiales, seulement les jours des fêtes solennelles ou bien tous les dimanches?

Ad primum: Il s'agit de la récitation des cinq dizaines composant le chapelet ordinaire;

Ad secundum: La récitation du chapelet doit se faire publiquement tous les dimanches et jours de fêtes solennelles.

Ita respondit S. Congr. Rituum.

Le Moniteur Hebd. de Rome 10. févr. 1884.

Nos igitur in honorem magnae Dei Genetricis Mariae; ad perpetuam recordationem implorati ubique gentium per mensem Octobrem a purissimo Eius Corde praesidii; in perenne testimonium amplissimae spei, quam in Parente amantissima reponimus; ad propitiam eius opem magis ac magis in dies impetrandam, volumus ac decernimus, ut in Litaniis Lauretanis, post invocationem, *Regina sine labe originali concepta,* addatur praeconium, *Regina sacratissimi Rosarii ora pro nobis.*

Volumus autem, ut hae Litterae Nostrae firmae rataeque, uti sunt, ita in posterum permaneant: irritum vero et inane futurum decernimus, si quid super his a quoquam contigerit attentari: contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXIV Decembris An. MDCCCLXXXIII, Pontificatus Nostri Anno Sexto.

TH. CARD. MERTEL.

V.

VENERABILIBUS FRATRIBUS PATRIARCHIS PRIMATIBUS ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS CATHOLICI ORBIS UNIVERSIS GRATIAM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTIBUS.

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES,

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Superiore anno, quod singuli novistis, per litteras Nostras Encyclicas decrevimus, ut in omnibus catholici orbis partibus, ad caeleste praesidium laboranti Ecclesiae impetrandum, magna Dei Mater sanctissimo Rosarii ritu, Octobri toto, coleretur. In quo et iudicium Nostrum et exempla sequuti sumus Decessorum Nostrorum, qui difficillimis Ecclesiae temporibus aucto pietatis studio ad augustam Virginem confugere, opemque eius summis precibus implorare consueverunt. — Voluntati vero illi Nostrae tanta animorum alacritate et concordia ubique locorum obtemperatum est, ut luculenter apparuerit, quantus religionis et pietatis ardor exstet in populo christiano, et quantam in caelesti Mariae Virginis patrocinio spem universi reponant. Quem quidem declaratae pietatis et fidei fervorem Nos, tanta molestiarum et malorum mole gravatos, non mediocri consolatione leniisse profitemur, imo animum addidisse ad graviora quoque, si ita Deo placeat, perferenda. Donec enim spiritus precum effunditur super domum David et super habitatores Ierusalem, in spem certam adducimur, fore ut aliquando propitietur Deus, Ecclesiaeque suae miseratus vicem, audiat tandem preces obsecrantium per Eam, quam ipse caelestium gratiarum voluit esse administram.

Quapropter insidentibus caussis, quae Nos ad publicam pietatem excitandam, uti diximus, anno superiore impulerunt, officii Nostri duximus, Venerabiles Fratres, hoc quoque anno hortari populos christianos, ut in huiusmodi precandi ratione et formula, quae Rosarium Mariale dicitur, perseverantes, sibi validum magnae Dei Genitricis patrocinium demereantur. Cum enim in oppugnatoribus christiani nominis tanta sit obstinatio propositi, in propugnatoribus non minorem esse oportet constantiam voluntatis, quum praesertim caeleste auxilium et collata nobis a Deo beneficia, perseverantiae nostrae saepe soleant esse fructus. — Ac revocare iuvat in mentem magnae illius Iudith exemplum, quae almae Virginis typum exhibens, stultam Iudaeorum repressit impatientiam, constituere Deo volentium arbitrio suo diem ad subveniendum oppressae civitati. Intuendum item in exemplum Apostolorum, qui maximum Spiritus Paracliti donum sibi promissum exspectaverunt perseverantes unanimiter in oratione cum Maria Matre Iesu. — Agitur enim et nunc de ardua ac magni momenti re, de inimico antiquo et vaferrimo in elata potentiae suae acie humiliando; de Ecclesiae eiusque Capitis libertate vindicanda; de iis conservandis tuendisque praesidiis, in quibus conquiescere oportet securitatem et salutem humanae societatis. Curandum est igitur, ut luctuosis hisce Ecclesiae temporibus Marialis Rosarii sanctissima consuetudo studiose pieque servetur, eo praecipue quod huiusmodi preces, cum ita sint compositae, ut omnia ex ordine salutis nostrae mysteria recolant, maxime sunt ad fovendum pietatis spiritum comparatae.

Et ad Italiam quod attinet, potentissimae Virginis praesidium nunc maxime per Rosarii preces implorare

necesse est, quum nobis adsit potius, quam impendeat, nec-opinata calamitas. Asiana enim lues terminos, quos natura posuisse videbatur, Deo volente, praetervecta, portus Gallici sinus celeberrimos, ac finitimas exinde Italiae regiones pervasit. — Ad Mariam confugiendum est, ad eam, quam iure meritoque salutiferam, opiferam, sospitatricem appellat Ecclesia, uti volens propitia opem acceptissimis sibi precibus imploratam afferat, impuramque luem a nobis longe depellat.

Quapropter adventante iam mense Octobri, quo mense sacra solemnia Mariae Virginis a Rosario in orbe catholico aguntur, omnia ea, quae praeterito anno praecepimus, hoc anno*) iterum praecipere statuimus. — Decernimus itaque et mandamus, ut a prima die Octobris ad secundam consequentis Novembris in omnibus curialibus templis, sacrariisve publicis Deiparae dicatis, aut in aliis etiam arbitrio Ordinarii eligendis, quinque saltem Rosarii decades, adiectis Litaniis, quotidie recitentur: quod si mane fiat, sacrum inter preces peragatur; si pomeridianis horis, Sacramentum augustum ad adorandum proponatur, deinde qui intersunt rite lustrentur. Optamus autem, ut Sodalitates San-

*) Quo tamen Pontificis augusti desideria cumulate, quam possumus expleamus, immo atque praeveniamus, Octobrem mensem integrum caelesti Reginae a Rosario sacrum dicatumque apud nos in posterum esse, peculiarique religione et cultus splendore *quotannis* celebrari volumus et ordinamus: ita quidem ut in omnibus ac singulis Ordinis nostri templis, ad normam Litterarum Apostolicarum „Supremi Apostolatus“ qualibet eiusdem Mensis die quinque saltem Rosarii decades, adiectis Litaniis Lauretanis, coram simulacro Virginis Rosarii magnificentius ornato, cum celebritate recitentur. Quod consilium nostrum sacratissimus Princeps quum valde probaverit, iis omnibus, qui supradictis publicis supplicationibus hocce anno interfuerint, easdem, ac anno praeterito, indulgentias benigne largitus est. *Ex litt. pat. Rmi Magistri Generalis Iosephi Mariae Larroca Ordinis Praedicatorum, d. Romae, die 22. junii 1884.*

ctissimi Rosarii solemnem pompam, ubicunque per civiles leges id sinitur, vicatim publicae religionis caussa ducant.

Ut vero christianae pietati caelestes Ecclesiae thesauri recludantur, Indulgentias singulas, quas superiore anno largiti sumus, renovamus. Omnibus videlicet, qui statis diebus publicae Rosarii recitationi interfuerint, et ad mentem Nostram oraverint, et his pariter qui legitima caussa impediti privatim haec egerint, septem annorum itemque septem quadragenarum apud Deum indulgentiam singulis vicibus concedimus. Eis vero, qui supra dicto tempore decies saltem vel publice in templis vel iustis de causis inter domesticos parietes eadem peregerint, et criminum confessione expiati sancta de altari libaverint, plenariam admissorum veniam de Ecclesiae thesauro impertimus. Plenissimam hanc admissorum veniam et poenarum remissionem his omnibus etiam largimur, qui vel ipso beatae Virginis a Rosario die festo, vel quolibet ex octo insequentibus, animi sordes eluerint et divina convivia sancte celebraverint, et pariter ad mentem Nostram in aliqua sacra aede Deo et sanctissimae eius Matri supplicaverint.

Iis denique consultum volentes, qui ruri vivunt et agri cultione, praecipue Octobri mense, distinentur, concedimus, ut singula, quae supra decrevimus cum sacris etiam indulgentiis Octobri mense lucrandis, ad insequentes vel Novembris vel Decembris menses, prudenti Ordinariorum arbitrio differri valeant.

Non dubitamus, Venerabiles Fratres, quin curis hisce Nostris uberes et copiosi fructus respondeant, praesertim si quae Nos plantamus, et vestra sollicitudo rigaverit, iis Deus gratiarum suarum largitione

de caelo afferat incrementum. Pro certo quidem habemus, populum christianum futurum dicto audientem Apostolicae auctoritati Nostrae eo fidei et pietatis fervore, cuius praeterito anno amplissimum dedit documentum. Caelestis autem Patrona per Rosarii preces invocata adsit propitia, efficiatque, ut sublatis opinionum dissidiis et re christiana in universis orbis terrarum partibus restituta, optatam Ecclesiae tranquillitatem a Deo impetremus. — Cuius auspicem beneficii, Vobis et Clero vestro, et populis vestrae curae concreditis Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXX Augusti MDCCCLXXXIV, Pontificatus Nostri Anno Septimo.

LEO PP. XIII.

DE

CONFRATERNITATE

SACRATISSIMI ROSARII

B. MARIAE V.

De Confraternitate Sacratissimi Rosarii.

Ex foecundissimo S. Matris Ecclesiae sinu multae Sodalitates piae ac Confraternitates prodierunt magno cum fidelium adscriptorum, imo totius reipublicae christianae emolumento. Ac profecto cum in charitate Christi congregati sodales divino cultui et proximorum saluti viribus unitis incumbant, fieri non potest, quin et singuli sodales hac spirituali communione invicem se in bono confirment defendantque contra diabolicos incursus, et tota sodalium congregatio efficiatur ornamentum simul atque auxilium subsidiumque Ecclesiae militantis. Vere igitur de omnibus illis piis Sodalitiis dici poterit: 'Frater, qui adiuvatur a fratre, quasi civitas firma'. Prov. 18, 19. Sed ea quam maxime comprobantur in Confraternitate Ss. Rosarii, quae inter ceteras tamquam princeps supereminet. Vix enim alia ulla tam vetusta invenitur, vix alia tam late divulgata, vix alia tot sanctitatis fructus protulit, vix alia de Ecclesia universa tam bene merita est, vix alia tot tantisque gratiis ac privilegiis a Romanis Pontificibus cumulata, vix etiam nostris temporibus alia tam consentanea videtur quam Confraternitas Ss. Rosarii.

Illo autem principatu, quem inter omnes Sodalitates ab Ecclesia approbatas tenet Ss. Rosarii Confraternitas, factum esse videtur, ut iam abhinc plus duobus saeculis, praesertim in Germania, multi auctores eam titulo '*Archiconfraternitatis*' exornarent. Quos secuti et nos ipsi cum in aliis opusculis tum in hoc opere

nonnunquam istam appellationem usurpavimus istis praecipue locis, ubi non de particulari aliqua Confraternitate, sed de Confraternitate in genere loquimur. Attamen istud '*Archiconfraternitatis*' Ss. Rosarii nomen intelligendum non est in illo sensu stricto, quo significat aliquam Confraternitatem in certo loco constitutam, ad quam sicut ad centrum quoddam ceterae Confraternitates eiusdem tituli, quae alibi erectae sunt, aggregari necesse habent, ut fiant participes gratiarum ipsi Archiconfraternitati concessarum. Nam statim ac Magister Generalis Ordinis Praedicatorum, cui soli iuxta Apostolica decreta id competit, Confraternitatem Ss. Rosarii alicubi erexit, talis Confraternitas vi ipsius erectionis a Magistro Generali factae et absque ulla aggregatione omnibus gratiis et indulgentiis fruitur, quibus consimiles Confraternitates in Ecclesiis Ordinis Praedicatorum institutae potiuntur.*) Itaque ubi in hoc opere invenies appellationem '*Archiconfraternitatis* Ss. Rosarii', sensu quodam latiore illam accipe, scl. pro Confraternitate inter alias pias Sodalitates principatum honoris obtinente.**)

Quibus praehabitis ad exponendas huius Archiconfraternitatis seu eminentissimae Confraternitatis praerogativas Regina Ss. Rosarii duce atque auspice accedimus. Praemittimus vero quae in historia Ss. Rosarii maioris sunt momenti.

---

*) Vide infra pag. 121 sqq. et 126—128.

**) Verum est quod a S. Pio V. in Bulla „Salvatoris" d. 5. mart. 1572 ipsa Confraternitas Ss. Rosarii Romae apud FF. Praedicatores in Ecclesia S. Mariae supra Minervam constituta *Archiconfraternitatis* titulo insignitur; attamen improprie etiam ibi is titulus adhibitus est, ratione scilicet eminentiae Urbis et ipsius Conventus Minervitani, in quo residet Magister Generalis Ordinis totius Praedicatorum.

De Origine Ss. Rosarii.

A.

SANCTUS DOMINICUS ROSARIUM PRIMUS INSTITUIT.

I.

PROBATUR EX AUCTORITATE.

Ad ambiguitates initio praecavendas hic praemittendum censuimus, quid nomine Rosarii stricte intelligendum sit.

Rosarii nomine non intelligitur ratio precandi tantum per supputationem calculorum, sed prout constans Ecclesiae definitio testatur, per centum quinquaginta Salutationes Angelicas, cuilibet decadi Oratione Dominica cum certis meditationibus totam Domini nostri Iesu Christi vitam demonstrantibus praemissa.

Si primo modo accipias, habes simplicem coronam iam in primordiis Ecclesiae, testibus Palladio et Sozomene, usitatam; habes etiam coronam S. Birgittae, septem dolorum, quinque vulnerum aliasque coronas plurimas, quorum fuerint inventores S. Benedictus Abbas, Beda venerabilis, Petrus Eremita aut quivis alius. Altero modo, si accipiatur, eius institutor est S. Dominicus, nec alius sibi hanc gloriam unquam impunite vindicavit. Haec ostendere nobis est in proposito.

Sanctissimus enim Pater Dominicus, Calarogae, in Hispania sitae, ex nobilissima Gusmanorum Familia

anno 1170 natus († 1221), Sacri Ordinis Praedicatorum Patriarcha et institutor, a Deo electus fuit, ut pestilentissimam Albigensium haeresim, qui teste S. Antonino[1]) non secus ac Manichaei dogmatisabant, debellaret et exstingueret.

Contra hos cum fortis Christi Athleta, vir Dei Dominicus, acriter constanterque praedicaret, saluti insistens animarum, nullum tamen aut exiguum penitus fructum faciens, tandem ad misericordiae Matrem Mariam se convertit eamque fervidissimis precibus interpellabat.

Cui gloriosa Deipara Virgo apparuit eumque edocuit piissimum orandi modum, qui Rosarium Beatae Virginis nuncupatur.

At audiamus Benedictum XIII., qui lectiones secundi nocturni de festo Ss. Rosarii ex decreto sacrae Rituum Congregationis[2]) conscriptas approbavit, quae de Rosarii institutione haec habent:

„Cum Albigensium haeresis sacrosanctae Matris Dei dignitati potissimum infesta in regione Tolosatium impie grassaretur, S. Dominicus, qui eo tempore Praedicatorum Ordinis fundamenta iecit, in eam haeresim debellandam totus incumbens, ob idque Beatissimam Virginem assiduis precibus interpellans, ab ipsa benigne monetur, ut Rosarium omni mentis fervore praedicet velut singulare ad evertendas haereses et vitia exstinguenda praesidium. Est autem Rosarium sive Psalterium sacra quaedam formula precandi Deum in honorem B. V. Mariae, qua per quindecim Salutationis Angelicae decades, interiecta singulis Oratione Dominica, quindecim praecipua Redemptionis humanae mysteria piis meditationibus percensentur. Coepit ergo deinceps

1) Hist. Eccl. IV. tit. II. c. 7 § 5.
2) d. 17. febr. 1726.

incredibili cum animarum fructu saluberrimum Ssmi Rosarii institutum per S. Dominicum promulgari, quem eiusdem institutorem auctoremque[1]) fuisse Leo X., S. Pius V., Gregorius XIII., Sixtus V. ac reliqui Summi Pontifices usque ad haec tempora Apostolicis diplomatibus[2]) profitentur."

S. Pius V. v. gr. sic testatur: „Spiritu sancto, ut pie creditur, afflatus B. Dominicus etc. modum facilem et omnibus pervium ac admodum pium orandi et precandi Deum, Rosarium seu Psalterium eiusdem B. Mariae Virginis nuncupatum etc. excogitavit, excogitatum per S. R. E. partes propagavit orandique modo praedicto per asseclas B. Dominici, fratres videlicet Ordinis praedicti, divulgato et a nonnullis accepto coeperunt Christifideles meditationibus accensi, his precibus inflammati, in alios viros repente mutari, haeresum tenebrae remitti et lux catholicae fidei aperiri et ad hanc orandi formam pro locorum diversitate sodalitates per Fratres eiusdem Ordinis ad hoc a suis superioribus legitime deputatos institui et confratres in eis describi."[3])

Benedictus vero XIV. plura de Rosarii origine composuit, scilicet:

a) „Decretum Urbis et Orbis. Concessionis lectionum propriarum secundi nocturni Officii Ss. Rosarii

1) De hoc facto consulantur, contra Bollandianos et alios, doctissimi viri *Thomae Moneliae* Ord. Praed. liber inscriptus: De Origine sacrarum precum Rosarii, Romae 1725. *Malvendae:* Annales Ord. Praed. Neapoli. 1627. Cent. prima. *Mamachi:* Annales Ord. Praed. Romae 1756, I. 316 — 344. *Iustin. Micchoriens.* O. Pr.: Discursus Praedicabiles. Lugduni 1660, Neapoli 1857, tom. II. disc. 310—350. *Touron* O. Pr.: La vie de St. Dominique. Paris 1739. *Benedicti XIV.* opera hac p. 33 seqq. indicata et excerpta.

2) vide „Series Bullarum" etc. in fine huius libri.

3) Consueverunt d. 17. sept. 1569.

B. M. V. pro universa Ecclesia. Discursus Rmi D. Promotoris Fidei Prosperi Lambertini" [Benedicti XIV.].[1])

Hac in dissertatione, postquam opiniones eorum, qui ad alios auctores referunt Rosarium inventum, lucide refutatae sunt, concluditur:

„§ 39. Quapropter, si Rosarii institutio nec ad Beatissimam Virginem [dum scilicet adhuc in terris viveret] nec ad Apostolos nec ad Patres in Eremo degentes nec ad S. Benedictum nec ad venerabilem Bedam nec ad Petrum Eremitam nec ad Petrum monachum nec ad venerabilem Alanum de Rupe nec ad Dominicum Franciscum referri potest, referenda erit ad S. Dominicum, uti habetur in Apostolicis constitutionibus supra relatis etc.

„§ 43. Quod denique Rosarii devotio fuerit ad universam Ecclesiam a Fratribus Praedicatoribus extensa et habitum fuerit Rosarium tamquam peculiare et pium patrimonium Ordinis S. Dominici, res est, quae probatione non indiget, cum sit plene et sufficienter notoria adeoque Henricus Spondanus in Annalibus ecclesiasticis ad annum 1213 inquit n. 18., ibi: Sed quod et S. Dominici nuper memoriam opportune renovavimus, haud importunum videri debebit, si et meminerimus, his ipsis temporibus, quibus Albigensium haeresis per partes Galliarum et Italiae mire grassabatur etc., praedictum Dominicum etc. excogitasse Rosarium seu Psalterium eiusdem Beatae Virginis nuncupatum" etc.

b) Idem Benedictus XIV. in opere: „De Servorum Dei Beatificatione et Beatorum Canonizatione"[2]) „de

1) Qui discursus numerat 60 §§ et invenitur in *Anal. I. P. 1860 p. 1381;* item apud *Muhlbauer:* Decreta authentica Congreg. Sacr. Rituum etc. collecta ab Aloysio Gardellini, in usum Cleri concinnata. Monachii (E. Stahl) 1865. tom. III. pp. 378—400.

2) lib. IV. parte 2ª cap. X. nº 21 seqq.

Officio in honorem Sanctissimae Virginis Rosarii" tractans, ait ibi:

„Num. 22. Explosis autem praedictis opinionibus [quibus alii ad Apostolos, alii ad S. Benedictum etc. vide pag. 34 supra sub § 39] pia vigebat vigetque adhuc in Dominicana Familia traditio, institutum fuisse Rosarium a Sancto Dominico: licet enim praecessisset precum repetitio, et forte etiam Salutationum Angelicarum, praefinitio tamen numeri centum et quinquaginta Salutationum Angelicarum, et quindecim Orationum Dominicarum, adiuncta quindecim praecipuorum Mysteriorum pia meditatione, soli sancto Dominico uti auctori adscribenda videtur, quemadmodum ex Dominicana Familia sustinent Malvenda in Annalibus Ordinis Praedicatorum ad annum 1215 pag. 132, Iustinus Miechoviensis super Litaniis Beatissimae Virginis tom. 2 per totum, Graveson in Histor. Eccles. tom. 5 pag. 523, et extra Familiam Dominicanam Spondanus in Annalibus ad annum 1213, num. 18, Lezana tom. 3 Annalium ad annum 1086. Profecto quamvis forte desint Auctores contemporales institutionem Sancto Dominico adscribentes, magni nihilominus momenti traditio habenda est, cum pluribus fulciatur adminiculis et coniuncturis: nam praeter argumentum ab enumeratione partium deductum, quod apte concludere videtur pro Rosarii institutione ad sanctum Dominicum referenda, Leo Papa X. in sua Constitutione, quae est ordine secunda in Appendice tomi tertii Bullarii veteris, refert, quod in Historiis legebatur, Sanctum Dominicum in civitate Coloniensi Confraternitatem utriusque sexus Christifidelium instituisse, nuncupatam de Rosario Beatae Mariae Virginis ad honorem Angelicae Salutationis. Quo circa saepe citatus Mabillonius in Praefatione ad

saeculum quintum, ex quodam Chronico Sanctae Agnetis num. 128 haec habet: „Institutio itaque Confraternitatis Rosarii anno 1475 facta est in alma universitate Coloniensi per Doctores sacrae Paginae Praedicatorum Ordinis, immo potius renovata est, quia per Reverendissimum Patrem Dominicum legitur praedicata, licet ad tempus fuerit neglecta et oblivioni tradita.“ Post obitum quoque Sancti Dominici Sanctissimi Rosarii devotio in universo Ordine Dominicano propagata est, veluti antiqua Historiarum monumenta produnt, erudite collecta tom. I Scriptorum Ordinis Praedicatorum inchoato a fratre Iacobo Quetif et absoluto a fratre Iacobo Echard pag. 852, atque etiam in Historia Ecclesiastica Placentina Petri Campi in Regesto Privilegiorum num. 108 pag. 406 tom. II prostat Bulla Alexandri IV. Summi Pontificis data anno 1254*) et idcirco tantum triginta quatuor annis post obitum Sancti Dominici, in qua indulgentiam elargitur Confraternitati Sanctissimi Rosarii erectae in ecclesia Fratrum Praedicatorum civitatis Placentinae.

„Num. 23. Praeter haec, alia non deficiunt adminicula, quae suadent, institutionem Rosarii esse ad Sanctum Dominicum tamquam Auctorem referendam, ut rigidus Censor Baillet ad diem 15. Augusti § 6 num. 33 ingenue dixerit, iniustum esse refragari institutioni Rosarii a Sancto Dominico factae. Quibus omnibus si addantur Romanorum Pontificum Bullae, Leonis videlicet X., de quo supra, Sancti Pii V., quae est octuagesima sexta Bullarii tom. 2, Gregorii XIII., quae est undecima Bullarii tom. 2, Sixti V., quae est vigesima

*) In Bull. Ord. Praed. hoc Breve invenitur datum die 23. ianuar. 1259, unde triginta octo annos post obitum S. Dominici seu post annum 1221.

prima Bullarii tom. 2, Clementis VIII., Alexandri VII., Innocentii XI. et Clementis XI., fateri necesse erit validissimo niti fundamento dictum Malvendae in Annalibus Ordinis Praedicatorum ad annum 1215, pag. 132, ubi haec habet: „Romanorum Pontificum apertissima attestatione exploratissimum esse constat, Sanctissimum Dominicum Praedicatorum Ordinis Fundatorem, Virum Apostolicum, ipsisque Apostolis propemodum conferendum, tam admirabilis ac coelestis plane inventi, nempe Rosarii, non sine Spiritus Sancti afflatu, extitisse excogitatorem, repertorem, auctorem, promulgatorem et clarissimum ubique terrarum Christiani Orbis praeconem."

„Num. 24. Fuerunt haec a me fuse adducta, dum munere fungebar Fidei Promotoris, in dissertatione typis edita, cum anno 1725 in Sacrorum Rituum Congregatione ageretur de concessione Lectionum propriarum secundi nocturni Officii Sanctissimi Rosarii Beatissimae Virginis Mariae pro universa Ecclesia. Fuerunt item ea latius et felicius resumpta ab erudito fratre Thoma Vincentio Monelia Ordinis Praedicatorum in sua Dissertatione Romanis typis edita de Origine sacrarum Precum Rosarii Beatissimae Virginis. In prima autem lectione secundi Nocturni unusquisque eximiam Congregationis Sacrorum Rituum prudentiam poterit admirari, cum non definiendo, sed exponendo, habitoque respectu ad Constitutiones Summorum Pontificum, in quibus utique non exiguum auctoritatis pondus consistere debet, institutionem Sanctissimi Rosarii referat ad sanctum Dominicum: „Est autem Rosarium sive Psalterium etc." [vide supra pag. 32 in fine]. Demum de institutione Rosarii legi possunt Acta Sanctorum a Continuatoribus Bollandianis edita ad diem

4. mensis Augusti in vita Sancti Dominici, quae post haec iam scripta a Nobis visa sunt. Legi quoque possunt scripta nomine Christiani Catholici, missa viris pacificis Antverpiensibus editoribus Actorum Sanctorum X. Kalendas maii 1734, ubi haec habentur: „Quaeritis, an Sanctus Dominicus instituerit Deiparae Rosarium? Ancipitis animi vos esse fingitis etc. Verum quid de tot oraculis Summorum Pontificum, Leonis X., Pii V., Gregorii XIII., Sixti V., Clementis VIII., Alexandri VII., Innocentii XI., Clementis XI., Innocentii XIII., Benedicti XIII. aliorumque, quibus visum est, Sanctum Dominicum fundatorum esse Rosarii?“ etc.

c) In Commentario: „De Festis Domini Nostri Iesu Christi Matrisque eius“*), ubi agitur „de festo Rosarii Beatissimae Virginis“, idem Summus Pontifex Benedictus declarat, quae sequuntur:

„Num. 159. Id autem quibusdam haud ita facile persuaderi potest; quibus magnus haeret ille scrupulus, nullum S. Dominico coaevum esse Scriptorem, qui tradat, eum fuisse Rosarii institutorem; multosque contra esse viros graves, qui non putant S. Dominicum eiusmodi precandi ritus auctorem: quidam enim ipsum S. Benedicto tribuunt, alii Venerabili Bedae, alii Petro cuidam Eremitae, alii Fratri Alano de Rupe, qui fuit Ordinis Praedicatorum.

„Num. 160. Huic obiectioni, ex eo petitae, quod auctores desint coaevi, qui Rosarium S. Dominico tribuant, accurate respondet Monelia cap. 6, ubi vários multiplicesque casus commemorat, puta bella, pestem et incendia, quibus probabile est huius rei monumenta intercidisse. Sed illud omnem videtur difficultatem amoliri, quod

*) tom. II, part. 2.

perpetua fuit in Ordine Praedicatorum traditio, S. Dominicum Rosarii fuisse auctorem. Eam vero traditionem graves amplexi sunt scriptores, probaruntque Romani Pontifices, nec validis destruitur coniecturis, quas mox proferemus.

„Num. 163. Plura in Rosario considerari possunt. Primum est pia consuetudo recensendi ad globulos Salutationes Angelicas, ut earum ratio constet, quae S. Dominico antiquior est; testatur enim Sozomenus in Hist. Ecclesiast. et Palladius in Historia Lausiaca, veteres eremitas ad eundem modum precum suarum rationem supputasse, quod ipsi nos etiam observavimus cit. cap. 10 num. 11 etc.

„Haec omnia profecto Rosarii fuerunt quodammodo rudimenta. Verum cum Rosarium constet certo quodam Orationum Dominicalium et Salutationum Angelicarum numero, quibus recitandis interea quaedam Redemptionis nostrae mysteria contemplamur; atque huius precandi ritus et formulae nullum ante S. Dominicum exstet vestigium; quis iure S. Viro honorem detrahat eiusmodi piae inventionis, reiiciatque piam, vetustam, constantemque traditionem Venerabilis Ordinis Praedicatorum, quam in suis Constitutionibus probarunt Romani Pontifices et in Lectionibus Breviarii, quae ab universali leguntur Ecclesia, relatam voluerunt? cum praesertim non desint monumenta, quibus ostenditur, post S. Dominici obitum, nulla interiecta mora, in Ordine Praedicatorum eiusmodi precandi ritum esse propagatum. Circa dimidium saeculi 13. Humbertus Delphinus abdicato principatu etc.; ac in aeneo eius sepulchro exsculpti sunt Fratres quidam Dominicani Rosarium manu gestantes. Vide Biblioth. P. Echard, tom. I, pag. 352 et tom. II, pag. 271, ubi monumenta

simul congesta reperies, quae in hanc rem mirifice faciunt. In Placentinae Ecclesiae historia etc. [ut supra]. Quae omnia traditionem validius confirmant, ut Bailletus, vir alioquin intemperantioris ingenii, iniquum esse fateatur, gloriam eiusmodi S. Dominico detrahere" etc.

Haec omnia Benedictus XIV.

Leo XIII. autem feliciter regnans his utitur verbis: S. Dominicus „pugnare pro Ecclesia catholica excelso animo aggressus est, non vi, non armis, sed ea maxime precatione confisus, quam sacri Rosarii nomine ipse *primus* instituit et per se suosque alumnos longe lateque disseminavit."[1])

Denique in Decreto Urbis et Orbis d. 10. dec. 1883 dictum est ita: „Ad praesidium columenque militantis Ecclesiae excitavit misericors Deus Dominicum Guzmanum, inclitum Ordinis Praedicatorum conditorem et patrem, qui pugnare pro Ecclesia catholica aggressus est, maxime precatione confisus, quam sacri Rosarii nomine *primus* instituit et per se suosque Alumnos longe lateque disseminavit."[2])

Caetera diplomata suis locis inserentur, in quantum videbitur.

Cum igitur clarissima Summorum Pontificum attestatione iam satis superque constet, Sanctum Dominicum Psalterii seu Rosarii Mariani institutorem primumque praeconem fuisse: nihilominus, ad augendam fidelium erga Rosarium devotionem, pauca lubet addere ex his, quae de admiranda et quovis stupore dignissima hac institutione pie scripta sunt.

1) Cfr. supra p. 5.
2) Cfr. supra p. 15.

II.

PROBATUR EX EIS, QUAE DE SS. ROSARII INSTITUTIONE LEGUNTUR.

Bzovius narrat haec: „Audivit Regina misericordiae preces servi sui Dominici seque illi quadam die ferventissime oranti in manifesta visione conspicuam exhibuit et multo splendore et gloria circumdata sic eum allocuta est: Bono animo esto, Dominice! Nosti quanto impendio sanguinis et vitae amantissimo Dei Patris et meo Unigenito salus hominum steterit; non vult ipse perire, quos salvavit et redemit. *Hoc itaque tot malis magnum erit remedium. Rosarium institue, eamque precandi formulam, quam tibi trado, homines edoce, ac tum filio meo tum mihi longe esse gratissimam admone. Hoc erit unicum ad evertendas haereses, vitia extinguenda, virtutes promovendas, ad impetrandam divinam misericordiam accomodatissimum, populis salutare et contra quaevis adversa praesens auxilium, magnum ac singulare in Ecclesia instrumentum.* Volo autem atque iubeo, ut tu tuique in Religione Praedicatorum successores huius coelestis et a me excogitati ritus sitis perpetui praecones et annuntiatores, unde ingentes utilitates in animis fidelium orientur neque ipsa ope auxilioque sequentibus subinde signis unquam defuero. Istud eximium ac singulare donum a me tibi et surrecturo mox Ordini pacto firmo in aeternum sit.“[1])

Alanus[2]) autem Brittanus de inchoatione Rosarii hunc fere in modum ex revelationibus sibi factis refert:

Cum B. Dominicus in regione Tolosana constanter concionibus, disputationibus, scriptis, signis et portentis

1) Bzovius Annal. tom. XIII, anno 1213, num. II. Iust. Miechoviensis. tom. II, Disc. 310, num. 15.

2) De quo infra fusius.

Albigenses haereticos sacrosanctae Matris Dei dignitati potissimum infestos oppugnaret, iamque triennium forte et amplius ingenti labore, exiguo fructu esset absumptum; obstinatam haereticorum voluntatem, execranda scelera horrendasque impiorum in castissimam Deiparentem blasphemias diutius ferre non sustinens; in proximam Tolosatibus sylvam se recepit, ibique augustissimae coelorum Reginae, cui singulare est, maledicti serpentis caput proterere omnemque haeresim interimere atque extinguere, opem praesidiumque ardentibus suspiriis ac multo lacrymarum imbre, adiunctis etiam durissimis corporis castigationibus, impensius est deprecatus.

Tertio tandem die, cum inter verbera fractis viribus collaberetur, fortissimo pugili adfuit benignissima Mater his eum verbis compellans: „Fili mi, Dominice, quia adversus fidei meosque hostes strenue depugnasti, ecce tibi adsum opem auxiliumque allatura.“ Dixerat: cum tres speciosissimae regio cultu ornatae virgines humi-iacentem attollunt, et Deiparae sistunt, quem ipsa in virgineos amplexus accepit.

Tunc illa rursus ad eum: „Carissime Dominice; nunquid scis, quae et qualia arma Trinitas beata acceperit, cum totum mundum reformare voluit?“ Cui ille: „O Domina! tu melius me nosti: per te enim salus data est mundo: per te nostra omnium reparatio coepta est.“ Et illa: „Dilecte mi Dominice, beata certe Trinitas, ut omnia peccata deleret, arma non elegit alia, quam Psalterium Angelicum, quod est totius novi testamenti fundamentum. Quocirca si fructum exoptas tuae praedicationis, commenda et inculca Psalterium meum, et brevi tantorum malorum finis apparebit.“

Dixit, et B. Dominicum de sacratissimi Rosarii

ritu, praestantia, utilitate, et mira virtute plenissime instruxit, ac denique Tolosam ire iussit praedicare Rosarium, ac bono animo esse.

At nova Dominicum sollicitare coepit anxietas, quod propter haereticorum furorem modum non videret Rosarii publicandi: unde iterum Deiparae genibus advolutus, sic eam queribunda voce affatur: „O Domina! tu nosti, quanta vi id genus hominum obsistat, ne praedicem: tu nosti multas et malas illorum adversum me machinationes. Quomodo ergo illis salutare Psalterium tuum annuntiare potero?“

Cui illa: „Vade, inquit, Tolosanam ipsam urbem intrepidus ingredere, ne timeas a facie eorum, quia tecum ego sum, eroque protectrix vitae tuae. Vade, ego tibi pro sacris rostris dicturo confertam hominum concionem adesse faciam: faciam quoque, ut tua verba vel inviti excipiant.“

Ille recta via cucurrit in Urbem: et ecce Cathedralis aedis campanae ultro consonant simul omnes. Fit concursus ad sacram aedem. Videtur hic Dominicus, auditur de Rosario. At mox obstrepentibus haereticis, et vel abiturientibus, vel peius aliquid in caput eius molientibus, coepere horrendum in modum mugire tonitrua, frequentissima coruscare fulgura, venti omnes effusi fremere, terra concuti, ut suprema dies omnibus adesse videretur, nec quisquam auderet templo egredi. Pergit porro Dominicus: et alius continuo auditur in aëre cacodaemonum planctus et ululatus: Vae, vae nobis! quia ab Angelis per Psalterium religamur catenis igneis. Inter haec visum in Ecclesia Deiparae simulacrum (quod casu forte ibi permanserat) protensa manu omnibus minitari, ac si diceret: „Nisi hunc famulum oratoremque meum benigne audiatis,

et Psalterium, quod vobis offert, amplectamini, actum de vobis est.“

Tantis hisce signis territi Tolosates pallent, tremunt, inhorrescunt, victas manus ad comminantem Virginem tendunt, magnisque omnes lacrymis et vocibus veniam deprecantur. Audiit benignissima Dei Mater, et illico in clementiae signum minitabundam manum retraxit, et elementa compescuit. Sedata tempestate vir Dei Virginisque orator Dominicus de Rosarii praestantia, utilitate, methodo recitandi et virtute, omnibus eius verba avide excipientibus, concionem est prosecutus.

Exinde mox illustria et admiranda prorsus prodigia per istud Mariae Rosarium sunt patrata, quorum aliqua in sequentibus subiiciemus.

Deinde Alanus his verbis ipsis scribit: „Dominicus est Apostolus ille Psalterii, de quo alma Dei Virgo, non semel ei facta revelatione, mandatum formamque dedit eiusdem praedicandi etc. Zelo aestuans ac dolore in cavernosa proximae sylvae abdita sese aliquando solum coniicit ad Deiparae suae impensius opem implorandum. Ieiunia precibus iungit, corporisque diras castigationes. Inter haec triduum tenuerat, poenas de se pro Tolosanorum culpis repetens etc. Collapso cruentatoque adest Athletae Patrona sua Coeli Regina potens ac vultu, affatu amplexuque iacentem excitat velut redivivum. Divae Reginae Coelitum tres aliae, vultu cultuque persimiles, nisi quod inferiores, astabant comites Reginae, quarum quamque, sicut assequae, virgines quinquaginta circumsistebant, forma omnes supra hominem augustiores, armis illustres. Obstupuit visu in medio S. Dominicus. Ad quem Alma Virgo parens: „Dominice, inquit etc. Trinitas Beatissima ad

orbis expugnanda scelera universa praecipua sibi inter arma delegit Angelicam Salutationem, qua nostrum constat Psalterium etc. Istius in signum ecce *tres* mecum Reginae sanctissimam Trinitatem repraesentant.

1) Harum, ut cernis, prima candidissimo nitens cultu *Patris* designat *Potentiam:* quam in Filii sui, ex me nati sanctissima Incarnatione manifestavit. Hanc quoque quinquaginta Virgines item candore venerabiles designant primum Iubilaeum gratiae et gloriae in et ab Patris esse Potentia.

Secunda Regina, ostro et purpura rubens *Filii* denotat *Sapientiam,* quam in mundi per Passionem suam Redemptione declaravit. Illius comites quinquaginta pari insignes purpura Virgines admonent alterum quinquagesimi anni Iubilaeum gratiae et gloriae ex merito Christi passi descendere.

Tertia Regina convestita stellis, *Clementiam Spiritus Sancti* demonstrat, quam in redempti orbis sanctificatione misericorditer ostendit. Assistrices ei quinquaginta Virgines, stellis undique coruscae, spondent, Iubilaeum tertium gratiae et gloriae in et ex Spiritu Sancto promanare.

2) Porro noveris: Ego ut trium Reginarum sic et Iubilaeorum sum Regina, trium in via et in patria, nimirum Legis naturae, scriptae et gratiae, quae totidem in Beatorum felicitate perennant. Quae causa est, cur Beatissima Trinitas isthunc mihi numerum CL sanctificatum dicavit et consecravit in Psalterio meo. Cuius idcirco prima quinquagena de Incarnatione pura candet, secunda de Passione Filii purpurata rubet, tertia de eiusdem Resurrectione Sanctorumque gloria stellata coruscat.

3) Age nunc igitur, mecum hoc capesse, Psalterium

et constanter id praedica; hoc lauda, hoc commenda! maxima protinus divinae Potentiae mirabilia videbis.“ Dixit, seque super astra recepit.“[1])

Plures alias legendas adducere possum, quae omnes in idipsum conveniunt, S. Dominicum mirum in modum ab ipsa B. Maria V. Rosarium accepisse eiusque primum institutorem ac praeconem fuisse.

III.

PROBATUR EX HISTORIA.

P. Thomas Maria Mamachi, auctor gravissimus, in suis Annalibus[2]) tractat de bello Albigensium deque victoria, quam catholici apud Murelliam [Muretum] reportaverunt. Deinde pergit scribens pag. 316 seqq.:

„Hac tam illustri victoria, prostratis exigua catholicorum manu tantis opibus haereticorum, facile sibi persuaserunt nostri, eam pugnam non tam robore et virtute militum quam Dei Optimi Maximi beneficio, quum episcopi pugnae tempore una cum Dominico in templo mansissent divinamque opem effusis precibus implorassent, bene feliciterque evenisse. Ac ferunt etiam, quum esset animadversum, eo tempore nostros vicisse, quo primum tempore Dominicus rationem orandi promulgasset, quae Rosarium appellata est, in hanc omnes cives Murellianos sententiam venisse, ut eam precum seriem instinctu afflatuque divino fuisse a Dominico excogitatam, eandemque gratissimam esse Deo et Virgini; magnamque illi vim inesse et ad im-

1) Ex „Beati Fr. Alani Redivivi Rupensis Tractatus mirabilis de Ortu atque Progressu Psalterii Christi et Mariae eiusque Confraternitatis.“

2) Annal. Ord. Praed. Romae 1759, tom. 1, p. 211—319. — Lacordaire, Vie de St. Dominique chap. VI.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

petrandam divinam opem et ad impetus repellendos viresque inimicorum profligandas arbitrarentur. Itaque hoc sibi omnino conandum existimasse, ut praeclaram adeo atque utilem orandi rationem non solum frequenter ipsi usurparent, sed commendarent etiam memoriae hominum sempiternae.

„Huius rei caussa in S. Iacobi aede [oppidi Mureti seu Murelli, in Francia meridionali siti] eo ipso anno sacellum aedificasse Deoque in honorem B. Virginis, quae Rosarium tradiderat, dedicasse et pictam de ea re imaginem apposuisse atque epigramma sacelli foribus inscripsisse. Haec autem omnia, cum adhuc supersint [anno scl. 1756], magno esse argumento, non inanem neque falsam Murellianorum civium esse opinionem, qui communi consensu iam inde ab anno 1213 eo tempore eamque ob caussam, quam paulo ante commemoravimus, et sacellum constitutum et pictam tabulam et epigraphen scriptam censent. Nam ipsum sacelli et tabulae opus et formam litterarum, quibus scriptum epigramma est, esse huiusmodi, ut periti antiquitatum viri, qui ea viderint, seculo omnino XIII. confecta fuisse iudicent. Esse autem tabulam in hunc modum pictam. Medium tabulae locum Deiparae imaginem occupare. Huic imagini ad latus unum tabulae imaginem Dominici adpictam esse, qui in genua provolutus dextera crucem sustineat, cui affixus est Christus, cuique infixa sunt tela tria; sinistra autem manu Rosarium sibi a Deipara oblatum accipiat. Alterum tabulae latus Fulconis Tolosatium episcopi et Simonis Montfortii imagines, utramque flexis genibus exhibere. Nimirum totam proelii et victoriae rationem depictam esse in ea tabula. Non enim Deiparae solum, cui potissimum eam nostri victoriam acceptam referrent, sed Dominici etiam,

qui Deiparae eiusdem monitu Rosarium instituisset, opemque divini numinis tam necessario tempore tam insigni precum serie catholicis impetrasset, et Fulconis episcopi, qui milites adhortatus mox in templum secesserat ibique precibus, cum proelium commissum esset, se dederat, et Simonis Montfortii, qui imperator erat catholici exercitus, imagines depingendas Murellianos existimasse.

„Cuius tabulam similem alteram eodem fere tempore confectam atque in aedibus Inquisitorum positam (in qua Virgo Deipara Rosarium manu sustinens depicta sit, Sanctus autem Dominicus crucem manu gerens) in sacra Tolosatium Dominicanorum aede nostra etiam aetate parietibus appensam cerni.

„Sed aliud praeterea eiusdem rei argumentum esse, idque iam multo est illustrius. Nimirum Occitaniae provinciae scribam, quem *Notarium* vocant, eo ipso anno 1213 mense Octobri Murellianam pugnam clade haereticorum celebratissimam in publicas tabulas retulisse, tum carmina poetae cuiusdam, quem minime nominaret, incompta illa quidem, quae tamen ad hanc rem maxime pertinerent, adscripsisse, quibus carminibus poeta gratulatus Dominico de instituto Rosario fuerat, cuius praesidio atque ope tam illustrem de haereticis victoriam catholici reportassent. Addunt, vim esse maximam huius argumenti, propterea quod ex tabulis, quae anno 1213 auctoritate publica a scriba confectae fuerint, desumtum sit. Iamvero verba, quae iis versibus continentur, omnino ad Rosarium spectare atque hunc sensum ferre: Dominicus instituto Rosario coelum ac terram commovit impetravitque eo precandi ritu, ut pugna catholicis prospere feliciterque eveniret etc.; alia enim ulla ratione quemadmodum accipi intelligique

possint, ne in mentem quidem cadere. Sunt autem carmina huiusmodi:

Iesus, amor dulcissimus,
Exstinxit tandem perfidos,
Virgoque, flos castissimus,
Tot conculcavit rabidos.

Iam exsultans Gallia dicit:
Augusta Maria vicit
Turbantes hostes pessimos;
Dominicus orans flevit,
Dominus pugnans delevit
Nebulones saevissimos.

Quis poterit satis gaudere,
Satis valorem et audere
Nostrae laudare cohortis?
Dum putat hostis se tenere
Omnia, et nihil remanere,
Fatum patitur exortis.

Dominicus rosas afferre
Dum incipit tam humilis,
Dominicus coronas conferre
Statim apparet agilis.

Quanta manet in cordibus
Consolatio et laetitia,
Cum purgantur a sordibus
Infideles in provincia!

Veritas surgit triumphans,
Quia Dominicus praedicans
Coelum et terram commovit:
Cessat serpentis sibilus,
Redeunt melos et iubilus,
Quod Christus nimbos amovit.

Iam fides poterit regnare,
Crux libere frontem signare,
Nec haeresis insultabit.
Liberi sumus a moerore,

Quia liberati a furore,
Nec pax rursus evolabit.

Dominicus ab oratione
Finem malorum obtinet
Et, dum pugnat praedicatione,
Sortem iustorum sustinet."

Ita Mamachi.

S. Dominicum primum Rosarii inventorem et institutorem esse plurima alia monumenta v. gr. imago codicis Perusini anno 1347 picta etc. (Mamachi pp. 234 et 326 sqq.) comprobant, quae suis locis infra inseremus in articulo: „De nominibus Ss. Rosarii", de quibus tamen fusius tractare a nostra intentione est alienum. Non enim est propositi nostri, Ss. Rosarii historiam texere, sed insistere solummodo iis, quae huic devotioni promovendae necessaria videntur, ut a Rectoribus sciantur et intelligantur. Qua de causa hanc primam partem historicam ne tangere quidem volebamus, sed amicorum precibus ad id adducti sumus, ut aliquid saltem ex historia Rosariana proferremus, pauca tamen, ne opusculum nimis amplum evaderet. Accedit, quod, cum plurima huius rei documenta in bibliothecis praesertim regionum septentrionalium quasi sepulta iaceant, historia haec nondum satis explorata est et inquisita, nobisque chartas has indagandi deest otium. Quod, benevole lector, prae oculis habeas, quaeso, in omnibus, quae de historia Rosariana postea proferemus.

B.

SANCTUS DOMINICUS SS. ROSARII CONFRATERNITATIS AUCTOR.

Non solum saluberrimam Ss. Rosarii devotionem S. Dominicus invenit, sed etiam, ut maiori efficacia et perseverantia fideles illi incumberent, B. Mariae cultores in unam Rosarii societatem collegit, ad quod probandum procedamus.

I.

PROBATUR EX AUCTORITATE.

1) Ad probandam hanc thesim sufficiat, ut in memoriam revocemus testimonium S. Pii V. a nobis supra p. 33 allatum. Alia testimonia, alterum Alexandri Episcopi Foroliviensis, Legati a Latere nec non Nuntii Apostolici. datum anno 1475, alterum Leonis X. Papae anno 1520 vide infra, ubi de renovatione Confraternitatis Coloniensis.

2) Adde ex Discursu de Rosario D. Promotoris Fidei Prosperi Lambertini, qui postea sub nomine Benedicti XIV. ad Summum Pontificatum evectus est: „Elapsisque triginta quatuor annis ab obitu S. Dominici concessa fuit anno 1254*) ab Alexandro IV. Summo Pontifice indulgentia Confraternitati Ss. Rosarii, erectae in ecclesia Fratrum Praedicatorum, civitatis Placentinae, et Apostolicae huius Pontificiae literae, promotae ex archivio conventus S. Ioannis dictae civitatis Ordinis Praedicatorum, impressae sunt per extensum post tomum secundum historiae ecclesiasticae Placentiae Petri Campi in regestis privilegiorum n° 108

*) Cfr. notam p. 36.

p. 406 tom. II, ubi idem auctor, p. 216, institutionem refert dictae Confraternitatis in ecclesia eorundem Fratrum Praedicatorum."[1])

Ut infra videbimus, haec indulgentia diversis aliis Ss. Rosarii Confraternitatibus eodem fere tempore concessa fuit.

3) Confraternitatem Psalterii seu Rosarii Beatae Virginis revelante et praecipiente eadem Dei Genitrice semperque Virgine Maria per B. Dominicum institutam multisque signis et miraculis in diversis mundi partibus fuisse confirmatam, docet Alanus his verbis: „Volens Beatissima Dei Mater Virgo Maria gratiam suam amplius per hoc in mundum multiplicare, per Dominicum, eundem Sponsum suum cordialissimum, mandavit confratriam Psalterii huius fundari, quae habet intitulari Confratria Domini nostri Iesu Christi et Beatissimae semper Virginis Mariae etc. vel Sanctissimi Rosarii Fraternitas seu Confraternitas."[2])

II.

IDEM PROBATUR EX HISTORIA.

Ante saeculum undecimum Angelicam Salutationem inter fideles in usu non fuisse constat, cum in favorem contrarii nullum reperiatur vestigium. Symboli etenim et Orationis Dominicae ante saeculum undecimum mentio habetur, quocirca Eligius in homiliis ad

1) Anal. I. P. 1860, p. 1381. In Bull. Ord. Praed. tom. I, p. 370 legitur: „Ex Petro Maria Campi Histor. Placent. Parte II. in Regesto ad An. 1259 (23. ian.): „Alexander Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Rectoribus, Confratribus et Sororibus universis Fraternitatis B. Mariae Placentin." etc. cum hac nota: „Huiusce Diplomatis argumentum sic paucis exhibet Campi laudatus: Un' altra indulgenza per la Compagnia del Rosario instituita nella Chiesa di S. Giovanni di Canali."

2) Op. cit. div. locis diversimode repetitum.

populum ab Audoeno relatis ait: „Symbolum et Orationem Dominicam cum fide et devotione dicite“, et in sermone Leonis Papae IV. († 855) legitur: „Attendite, ut parochianis vestris Symbolum Apostolorum et Orationem Dominicam insinuetis“, nec alio modo loquuntur concilia Cloveschoviense in Anglia et in Germania Francordiense, Moguntinum anno 1131 et alia.

Odo Parisiensis Episcopus primus vel saltem inter primos fuit, qui anno 1198 statuit, Salutationem Angelicam addendam esse Orationi Dominicae et Symbolo, dicens: „Exhortentur populum semper Presbyteri ad dicendam Orationem Dominicam et Credo in Deum et Salutationem B. Virginis.“ Idemque omnino totidem verbis anno 1246 praescribitur a Decanis ecclesiae Rothomagensis et abinde citra Salutationis Angelicae precatio fere in legem evasit apud omnes.

Ex his et aliis facile cumulandis desumitur, ante annum 1198 nec Rosarium nec eius Confraternitatem exstitisse, utrumque tamen paulo post coeptum esse.

Eodem tempore S. Dominicus, adhuc Canonicus Regularis Osmanensis, strenue pugnabat adversus Albigenses, qui Christum Incarnatum eiusque Matrem Virginem blasphemiis et haeresibus scelestissime offendebant. Idem Sanctus, postquam Ordinis Praedicatorum sub auspiciis Beatissimae Virginis factus fuit institutor, omnibus viribus insudavit, ut ad retundendam impiae haereseos insaniam et excitandam in suo novo Ordine devotionem erga Sanctissimam Virginem, vitae Christi mysteria simul et Mariae preces et laudes sacro et novo ritu in Ecclesia introduceret. Secundum temporum circumstantias et statutum Odonis hic sacer et novus ritus debuit fundari in Salutatione Angelica,

quae est compendium verae doctrinae de Incarnatione D. N. I. C. et fundamentum totius Cultus B. Mariae Dei Genitricis Virginis. Contraria contrariis medentur: Albigensium haeresis aptius et efficacius profligari non potuit quam assiduo et ferventi exercitio Salutationis Angelicae.

Qua persuasione ducti Dominicus eiusque Fratres ubique cum omni zelo hanc Salutationem praedicabant et exponebant[1]), ita ut ab omnibus Fratres Mariae vocarentur. Spiritus Sancti afflatu, Sanctus Patriarcha invenit novum ritum, qui Rosarium nuncupatur, et ad consolidandum hunc ritum in reparationem honoris Christi Incarnati nec non Dei Genitricis Virginis contra blasphemantes haereticos necessarium erat, ut Religionis hosti feroci opponerentur copiae certis statutis disciplinatae, liga sancta, Ss. Rosarii Confraternitas.

Huic piae, sed rationabili coniecturae adstipulantur nonnulla historica documenta, „quibus, ut Prosperi Lambertini[2]) verbis utar, ostenditur, *ab ipso S. Dominico Rosarii Confraternitates fuisse institutas* et Rosarii devotionem post eius obitum fuisse in suo Ordine propagatam et subinde ab eiusdem Ordinis Fratribus ad universum catholicum orbem extensam, ita ut Rosarium habitum fuerit tamquam peculiare et pium patrimonium a S. Dominico suo Ordini relictum."

Quamvis Prosperi Lambertini et aliorum[3]) „non-

1) Huius rei testes sunt doctissimi Ordinis Principes illius saeculi v. gr. Vincentius Bellovacensis (de Beauvais) et S. Thomas Aquinas, qui devota opuscula super Salutationem Angelicam composuerunt, et B. Albertus Magnus, cuius opuscula 1) Mariale seu super „Missus est Angelus Gabriel", 2) De laudibus B. Mariae Virginis (de cuius operis auctore tamen disputatur), 3) Biblia Mariana totum explent tomum 20 editionis Lugdun. 1651.

2) Disc. de Ros. cit. no. 40.

3) Mamachi p. XLIX seqq., p. 324 et in appendice p. 376 seqq.

nulla historica documenta" non probent peremptorie, tamen, acclamante toto orbe et Summis Pontificibus suis diplomatibus concinentibus, constans fuit traditio, inventum et institutum esse Rosarium eiusque Confraternitatem a S. Dominico.

Atqui regula est, id quod traditione ad nos pervenit, tenendum esse, ni contrarium aperte atque invicte probetur; ideoque cum nusquam sit probatum, S. Dominicum Ss. Rosarii Confraternitatem non fuisse auctorem, nec alius auctor possit recte designari, non est, cur dubitemus, quin S. Patriarchae Dominico hic honor sit vindicandus: „Quoniam ita nostri tradidere Maiores."[1])

Verum est, scriptores S. Dominico coaevos omnes de auctore tum Ss. Rosarii tum Confraternitatis profundissimum observare silentium, quo ex silentio innumera pullulabant argumenta negativa. Satis autem notum est, quam leve sit negativi argumenti pondus contra positiva disertaque testimonia. Unde Amat de Graveson[2]) scribit: „Proclive est ostendere, morosos illos criticos hallucinari; et primum quidem argumentum, quo nituntur, mere negativum est, ac subinde iuxta peritorum criticorum regulam nullius momenti ac ponderis esse debet contra positiva disertaque ali-

---

adducit Testamentum Antonini Sersii d. 9. febr. 1221, in quo Dominicus adhuc vivens huius Confraternitatis fundator appellatur expresse: „dela confradia, que fundado hà el buen Domingo de Guzman con sobredho [supradicto] Señor Obispo de Tello, al Santo Rosario," onde so [sum] confrade etc." Quamvis hoc argumentum esset peremptorium, nolo tamen eo uti, quia Pollidorius, unus ex Mamachii collaboratoribus, postea in suo opere: Vita di S. Domenico, Fondatore dell' Ordine de' Frati Predicatori, Roma 1777, Prefazione p. XIV, authenticitatem illius documenti, nescio, qua ratione ductus, reiicit.

1) S. Hieronymus contra Luciferianum.

2) Hist. Eccl. tom. V, p. 522.

orum scriptorum testimonia, contra avitam ac perpetuam traditionem, quae a tempore S. Dominici ad nostra usque tempora in Ordine Fratrum Praedicatorum iugiter fuit conservata, contra etiam Diplomata Romanorum Pontificum Leonis X., S. Pii V. et Sixti V., qui profitentur, S. Dominicum esse auctorem Rosarii" et Confraternitatis eiusdem.

Facta est autem, teste B. Alano, haec prodigiosa Psalterii promulgatio et Confraternitatis institutio saluberrima circa annum 1213, tribus nimirum aut quatuor annis ante Ordinem Praedicatorum conditum, quem constat ab Honorio III. Summo Pontifice confirmatum esse anno salutis 1216.

Hae igitur, ut ait P. Thomas Leonardi Ord. Praed.[1]), sunt tres B. Dominici adinventiones: Rosarium Beatissimae Virginis, Archiconfraternitas sub invocatione Rosarii eiusdem gloriosae Virginis et sacer Praedicatorum Ordo. „Dicite iusto, quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet."[2]) Iam, inquam, mercedem adinventionum suarum comedit in coelis, quasi fructum capiens bonorum excogitatorum, Dominicus ille sanctissimus, de cuius iustitia Gregorius IX. coram Cardinalium collegio testimonium perhibuit: „Tantum de huius viri sanctitate dubito, quantum de sanctitate Apostolorum Petri et Pauli."[3])

1) In Thesauro Gratiarum Ss. Ros. Lovanii 1646, p. 25.
2) Isai. 3, 46.
3) Stephan. de Salanhac Ord. Praed. († 1278): De quatuor novissimis.

De Archiconfraternitatis Ss. Rosarii progressu ab eius exordio usque ad annum 1350.

Cum Ordinem tum Confraternitatem a S. Dominico constitutam mirifico cum Ecclesiae emolumento orbem universum peragrasse longe lateque probant et describunt Mamachi ceterique supra p. 33 enumerati et alii plurimi. Unde cum Confraternitatis historiam texere non sit nostri propositi, tria solummodo monumenta hic inserere sufficiat.

I.

STATUTA CONFRATERNITATIS PRIMA EX ANNO MCCL.

B. Humbertus, Ordinis Praedicatorum quintus Magister Generalis († 1274), in libro sermonum de Fraternitate B. Mariae Virginis ista inter alia scribit:

„Confratrias ad exemplum primitivae Ecclesiae coepisse credendum est; ut enim tunc

1) congregati 2) erant cor unum 3) sanctis operibus vacabant 4) sua in communi ponebant, ita et nunc in confratriis B. Virginis, maxime per Italiam. Et nota: Hoc valet ad Spiritum Sanctum accipiendum, quia sic congregatis et occupatis supervenit. Beati servi, quos sic invenit Dominus. Ibi viget fraterna correctio, quia Spiritus Sanctus arguet de peccato.“*)

„Sequitur etiam multiplex fructus. Nam

1) conveniunt [confratres] in locum religiosum ad Missam;

*) Humbertus lib. 2. serm. 59.

2) Ibi fit sermo et instructio ad fratres;
3) Faciunt de bonis suis eleemosynas et luminaria;
4) Fiunt commemorationes confratrum defunctorum;
5) Fiunt correctiones male se habentium;
6) Fiunt orationes et eleemosynae pro invicem;
7) Fit quilibet confrater particeps bonorum omnium supradictorum. Haec enim est differentia inter fratres carnales et spirituales, quod illi dividunt communia, hi communicant propria. Ideo iustum est etiam, ut sua communicantibus communicetur Spiritus Sanctus, qui datur calcantibus terram et concordibus spiritu.
8) Ut per matrimonia, sic per confraternitatem contrahitur amicitia et adiutorium Fratrum; nam „Vir amicabilis ad Societatem magis amicus erit.“ Prov. 8;
9) Nulla fit obligatio iuratoria, et hoc caute;
10) Superbi non sunt apti ad huiusmodi Societatem. Superbus enim nescit esse frater propter coaequalitatem, sed vult esse Dominus per excellentiam; similiter discoli, sunt enim animalia immitia.“*)

Haec B. Humbertus de confraternitatibus B. Mariae Virginis, quibus ipse, utpote Magister Generalis Ordinis Praedicatorum, praeerat. Unde prisca Fraternitatis facies satis elucet.

Nulla fit mentio de obligationibus singulorum, quae omnibus notae supponuntur.

Confraternitas ab Humberto non vocatur Rosarii, sed Mariae Confratria, et hoc, quia a sua origine idem habuit nomen cum cognato sibi Ordine religioso commune.

Nomen Fraternitati nostrae duplex est. Alterum

*) Humb. lib. 2. serm. 90.

proprium, quo a ceteris distinguitur omnibus Fraternitatibus diciturque *Fraternitas Rosarii.* Alterum commune cum Religiosis Praedicatorum et Carmelitarum, quo dicitur Fraternitas Mariae et descripti in eam *Fratres Mariae* appellari consueverunt. Hoc ipsi nomen S. Dominicus dedit, cum primum eam in Domino genuit, teste Alano.

Deinde idem illi nomen adhaesit vulgo propter sedulam Sanctissimae Virginis Mariae invocationem et continuam eiusdem Dei Genitricis commendationem. Quare Praedicatores Rosarii primum, deinde similiter Praedicatorum sequaces in Confraternitate cultores communiter Fratres Mariae vocari coepti sunt eo, quod illi praedicando, hi orando eximiam operam Ecclesiae navabant sub Patrona Virgine Maria.

Quo quidem titulo communiter usi sunt per plures annos usque dum Innocentius III. et praesertim Honorius III. in confirmatione Ordinis Patribus nomen „Fratrum Praedicatorum" imposuit.

Hac igitur vulgata et haerente iam Ordini appellatione, ista „Fratres Mariae" deinceps apud solam Rosarii Fraternitatem permansit, effecta illi soli propria. Etiamsi alii religiosi coetus Fratres Mariae nuncupati sunt, nullus tamen hoc nomine tam vulgariter, proprie, insignite, semper et ubique gaudebat, quam Confraternitas Ss. Rosarii.*)

Ex quo clare patet, cur in primis post S. Dominicum saeculis vix aliquid de „Rosario" legatur, etiamsi ubique terrarum divulgatum erat. Quod nos Rosarium vocamus, fideles tunc vocabant coronam, sertum, Paternoster iisque utebantur ad persolvendam quinquagenam vel tres quinquagenas vel Psalterium Marianum, sive

*) Coppenstein de frat. Ss. Ros. lib. II c. X.

confratres confratriae Mariae erant sive non. Attamen nomen Rosarii non erat plane ignotum, ut videbis, ubi de nominibus Rosarii agemus.

II.

CONFRATERNITATES, CONGREGATIONES, COLLEGIA.

sodalitates, sodalitia B. Mariae Virginis in ecclesiis Ordinis Praedicatorum saeculo decimo tertio, quarto et quinto institutae, omnes erant Confraternitates Ss. Rosarii.

Quod sequitur ex praecedentibus et dicendis.

1) Tales Confraternitates fundatae reperiuntur Palentiae in Hispania anno 1221; annis vero 1258 Perusii et Patavii, 1259 Placentiae et Laudae-Pompeiae, 1260 Mediolani, 1268 Camerini, 1272 Lucae, 1274 Cremonae, 1288 Viterbii atque Urbeveteri, quae Confraternitates iis annis, ut patet ex litteris a P. M. Chéry Ord. Praed.[1]) de novo editis, partim institutae, partim auctae privilegiis amplissimis fuerunt.

Confraternitas his in litteris vocatur „congregatio et laudabilis societas in honorem Reginae coeli Matris Dei Virginis Mariae in domo Fratrum nostri Ordinis instituta." Ita Humbertus. Alexander vero IV. scribit[2]) „dilectis filiis rectoribus, confratribus et consororibus universis Fraternitatis B. Mariae Perusinis salutem etc. Cum Fraternitas vestra in honorem gloriosae Mariae Virginis sit laudabiliter instituta etc., omnibus etc., qui se in eadem Fraternitate collegas et confratres hactenus statuerunt vel statuerint in futurum ac etiam semel singulis mensibus [hoc est omni prima Dominica cuiuslibet mensis] secundum salubria et provida statuta

1) La théologie du S. Rosaire. Paris, Poussielgue. 1869. Conferatur etiam nostra: „Series Bullarum" in fine huius libri posita et Bullarium Ord. Praed. I. p. 366 Const. CCXVII. not. 4. et p. 370 Const. CCXXVIII.

2) In Bulla: Dilectis d. 13. mai. 1258.

vestra in ecclesia Praedicatorum ad missarum solemnia et Dei verbum in commemoratione ipsius beatae Virginis audienda convenerint reverenter etc."

Similiter in ceteris litteris. Sic verbi gratia Ioannes Fissiraga, episcopus Laudensis in epistola d. 12. iunii 1259 haec habet:

„Fratres Praedicatores in loco, quem in civitate nostra aedificare proponunt ad singularem honorem et reverentiam ipsius Dominae ac protectricis et mediatricis Dei et hominum nec non ad devotionem fidelium excitandam et conservandam, congregationem et societatem venerabilem inceperunt etc. In ipsa tam venerabili congregatione voluimus et fecimus Nos scribi ac omnibus etc. qui iam in ipsa congregatione adscripti sunt et in posterum adscribendi etc. quotiescunque semel in mense, die statuto, ad praedicationem specialiter ad laudem ipsius semper honorandae Virginis ordinatam convenerint etc."

Ex dictis colligas, supra memoratas Confraternitates

1) omnes institutas fuisse in ecclesiis Ordinis Praedicatorum, ut in singulis litteris expresse notatur;
2) omnes in honorem B. Mariae Virginis fundatas;
3) singulis mensibus statuto die, scl. Dominica prima, pias uniones in ecclesiis Ordinis habuisse et
4) eodem die sermonem specialiter ad laudem Beatissimae Virginis instituisse;
5) habuisse salubria et provida statuta etc.

Quae omnia congruunt nonnisi cum Confraternitate Ss. Rosarii, quia haec sola communis erat omnibus Ordinis conventibus nullaque alia confraternitas Matris Dei Virginis unquam in hoc Ordine existebat tamquam illi propria: vide p. 52 not. 1 et Mamachi p. 319. p. 333 seqq.

Equidem, cum tot vel in una Italia fuerint saeculo decimo tertio Confraternitates Ss. Rosarii, Deiparae Virginis nomine constitutae, idque apud Fratres Praedicatores, certum est, aliis etiam in urbibus, ubi sedes erant Dominicanorum, Confraternitates huiusmodi floruisse, quod capite sequenti fusius demonstrabimus.

Alia adhuc exempla proponamus.

2) In Beghinagio Gandavensi anno fere 1234 instituto libri sunt duo eodem anno compositi, quorum alter „Regula Beghinarum" alter „Psalterium" inscribitur. In priori legitur hunc in modum: „Num. 15. Quaelibet porro Beghina ad eum modum recepta debet quotidie tria serta orando persolvere, quae Psalterium B. Virginis appellantur; neque hunc ritum, nisi iusta gravique de caussa, praetermittet."*)

In libello vero, qui „Psalterium" inscribitur et eiusdem est antiquitatis ac regula et quem novitiae memoriae mandare tenebantur, priusquam in societatem asciscerentur, haec recitandi Psalterii B. Virginis methodus praescripta erat:

„Beghina praeses ad singula Pater noster et ad singula Ave Maria mysterium aliquod vitae Christi aut B. V. legat ac praemittat."

Qui modus ab ipsis instituti Beghinagii primordiis ad haec ultima tempora continuo servatus traditur.

---

*) Ex legibus Beghinagii maioris Gandavensis anno 1234 editis, annoque 1554 auctis a Carolo V. Rom. Imperatore approbatis atque praescriptis. In Originali idiomate Flandrico scripto est hoc modo: „De gone, die alsoo ontfangen is, wort gehouden alle daegen te lesen dry hoedekens, die men noemt onse lieve Vrouwe Souter, sonder dees te faellieren, ten waere by redelicke nootsaekelickheyt." *Mamachi p. 223 nota.* Attamen „Psalterium" nunquam auctum vel mutatum esse probat idem Mamachi p. 331 seqq. nec Num. 15. supra positum Regulae postea adiectum esse, patet ex Alani verbis quae habes infra p. 64.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Exstat insuper Diploma vetustissimum, quo Ioannes Sersanders eiusque uxor Elisabeth Rym Gandavenses Beghinagio maiori Gandavensi fundum largiuntur ea conditione, „quod Beghinae anniversarium Elisabeth in perpetuum celebrari facerent. Quaelibet vero domicella sive Beghina dicti loci dicet pro anima uxoris meae, filiae quondam Iordani de Rym, pariter atque anima mea Psalterium Beatae Mariae Virginis eodem die, quo dicta anniversaria contigerit celebrari. Cuius rei testes fuerunt etc. Prior Ordinis Fratrum Praedicatorum Gandensium etc. In quorum omnium testimonium, robur et munimen sigillum meum una cum sigillo Prioris Praedicatorum Gandensium praesentibus duximus apponendum. Datum anno Domini 1227 mense iulii.“[1])

Cum antiquo libro „Psalterium“ inscripto consonat id quod Sixtus Papa IV. refert in Bulla: Ea quae, d. 12. maii 1479, quod ex antiquis temporibus confratres Rosarii quotidie totum Psalterium Marianum persolvere tenebantur.

Unde habes etiam Gandavi iam anno 1234 in maximo et insigni Virginum coetu, quibus inde a Beghinagii initio, teste Ryckelio, Dominicani praeerant et praesunt usque ad hodiernam diem, Rosarii Confraternitatem ab historia probatam et nomen Psalterii B. Mariae Virginis eiusque quotidianam recitationem secundum Fraternitatis regulam cum meditatione etc.

3) Cornelius Snekis Rosarii Praedicator Generalis narrat[2]) in ecclesia S. Petri oppidi Insulensis se reperisse et manibus tenuisse antiquum quendam librum in pergameno scriptum de institutione Fraternitatis

1) Mamachi app. p. 91, Bollandiani tom. I. augusti p. 426 ex Ios. Geldophi Ryckelii historia Beghinasiorum Belgii p. 563 seqq.

2) De Rosario Mariae serm. 8. apud Miechov. p. 238.

in honorem B. Mariae Virginis de Corolla nuncupatae, quae institutio, uti in praefato libro habetur, facta fuit anno 1237. „Reperi ibi diversa nomina diversarum et multarum virginum religiosarum ad dictam Fraternitatem receptarum, quae loco contributionum temporalium pro Fraternitatis sustentatione in luminaribus et aliis necessariis obtulerunt bona spiritualia, videlicet Psalteria Davidica et Mariana sive de Domina."

4) Ibidem idem auctor scribit: „Reperi in bibliotheca Halberstadensi conventus Fratrum Praedicatorum librum quendam de nullo alio, quam de Psalterio B. Mariae Virginis tractantem, quem adhuc hodie videre est. Creditur esse scriptus statim post tempora S. Patris Dominici." Plura vide ibi.

Quae omnia confirmantur ex Alano*), qui scribit: „Est sacrarum virginum monasterium Gandavi, in quo ab annis fere ducentis istud habent Psalterium quotidie in canonicarum horarum vice persolvendum: inde usque a maioribus sic traditum et acceptum. Sed et pervetusti codices evidentissime testantur ipsa facta, me vera memorare, sicut in Gandavensi Ordinis nostri conventu aliisque multis terrarum in locis dicere possem. Neque pene est natio usquam Fidelium, ubi non virorum innumerorum ac mulierum antiqua Patriloquia [Rosaria] visantur dictum ad modum numerumque dispositia et collecta." Et aliis locis idem Alanus invocat in testes huius rei, cum Confraternitatem Rosarii tum Rosarium saeculo decimo tertio et quarto ubique terrarum divulgatum et assidue usitatum fuisse, picturas, statuas, saxa, epitaphia in templis et aedibus per Hispaniam, Italiam, Britanniam, Germaniam suo tempore adhuc reservata.

*) Apologia cap. 8.

III.

DE INGENTI NUMERO CONFRATRUM ET SORORUM HUIUS CONFRATERNITATIS PRIMO AEVO ADSCRIPTORUM.

Attulimus testimonia quaedam, ex quibus concludere licet, Confraternitates Ss. Rosarii a Fratribus Praedicatoribus hac epocha ubique institutas fuisse.

Ad eas autem Confraternitates fideles magno zelo magnoque numero concurrisse uno tantum testimonio, sed eo satis gravi utpote coaevo et ex parte hostili edito comprobamus. Quod testimonium Mamachi p. 335 seqq. ita exhibet.

„Fuisse quidem eo tempore ingentem ubique hominum multitudinem, qui se in eam Confraternitatem cooptari vellent inque eam adsciti Dominicanorum templa assidue frequentarent, argumento videntur esse querelae nonnullorum, qui, cum aegre ferrent, magnos civium concursus ad Dominicanos continenter fieri, graviter de ea re conquerebantur; quasi nemo esset qui ad paroecias conveniret.

„Itaque Petrus de Vineis († 1249), Friderici II. Imperatoris scriba, in Praedicatores et Franciscanos (qui et ipsi suas sodalitates tunc temporis habuerunt) eorundem collegiorum causa invectus:

‘Sacerdotium, inquit, conqueritur de Fratribus Praedicatoribus et Minoribus eorumque factum reprimi petit etc. Nunc autem ut iura nostra potentius enervarent et a nobis devotionem praeciderent singulorum, duas novas fraternitates creaverunt, ad quas sic generaliter mares et foeminas receperunt, quod vix unus et una remansit, cuius nomen in altera non sit scriptum. Unde convenientibus singulis in ecclesiis eorundem, nostros parochianos, maxime diebus solemnibus, habere non possumus ad divina: imo quod deterius est, nefas

credunt, si ab aliis, quam ab ipsis, audiant verbum Dei.'"[1])

Atqui lamentationes illae intelligi non possunt nisi de sola Confraternitate Ss. Rosarii, quia, quod sat probavimus, Praedicatores tunc temporis hanc solam habuerunt Fraternitatem. Nec applicari possunt ad tertium S. Dominici Ordinem, tum quia relative pauci semper fuerunt et sunt saeculares, qui eius regulam propter plurimas orationes, ieiunia, abstinentias etc. severam profitendi animum habent, tum quia hic Ordo nusquam nominatur Fraternitas Virginis Mariae nec regitur legibus a scriba supra prolatis.

Ipse igitur cancellarius[2]) querelas tantas movens contra Confraternitatem Ss. Rosarii, factus est nobis vel invitus testis coaevus mirifici illius incrementi, quod Confraternitas cepit saeculo decimo tertio.

Recte igitur Iodocus Beysselius[3]), Aquensis Patricius, vir disertissimus saeculo decimo sexto de hac epocha scripsit haec:

„... Sancti viri [Dominici] diligentia ita brevi coronariorum numerus est auctus, ut non urbes modo, sed orbem ipsum repleret. Nullus sexus, nulla aetas, conditio nulla ab orationis huiusmodi observantia se subtrahebat.

---

1) Lib. I. Epistol. c. 37 p. 233 seqq. edit. Basileen. anno 1566.

2) Lacrymabundum autem cancellarium eiusque instigatores quilibet Parochus facillime consolari potest, modo Confraternitatem Ss. Rosarii sua in parochia promoveat assidue et pie secundum statuta approbata. Experimentum faciat et videbit, oves suas ceteroquin negligentes et leves „singulis mensibus secundum fervida et salubria instituta sua in ecclesia *Parochiana* ad missarum solemnia [et sacram synaxim] et Dei Verbum audiendum convenire" et „convenientibus, ut Petri Imperatorii scribae modulate utar verbis, singulis in ecclesiis *parochianis, suos* parochianos, maxime diebus solemnibus, *non* haberi non posse ad divina; imo quod *maius* sit, nefas credere, si ab aliis, quam ab ipsis [Confraternitatis rectoribus et parochis] audiant verbum Dei!"

3) De Rosacea Corona Mariae.

Mirum erat videre, tot populos, tot urbes, tot discrepantes hominum conditiones etiam exteriori signo, quod manibus, ut fere nunc fit, gestabant, invicem foederari etc.

„Haec huius sodalitatis prima est institutio; cui coelestis revelatio causam praebuit. Primus omnium Dominicus, animarum ille zelator ferventissimus et praedicationum virtute alter saeculi sui Paulus, Marialis ritum Psalterii divulgavit et ad fraternae communionis iura redegit. Tanto hunc sanctiorem potentioremque fore aestimans, quanto eius observatores arctiore invicem charitatis vinculo necterentur. Sciebat enim unitatis efficaciam et adunatos impetrare, quod seorsim singuli non valerent. Observantiam quotidianam esse voluit Psalterii, ita tamen, ut quolibet modo praetermissa poenam non induceret, nisi poenam quis aestimet, tot spiritualium meritorum participio [sic!] frustrari etc. Divinam in ea observatione virtutem considerans, huic augendae tantam curam adhibuit, ut nullum postea sermonem absque huiusmodi praedicatione perageret. Dum enim piae observationi plurimos assuefecit, desperatos pene praedicationum suarum fructus divini roris beneficio reportavit."

Archiconfraternitatem primaeva aetate mirificum incrementum cepisse et floruisse ostendimus ex nonnullis documentis ac testimoniis. Sed ut rem profundius consideremus et quasi ex radicibus eruamus, ad statum ipsius Ordinis Praedicatorum et ad intimum, quo is Ordo et Rosarium inter se devinciuntur, nexum oportet oculos coniicere. Hac enim ratione non solum Archiconfraternitatis Ss. Rosarii ab eius exordio usque ad annum 1350 progressus, quasi a priori, probari potest, sed etiam id clarius intelligetur, quod sequenti capite ostendemus, quomodo scilicet Rosarium

ab anno 1350 et deinceps ad annum 1475, nec non postea inde ab initio saeculi nostri tantam pati potuerit cladem, quantam videbimus.

Tam arcto enim inter se vinculo sacer hic Ordo Praedicatorum et Rosarii Confraternitas coniunguntur, ut unus semper utriusque status, una sors fuerit, qua laetior, qua tristior. Iam supra diximus, S. Patrem Dominicum eodem Spiritus Sancti afflatu, quo instituit Ordinem suum, instituisse quoque Rosarium eiusque Confraternitatem, ut scilicet debellaret Albigensium haeresim. Et sicut Ordo et Rosarii Confraternitas fuerunt eiusdem S. P. Dominici velut quaedam germanae proles, ita et postea intrinseco quodam ac necessario nexu inter se coniuncta permanserunt. Cum enim Ordo ad id Dei munere Ecclesiae concessus fuerit, ut non solum contra Albigenses esset propugnaculum, sed etiam omni deinceps tempore per doctrinam veritatis fideique praedicationem, mentis tenebras depelleret, imbueretque Christifideles vero ac sincero fidei spiritu, divina prorsus providentia factum est, ut ipsi Ordini Rosarii devotio et Confraternitas adhaereret tamquam patrimonium simul et medium necessarium, quo finem a Deo sibi praestitutum prosequeretur.

Ac plane quis est, qui non videat, Ss. Rosarium, in quo salutis nostrae mysteria ex ordine recoluntur, summopere esse aptum ad mentes fidelium vero ac sincero fidei spiritu imbuendas? Unde ipse idemque Ordo Praedicatorum, qui consuevit vocari Ordo Veritatis, posset vocari Ordo Rosarii, simili modo atque Fratres S. Dominici et Fratres Rosarii olim eodem vocabulo Fratrum Mariae vocabantur.

Denique intimam Ordinis et Rosarii ac Confraternitatis coniunctionem esse probatur ex eo, quod una est

utriusque traditio, una utriusque consignata historia, testimonia Pontificum paria, Christi in terris Vicariorum par in utrumque favor et cura, eadem meritorum gratiarumque inter utrumque communicatio; imo Rosarium praedicare et eiusdem Confraternitati praeesse una ex praecipuis Ordinis functionibus est semperque fuit.

Quae cum ita sint, necesse est, ut ab initio usque ad nostra tempora Ordo simul et Rosarii Confraternitas pari gressu atque fortuna cursum per saeculorum diversitates perfecerint. Florente Ordine florebat Rosarium, Ordine descrescente, Rosarium descrescebat, resurgente Ordine resurgebat Rosarium, et vice versa.*) Quod tam verum est, ut, si velimus cognoscere, quis status alterutrius in aliqua epocha fuerit, alterum aspicere sufficiat; ideoque si probamus, Ordinem a temporibus S. Dominici ad annum 1350 floruisse, nemo erit, qui de Confraternitate tunc temporis florente prudenter dubitare possit, relictis etiam ceteris monumentis omnibus.

Atqui mirificum in modum tunc Ordo floruit.

Nam postquam anno 1216 Praedicatorum Ordo ab Honorio III. fuit confirmatus, S. Dominicus emisit sedecim Fratres suos per orbem. Hi intra quinquennium sexaginta conventus fundaverunt, ita ut S. Pater ipse in Capitulo Generali anno 1221 habito octo iam Provincias constitueret, scilicet Hispaniae, Franciae, Lombardiae, Romanam, Provinciam Provinciae (La Provence), Teutonicam (Germanicam), Hungariae, Angliae, quibus anno 1227 superadditae sunt quatuor aliae, scilicet Poloniae, Daciae, Graeciae, Terrae Sanctae, et saeculo decimo tertio nondum elapso numerati sunt in octodecim Pro-

*) Quam constantem in Ordine traditionem Beatissima Virgo postea B. Alano his revelavit verbis: „Quamdiu duravit hoc Psalterium in tali Ordine sancto, tamdiu scientia, sapientia, observantia, miraculorum fama et gloria apud Deum et homines in immensum floruit.“ Op. cit.

vinciis saltem sexcenti Fratrum conventus, quorum supra quinquaginta in Germania, decem et octo in Palestina.

Unde Innocentius IV. iam anno 1253 scribit „dilectis filiis Fratribus de Ordine Praedicatorum in terris Saracenorum, Paganorum, Graecorum, Bulgarorum, Cumanorum, Aethiopum, Syrorum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Zicocorum, Ruthenorum, Iacobitarum, Nubianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Mosilitorum, Tartarorum, Hungarorum maioris Hungariae, Christianorum captivorum apud Tartaros aliarumque Infidelium nationum Orientis seu quarumcumque aliarum partium, quos iuxta professae Relig. officium zelus comedit animarum.“*)

Stephani insuper Bandelli, Magistri Generalis eiusdem Ordinis († 1506), hac de re grave extat testimonium, declarationibus Constitutionum Ordinis praemissum in Prologo num. 20, hoc modo: . . . „Dispergente namque Beato Dominico Patre nostro Fratres suos tamquam quosdam radios, imo tamquam luminaria, ubique terrarum coeperunt homines submittere corda et corpora suavissimo iugo Christi induerunt que habitum Ordinis nostri Praelati, Decani, Praepositi, Archidiaconi, Abbates, Priores, Monachi, Canonici regulares, diversarum Facultatum Doctores, et alii viri illustres ac Principes vita et scientia eminentes, qui veluti filii Israel germinantes, creverunt et multiplicati sunt ac roborati nimis ac intra breve temporis spatium per totum mundum diffusi, Provincias omnes citra et ultra mare Fratribus Ordinis impleverunt ac urbes, civitates, oppida ecclesiis, collegiis et conventibus ornaverunt.“

Ex quo patet, Ordinem hac prima epocha ubique terrarum floruisse. Adde, quod primo ab institutione sae-

*) In Bulla: Cum hora d. 23. iul. 1253 et Bonifacius VIII: Immaculata d. 10. april. 1299.

culo Ordo 265 martyres numerat et beatos operum sanctitate et miraculorum gloria clarissimos 70 confessores.

Iam ex iis, quae in initio huius capitis diximus, concludere licet, hisce viris relictam a S. Patre suo Dominico haereditatem, puta Archiconfraternitatem Ss. Rosarii, cordi fuisse. Quomodo maiorum suorum vestigiis institissent, si tam salubre institutum a Deipara commendatum, a S. Dominico conditum, a Fratribus suis tam ardenter promotum ipsi reliquissent? Quomodo salutem animarum promovissent? Quomodo Christi nomen inter tot gentes aut excitassent aut obsoletum revocassent? Quomodo depravatos mores emendassent, si hoc unicum ac singulare ad evertendas haereses et vitia extinguenda praesidium neglexissent?

Pari omnino passu et zelo Ordo et Confraternitas Ss. Rosarii currebant: Sancto quippe Patri Dominico, ut exemplo a Koppenstein proposito utar, geminas ad operandum manus vel geminos ad currendum pedes Deus dederat, alterum Ordinem, alterum Fraternitatem. Quomodo ergo uno pede tantum spatium orbis terrarum percurrere, quomodo una manu tot fructus animarum colligere Fratres eius poterant? Si Fraternitatem neglexissent, iam manum Patris alteram ipsi a corpore abtruncassent i. e. nec salubriter agere nec florere potuissent. Devotione igitur Rosarii, fidem et pietatem in animas hominum inducebant. Hoc erat Patris insistere vestigiis paternaeque haereditatis terminos tueri.

Nusquam igitur gentium Ordo pedem intulit aut Evangelio praedicato nomen Christianum excitavit, quin simul Confraternitatem in novum Dei populum introduceret.

Ergo Ss. Rosarii Confraternitates usque ad annum 1350 ubique terrarum floruerunt.

De lapsu Archiconfraternitatis Ss. Rosarii (1350—1460).

„Diu parta decora unius horae fortuna subinde evertere solet.“ (Livius). Cuius veritatem in se experta est Ss. Rosarii Archiconfraternitas. Haec crevit cum Ordine per centum et quinquaginta fere annos et una cum ipso collapsa est calamitoso anno 1348, quo duplex saevissima pestis, altera corporum, animorum altera, tota Europa grassari coepit.

1) Saeculo decimo tertio portentis horribilissimis et perniciosissimis in rerum natura productis homines cruciabantur. Anno 1319 et postea saepius praesertim 1338 etc. *locustae* seu grilli migratorii, cristati, tartarici innumerabiles, quorum magnitudo erat sturni, ab Oriente in Occidentem instar densae nubis coelum obducentes vastarunt herbas et fructus terrae, imo hominibus et bestiis non pepercerunt; equitem v. gr. cum equo, si fidem adhibeas Ottocaro de Horneck, in via comederunt, ita ut brevissimo tempore ossa nuda solummodo restarent.

Anno 1348 *terrae motus* vehementissimi totam Europam inaudita cum violentia conquassabant; aedificiorum millia super millia inopinato corruerunt incolasque oppresserunt. Horum motuum crebris repetitionibus superstites continuo tremore et anxietate implebantur. Graecia insuper plures menses nebula crassa perdurante quasi tenebris involuta manebat, dum pluviae quasi torrentes a mense iunii usque ad decembrem totam

Angliam inundabant. Eodem anno *pestilentia* terribilissima erupit, quae per tres annos (1348—1350) totum pene orbem urens debacchabatur. Quae primo in Asia, in Sina seu Cathay, locustarum corruptione et foetore execrabili orta Indos, Persas, Armenios, Syrios, Aegyptios tanta vi affligebat, ut in Asia 37,000,000, in Cairo quotidie 15,000 et Gazae 22,000 hominum morerentur. Deinde totam Europam pervasit, imo usque ad Islandiam tunc temporis florentem, et Groenlandiam pertigit, tertiam saltem partem hominum perimens. Exempla loquuntur. Venetiis 100,000, Sienae 80,000, Neapoli 60,000, Genuae 400,000, in Sicilia 530,000, Basileae 12,000, Argentinae 16,000, Lubecae*) 90,000, in universa Europa 25,000,000 homines hac clade crudelissima misere perierunt, inter quos 124,434 ex solo Ordine S. Francisi Seraphici. Campi, viae, plateae defuncto-

*) Grassatam in septentrionalibus oris anno 1351 pestem ac praesagium phantasticum, quo apud Praedicatores Lubicenses numerus peste mox moriturorum Religiosorum praenuntiatus est, hoc modo narrat Krantzius: „Annus, inquit, erat quinquagesimus primus post mille trecentos, cum grandis ubique per Germaniam saeviret epidemia. Lubecae tum praesagium mirabile ferunt moriturorum extitisse in conventu Praedicatorum, quod novitate sua narrationem a nobis impetravit. Audivit frater ex conversis, qui curam haberet prae ceteris coquinae, nocte una subter se, cum in strato esset, in hospitali domo strepitum et interea vocem loquentis ad fenestram coquinae: „Coque, para cibum abituris fratribus!“ Et ille deintus: „Quot sunt transituri?“ Tum ille: „Triginta sex de conventu et duo advenae cum illis profecturi.“ Miratus ille frater de intempestivae noctis cibo et quod illi talium rerum curam habenti nihil tale esset a Priore insinuatum, coepit cum horrore cogitare esse phantasticam rem, quae gereretur. Tum curiositate ductus deque lecto surgens, intuetur per foramen, quod visum admittebat in domum hospitalem. Videt assidere mensae in albis numerum fratrum, quem audierat, velatis frontibus, ut fieri solet iam tumulandis. Horrens de visionis forma redit in stratum, nec erat, cui rem detegeret; sed cum eventus omnia probasset, funeratis triginta sex de conventu fratribus et duobus, qui de Hamburgo venerant, iam palam edixit, quae antea vidisset.“ Baronii Continuator Raynaldus, Annal. Eccl. tom. XVI, p. 325.

rum corporibus impleta erant nec quisquam, qui ea sepeliret. Filius patrem, filia matrem, amicus amicum defugiebat, ne eadem contagione afficeretur, quae solo tactu vel flatu vel visu transfundebatur tum in homines tum in animalia; ovis infecta totum inficiebat gregem. Erant populi quasi desperati et in furiam vertebantur. Omnes leges et praecepta derogata, disciplina prorsus soluta, caritas exstincta, ipsa fides in pluribus mortua, imo deleta; ubique fere cantilena canebatur: „Comedamus et bibamus hodie, quia crastina die fuerimus!“ Ventri obedientes Deum negabant, sibi ipsis maledicebant. Medici aufugiebant, soli Religiosi praeceptum caritatis fideliter exercebant usque ad mortem.

Plurimi tamen graviter et serio commoti iram Dei oratione et poenitentia placare satagebant. Quibus in tanto luctu erat solatio, quod pueri innocentes morituri plerique et iubilando et gaudendo Dei laudes dicerent et peccatores, priusquam vim pestilentiae sentirent, totis animis poeniterent adeo, ut etiam ultro mortem expeterent. Sed ipsi, quamquam bene inceperant, deinde, pro dolor, haud raro sectae Flagellantium nomen dabant.

Hanc pestem fontibus infectis procurasse infamati sunt *Iudaei,* ideoque combusti in Elsatia quidem 2000; Basilea autem, Spira, Wormatia, Oppenheimio omnes Iudaei eiecti sunt, quorum alii desperantes baptismum petebant, alii, postquam uxores et infantes necaverunt, in domibus suis se ipsos inter thesauros igne appositio vivos concremabant.

Quam persecutionem feram et immanem Clemens Papa VI. sub anathematis poena strictissime interdixit eodem quo incipiebat anno 1348.*)

*) Ex diversis Chronicis et Weiss: Lehrbuch der Weltgeschichte. Wien. 3. Bd. p 1111—1113. De his calamitatibus fusius egit Raynald:

2) Animorum pestis adhuc longe gravior eaque gemina erat, una haeretica, altera schismatica. Haeretica erat Flagellantium secta, qui per Italiam, Germaniam, Galliam late se diffundebant et per urbes et oppida gregatim oberrantes cum crucibus in veste, nodosis flagellis, quibus aculei inserti erant, seipsos flagellabant, dicentes hanc flagellationem potiorem esse ad delenda quaecumque peccata quam confessionem; imo comparabant ipsam martyrio vel praeferebant, quoniam ultro ipsi, ut dicebant, sanguinem proprium effundebant, martyres vero hoc pati cogebantur. A vulgo tanto cum applausu recepti sunt, ut in oppidis et pagis cum pulsu campanarum illos exciperent et flagellatoribus plus quam sacerdotibus crederent.

Saeva omnino haec pestis erat et rapida, licet parum diuturna.

3) Atrocior pestis et longe gravior, quia diuturnior, subsecuta est anno 1378 nimirum schisma, quod duravit usque ad annum 1417. Duae Romae, duo Papae, quorum unus excommunicabat alterum, populi fideles divisi erant; discordiae, rixae, perturbationes ubique. Quae calamitas ex historia omnibus satis nota est.

Hac itaque gemina peste et schismate grassantibus, conventus sive coenobia Ordinis Praedicatorum nec non aliorum Ordinum exhausta et vacua facta sunt et manserunt. Praedicatores et S. Seraphici Patris Francisci Fratres, qui morientibus adesse, eos Sacramentis munire solebant, et potius vitam suam, quam charitatem proximi deserebant, pene omnes expirarunt in sancto labore, priusquam pestis cessavit. Hinc ne-

---

Annal. Eccl. tom. XVI p. 280 seqq.; 291 seqq.; item p. 325, 412, 424, 518, ubi probatur pestem illam annis 1351, 1361, 1363, 1373 de novo in Europae partibus saeviisse.

cessario secuta est ruina Ordinis eiusque ministerii cessatio; in quibus cum principalis esset Rosarii praedicatio, et illam in ruinam parem trahi et obrui necesse fuit.

Sed qui fieri potuit, ut Archiconfraternitas tam mirabilis et tam gloriosa sic oblivioni traderetur, ut pene iam exstincta videretur? Hoc factum est, teste Breviario Ordinis, partim hominum negligentia, partim daemonis arte.

Lapsum Ordinis, ex quo ruina Rosarii secuta est, hunc in modum depingit Albertus Leander:*)

„... Sicque peste tot tantisque exhaustae sunt viris Religiones et coeperunt ruere domus.

„Quod animadvertentes Patres, qui tanta clade superfuerant, in brevi protinus defecturos Ordines suos, deficientibus adolescentibus, impuberes alliciebant imbecillique eorum aetati consulentes, carnibus vesci, lineis ad carnem uti, non tam frequenter in ecclesiis, praecipue vero in nocte, officium simul exsolvere atque alia plura, quae instituta Ordinum prohibent, permittebant, hac mente et animo, ut postmodum, cum attingerent adolescentiam, deducerentur ad priscorum Patrum normam vivendi. Sed illos fefellit opinio.

„Porro hos adolescentes factos isti vero aetate graves ab incepto nequaquam avertere potuerunt, licet eos oraverint maximis precibus normamque, qua vivere deberent, ostenderint. Sic Patribus illis vita functis omnium Religionum Instituta in manibus istorum non observantium permansere. Hinc etiam Episcopatuum et Monasteriorum proventus in Commendam ob pestilentiam devenerunt.

*) De viris illustr. Ord. Praed. Bononiae 1517 in vita B. Raymundi de Capua.

„Itaque Pater insignis Raymundus Capuanus [† 1399] Generalis 23. volens Ordinem nostrum hac praecipue de causa fere totum collapsum instaurare, nulli labori parcens, huc illucque discurrens satagebat circa Patrum Institutiones restituendas. Hunc adhortabatur, illum urgebat, ut initium tam salubri operi darent. Tandem fundamentum iecit, super quo subsequentes aedificarent et praecipue in Germania.

„Porro Conradus [Gross, † 1426] Teutonicus, Sancto afflatus Spiritu, coepit [iam anno 1370] sedulo studio adhortari commilitones ad paternarum observantiam iussionum. Quod parvum initium subsecutum est magnum incrementum. Sicque in Italia initium cepit Observantia, ut vulgus loquitur. Et observantiales dicti posthac Patres ex eo, quod observare viderentur Patrum suorum instituta et leges. Quo factum est, ut a debili principio iam fere totus Ordo noster hac nostra aetate ad verum observandi modum nostrarum Institutionum, praefectis pluribus Ordinem curantibus, Deo Opt. Max. opitulante deductus sit ac restitutus.“

Atqui Magistrum Generalem Raymundum Capuanum et Conradum Gross cum pluribus aliis ex Ordine cultores Ss. Rosarii fuisse probat Adm. Rev. P. Antoninus Danzas, Ord. Praed.*)

Unde colligas. Ordo et Ss. Rosarium collapsa sunt nec sua culpa, sed pestis calamitate. Ordo refloruit mediante Rosario et citius refloruisset, si pueri, de quibus supra, Rosarium coluissent. Recitaverunt officium divinum ab Ecclesia praescriptum et quia hoc

*) Études sur les temps primitifs de l'Ordre de Saint Dominique. Paris 1877, tome IV. chap. XXXII etc.: Le Rosaire et la fausse critique p. 337—521.

illis absque dubio iam fuit onus maximum, cetera omnia reliquerunt. „Quando vero, ait B. Virgo ad Alanum, defecit hoc Psalterium, Ordo Praedicatorum in quam plurimis defecit, ut iam parietes et picturae et libri et epitaphia defunctorum produnt, etsi linguae hominum hoc dicere nollent.“

Longissime absit, ut venerabiles Patres magistros novitiorum istorum arguam de negligentia in officio; sed, historia magistra, magnis et generalibus calamitatibus, praesertim cum perdurant, animus facile deprimitur, fit indifferens, inclinat ad sensibilia et terrena distractionis causa, vilipendit spiritualia, non sapit amplius coelestia. Tempore magnae illius pestis omnes ducti sunt hoc spiritu, qui adhuc nutriebatur per Flagellantes et schisma usque ad prima decennia saeculi XIV. Homines sub his tristissimis auspiciis nati et educati frigidae erant religionis. Rosarium, quod in zonis deferebant, non ut patrimonium speciale et haereditatem salutis, sed ut simplex habitus complementum considerabant. Attamen viros fortes, qui nullum non moverent lapidem, ut imprimis Ordinis disciplinam et Rosarium in pristinum statum restituerent, hisce deplorabilibus temporibus minime defuisse supra vidimus, quibus adiungimus ex Ordine B. Ioannem Dominici Cardinalem, Episcopum Ragusinum celeberrimum (1355—1419), qui in synodo Constantiae, anno 1414—1417 habita, pestilentissimum de quo supra schisma auctoritate, qua apud Patres omnes valebat, et facundia tandem exstinxit. Eius opera electus est Pontifex Martinus V, cui inde sicut et Sigismundo Imperatori fuit carissimus et ob praeclaras dotes magno in pretio. Adducamus etiam S. Vincentium Ferrerium († 1419), S. Antoninum Archiepiscopum Florentinum († 1459),

quibus plurimos alios subnectere possumus, qui omnes hanc veritatem experti sunt gementes: „Citius Ordinem institui novum, quam collapsum restitui.“

Non desunt tamen Rosarii monumenta ex hac tristissima epocha.

Proponit enim Mamachi p. 326 et 328 duas imagines aere incisas ex sepulchrorum lapidibus annis 1353 et 1354 confectis desumptas.

In lapide altero imagines hominum tres insculptae cernuntur, quarum una seriem globulorum filo traiectam manu sustinet, atque decades Salutationum Angelicarum quindecim et Orationes item Dominicae quindecim singulae decadibus singulis interiectae in serie illa globulorum clare distinguuntur. Est hoc sepulchrum familiae d'Alain de Ville Pierre in Parisiensi antiquo Dominicanorum templo S. Iacobi ex anno 1353.

In elegantissimo altero sepulchro eiusdem sanctuarii iacet Humbertus Delphinus, qui cum se principatu abdicasset, Ordini Praedicatorum nomen dedit, tum Alexandrinorum Patriarcha et administrator ecclesiae Remorum fuit atque anno 1354 decessit. In quo pretioso monumento circumdant imaginem Patriarchae imagines sexdecim Dominicanorum insculptae, ex quibus duo globulorum seriem filo traiectam sustinent.

Idem auctor adducit*) Margaritae, Cintii Biancoli filiae, Vannutii Andrutii uxoris, testamentum, in quo inter alia leguntur haec: „Item iudicavit et reliquit amore Dei et pro anima sua et suorum peccatorum remedio Fraternitati S. Mariae, quae congregatur omni prima Dominica cuiuslibet mensis in ecclesia Fratrum Praedicatorum S. Dominici de Perusio, quinque libras

*) Append. p. 203 seqq.

. . . Perusinorum, si et in quantum Prior dictae Fraternitatis deferet vel deferre faciet tortiam cerae . . . ad honorandum corpus dictae testatricis tempore suae mortis etc.

Actum Perusii . . . die 6. nobris 1384."

Quae unica videtur esse Confraternitas, quam extremo calamitosissimo eo saeculo fuisse adhuc frequentatam constat.

Ea vero, quae in Actis Sanctorum de Rosario seu Pater noster S. Catharinae Senensis († 1380), Clarae de Gambacurtis (1366—1419) etc. leguntur habebis infra, ubi de Nominibus Ss. Rosarii agetur.

Sed nunc ex caligine velut in lucem respiremus deque renovatione Ss. Rosarii Archiconfraternitate circumspiciamus.

De prima renovatione Archiconfraternitatis saeculo decimo quinto facta per B. Alanum.

Quemadmodum B. Dominicus ad exterminandam Albigensium haeresim per varia loca grassantem a Beatissima Virgine monitus et edoctus, tanta Magistra duce, Rosarii recitandi antidotum invenit: ita simili fere occasione et modo sub annum 1460 eiusdem Sacratissimae Virginis Mariae iussu eadem Rosarii devotio a B. Alano resumpta fuit et Fraternitas in diversis mundi partibus cum magnis praeclarisque miraculis plantata.

Alanus ipse ita scribit:

„Quemadmodum leges et ordinationes Sanctorum perierunt in oblivionem, sic negligentia ac mundi malitia, succedente tempore, tanta — pro dolor — indigne sepelivit bona. Quod non ferens piissima Dei Genitrix et perpetua Virgo Maria haec iterum reformanda praecepit multis cum signis et prodigiis, dicens cuidam, quod sicut mundus per Ave Maria fuit renovatus, infernus evacuatus et coelum reparatum, sic et novissimis temporibus his pessimis tali suffragio ipsa eadem Dei Genitrix Virgo Maria mundum iterum ad sanctas Dei leges reformare intendit; addens plurima gratiarum genera se collaturam his, qui huius Psalterii cultores erunt et praedicatores. Qui vero ipsius erunt damnatores aut impugnatores, non dubitent contra se provocare Reginam misericordiae. Quod saepius iam sum

expertus, quia omnes aut pene omnes tales hoc impedientes vel corruerunt in maximum peccatum aut scandalum vel gravissimum damnum vel mortem turpissimam etc.

„Huic viro mandavit frequentius Maria una cum Domino Iesu Christo etiam sub poena mortis corporalis et divinae offensae hoc sacratissimum praedicare Psalterium ad placandam divinam iracundiam et contra instantia tam in Ecclesia quam in Religionibus et saeculo pericula inenarrabilia. Dictumque est ei ab iisdem, quod omnes hoc perorantes in brevi erga se divinam sentirent benedictionem. Quae omnia vera esse, iam plurimis in terris facta inenarrabilia clamant prodigia et extollunt opera Dei miranda."

Haec omnia Alanus (op. cit.), qui tamen semper ex humilitate nomen suum subticet et quasi de alio quodam haec omnia scribit. Ipse per quindecim annos in praedicatione Rosarii continuo perseverans, multa millia hominum ad recitandum Marianum Psalterium induxit.

Sed quis fuit ille Alanus?

Alanus de Rupe, natione Gallus in Armorica (Bretagne), ut testatur Cornelius de Snekis, eius discipulus, in sermonibus de Rosario, natus est anno circiter 1428. Adolescens Dinae (Dinan) Ordini Praedicatorum nomen dedit. Parisiis disciplinis philosophicis et theologicis imbutus est ibique docuit 1459. Deinde lector Insulas (Lille), Duacum (Duai), Zwollas, Gandavum (Gent), Rostochium in ducatu Megalopolitano (Rostock in Mecklenburg) ab Ordine missus, ubique Ss. Rosarium indefesse praedicavit. Anno 1470 (1471?) die 4. septembris Rostochii, ubi Universitas florebat, orationem habuit auspicatoriam pro sua ad

baccalaureatum *formatum**) promotione super themate: „Qui convertit Petram in stagna aquarum, et Rupem in fontes aquarum.“ (Ps. 113.) Quae oratio, divisa in tres „Quinquagenas“ et quindecim laudes Theologiae in honorem B. Mariae Virginis Rosarii, exstat adhuc. Ac de fine exordii aliqua deprompta hic inserimus, ut exemplo ostendamus, quomodo Alanus *de Rupe* omnia ad Ss. Rosarium referre noverit: „Nonne igitur, dulcissimi Psaltae Virginis Mariae, magna est laus Theologiae, immo maxima, docens nos invenire tantam Rupem, in qua sunt XV tantae lapifodinae, inventamque offerre Genitrici Dei Beatissimae et cum oblata ipsam Dominam Mariam centies et quinquagies in die coronare coronatamque adornare etc. lapidibus pretiosis, quorum minimus plus valet toto isto mundo corporeo? Sed quia significationes in universali minus proficiunt, nunc in speciali per singularia sunt cuncta verba declaranda etc.“

1473 Zwollis appellatur licenciatus et instituitur lector principalis Rostochii, ubi et laurea Magisterii eodem anno initiatus fuit.

Anno 1475 convocationi Insulis die 16. aprilis habitae interfuit, ubi duos menses integros permansit, quo tempore Apologeticam pro Rosario Epistolam ad Ferricum Episcopum Tornacensem scripsit et sub finem iunii ipse detulit.

Ex Praefatione huius Epistolae, quae XXIV capita continet, iuvat quae sequuntur excerpere:

„ . . . Hinc, fidelissime ovium Christi in Episcopatu Tornacensi Pontifex et firmissime in cunctis virtutum Fautor, quia pro meritis inibi curam geritis

*) Cfr. Quetif et Echard, tom. I. p. 850.

Apostolicam, congruum est Paternitati Vestrae, quae subditis Vestris salutaria fuerint, cognoscere, ea vero imprimis, quae de Praedecessore Vestro, sciente ipso et adprobante, devotius peracta sunt variis in oppidis huius Almae Dioeceseos, haec eadem cum gaudio magno adprobare. Hoc autem est de Psalterio inviolatae semper Virginis Genitricis Dei Mariae. Propterea etiam placuit Vestrae Potestati super hoc quaestionem ad me habere Paternam. Idcirco multarum pro animarum salute postulationi Vestrae ac intentioni humilius satisfaciendo, sub paucis verbis, ut potero, super materiam Psalterii Virginis Gloriosae aliquod lumen, uti patebit per ordinem, intelligentiae Vestrae offerre conabor, non, quod absit, sublimem Vestram Apostolicam scientiam imbuendo, sed scita melius et perspecta ad memoriam et, ut S. Anselmus ait, ad operosam efficaciam reducendo."

Tornacensibus valedicens Gandavum fratres suos salutaturus ivit et per Hollandiam Zwollas petiit, ubi in Festo Assumptionis B. Virginis lethali morbo correptus, in Festo Nativitatis eiusdem Virginis anno 1475 diem supremum obiit, aetatis 47, et in ea parte ecclesiae sepultus est, in qua postea Odeum templi exstructum fuit.

De cetero audiamus Alani discipulos et eos, qui de Alano scripserunt.

„Post tempora B. Dominici istuc divinissimum Beatissimae Virginis Psalterium in oblivionem venit, ita ut a paucis frequentaretur, donec excitaret Dominus devotissimum Virginis Mariae Psalten Magistrum Alanum de Rupe, natione Britonem, S. Ordinis Praedicatorum, qui dictum Psalterium in Britannia, Francia et Picardia etc. cum mira hominum devotione et

multifario fructu innovavit ita, ut quilibet diceret omni die unum Psalterium B. Virginis.“[1])

„Alanus multa millia hominum ad persolvendum hoc Psalterium induxit, de quo haud dubie iam mercedem in coelo ab ipsa Virgine recepit.“[2])

„Alanus de Rupe, Ord. Praed., vir in divinis Scripturis eruditus, in declamandis sermonibus ad populum excellentissimae opinionis, vita et conversatione Deo devotus et B. Mariae semper Virginis amator praecipuus eiusque Rosarii et famulatus promotor venerandus, a qua etiam singulari dono supernae recreationis aliquoties meruit recreari etc.“[3])

„B. M. Alanus, celeber ille B. Virginis per Rosarium praeco et promotor indefessus, apud omnes pietatis ac sanctitatis fama inclaruit.“ Ita Quetif et Echard.[4])

Pro Alani sanctitate testantur insuper cruciatus illi, quos a spiritu nequitiae passus est, ut a praedicatione Rosarii averteretur: „Ecce septem annos a diabolo fuit crudelissime tentatus, verberibus contusus et flagris diriter vapulatus. Adeoque saeva ea fuerunt verbera, ut ipsi vitam saepius extorsissent aut eum ad desperationem adegissent, ni alma Dei Virgo miserata sic afflicto quandoque opem tulisset ac medicinam.“[5])

---

1) Corn. Snekis serm. 10. de Ros. anno 1500 habito.

2) Michael ab Insulis, Ss. Theologiae Professor et postea Episcopus Salubriensis, in suo Quodlibeto anno 1479 edito.

3) Monelia: De Orig. Sacr. Prec. Ros. Romae 1725. Albertus Leander: De viris illustribus O. Pr. Bononiae 1517. Trithemius Abbas Spanheimensis: De Script. Eccl.

4) Scriptores Ordinis, tom. I. p. 849.

5) Ita Alanus de seipso: De Relat. c. IV.

DE ALANI SCRIPTIS.

Quetif et Echard (loc. cit.) recensent Alani opera manuscripta, quorum tamen pauca solummodo eaque non ante annum 1619 „ad aevi salivam apparata, rescissis quibusdam, aliis explicatis, mollito aliquantulum stylo“ typis commissa sunt. Quo factum est, ut opera haec quodammodo interpolata non parum primariae auctoritatis perdiderint. Fuerunt hoc titulo ordineque edita:

Beati Alani Redivivi Rupensis tractatus mirabilis de ortu atque progressu Psalterii Christi et Mariae eiusque Confraternitatis in quinque partes distributus.

1) Apologia ad Ferricum Episcopum;
2) Relationes, revelationes et visiones de Rosario;
3) Sermones S. Dominici Alano revelati;
4) Sermones et tractatuli Alani;
5) Exempla seu miracula Rosarii.

Hi quinque tractatus*) a P. Ioa. Andrea Coppenstein recogniti una prodierunt Friburgi 1619, Coloniae 1624, postea curis P. Andreae Rovetta Neapoli 1630, 1665 etc. etc.

Notandum est, „visiones Alani, revelationes et exempla omnia non esse habenda quasi revera exstiterint, sed meditationes tantum esse viri pii, qui in hunc modum cogitationes suas efformabat, ut auditorum animis facilius illaberentur. Tale enim fuit eius saeculi ingenium et tale etiam nunc [1717] in quibusdam

*) In opusculo: „Unser Lieben Frauen Psalter“ (Ulm 1492), quod ex supradictis tractatibus est excerptum, Alanus duos solummodo annos (1473—1475) Rosarium praedicasse legitur. Quod si verificatur, distinguendum et dicendum est: Praedicavit Alanus ab anno 1460 et de Rosario et de aliis Religionis materiis; deinde vero duobus ultimis vitae suae annis nonnisi de Rosario sermones instituit seclusis ceteris quibuscunque.

Europae Provinciis, ut auditores eiusmodi historiolis et exemplis magis delectentur, ea facilius memoria retineant, iis potentius et acrius et a vitiis deterreantur et ad bonum moveantur, quam ab accurata et solida doctrina, quae mox ex eorum cordibus evanescit etc. Haec itaque esto nostra conclusio, vir fuit piissimus, cultui B. Virginis per Rosarium addictissimus, Ecclesiastes salutis animarum sitientissimus. Eius visiones, revelationes seu verius parabolae ex ea, qua illas in concionibus depromebat ratione, miros fructus ediderunt, sed neu in historiam trahito, hoc solum volo."[1])

Nihilominus Breviarium affirmat:

„Sacratissima Virgo immenso circumdata lumine fratri Alano Britanno, eximio concionatori, se visendam exhibuit atque monuit, ut tum ipse, tum eius socii Praedicatores collapsam sacri Rosarii devotionem totis viribus restituere conarentur. Eidem etiam Alano affirmavit coelorum Regina, hoc genus orandi, promptum ac facile, esse sibi gratissimum et ad impetrandam divinam misericordiam accomodatissimum, populis salutare et contra quaevis adversa praesens auxilium."[2])

Alanus igitur, qui ab editoribus vocatur Beatus, quin Ecclesia eum hoc decoraverit titulo honoris et dignitatis, fuit homo pius, simplex et rectus, doctrina pollens et sapientia, qui Septentrionalem omnem Galliae et Germaniae partem, Belgium, Hollandiam et Saxoniam perlustrans Rosarium praedicavit, eius militiae innumeros fideles adscripsit plurimasque fundavit Rosarii Confraternitates. Hoc modo factus est praecursor gloriosissimae renovationis generalis, qua Coloniae

1) Quetif et Echard, l. c.

2) Ex Brev. Ord. Praed. die oct. festi Ss. Ros.

eodem die et anno, quo ipse ex hac vita migravit*), Archiconfraternitas ipsa restituta est, ad quod factum enarrandum accedamus.

*) Recte notat Danzas op. cit. IV. p. 341: „Or, à peine Alain est-il mort, les Pays-Bas, la France, l'Italie, l'Allemagne [Germania rectius, ut mox videbimus, primo loco ponenda erat] retentissent des prédications du Rosaire et voient se multiplier les confréries. Pour trouver entre la cause et les effets une certaine proportion, il faut supposer non-seulement une étincelle latente pendant un siècle entier et qu'Alain aurait ranimée, mais des efforts précurseurs des siens [vide p. 77—80]. Les indices de nature à justifier cette explication ne manquent point. La mine avait été chargée, Alain en approcha la flamme, et l'explosion se produisit. Cette flamme qu'Alain portait en lui, avait été attirée par des moyens merveilleux."

De gloriosissima restauratione Confraternitatis Coloniensis.*)

Anno Incarnationis Dominicae 1474, cum iam Alanus longe lateque viam Rosario restaurando praeparasset, Rosarii Fraternitas in conventu FF. Praedicatorum Coloniae per venerabilem Priorem Iacobum Sprenger iterum instituta fuit et anno 1475 die Nativitatis Virginis Mariae solemniter publicata.

„Tempore quo Carolus, Burgundiorum Dux, obsedit Nussiam [Neuss], oppidum Rheni insigne, Domini Rectores urbis Coloniensis formidantes, ne forte Nussiano oppido expugnato civitas sancta Coloniensis periculo subiaceret, provido consilio ad Dei et Sanctorum eius auxilia confugientes, accesserunt ad Patres Conventus Coloniensis Ordinis Fratrum Praedicatorum, supplicantes eisdem humilius, ut cogitarent de grato aliquo obsequio Deo et suae superbenedictae Matri Mariae impendendo, cuius merito alma Coloniensis civitas a futura clade, quam timebant, misericorditer liberaretur.“ Haec P. Cornelius Snekis, qui fuit Dr. S. Scripturae, Prior Rostochiensis et usque ad annum 1505

*) In huius tractatus compositione fere in omnibus secuti sumus librum, cuius titulus est: „De Fraternitatis Ss. Rosarii B. Virginis Mariae Ortu, Progressu, Statu atque Praecellentia auctore P. Ioan. Andrea Coppenstein Mandalensi. Heidelbergae 1630.“ Iste P. Coppenstein fuit Prior Ord. Praed. Conventus Coloniensis, „insignis theologus et ecclesiastes, vir laboriosissimus otiique prorsus impatiens“, qui plurima scripsit opera sapientiae plena, quae ab Echard recensentur tomo II, p. 448 sèq. Ea, quae infra absque auctoris nomine hoc signo „—“ afferentur, ex dicto libro p. 285—375 verbotenus deprompsimus.

Vicarius Generalis Hollandiae seu Provinciae Germaniae Inferioris.

Erat autem tunc temporis Prior Praedicatorum Coloniae P. Iacobus Sprenger, vir pius et religiosus, ingenio et doctrina clarus ac postea Provincialis Provinciae Teutoniae. Is de re tam gravi cum suis deliberans simulque animo volvens ac revolvens innumera auxilia, quae Mater misericordiae sibi devotis pluries impendisset, dum orationi ardentius instat, ecce Beatissima Virgo Maria illi se videndam exhibet ac praecipit, ut in concionibus suis populos ad Rosarium iterum recipiendum colendumque pro viribus adhortetur. Igitur continuo Prior Consules adit, rem totam, ut gesta erat, aperit simulque ut Rosarii Institutum restauretur admonet. Illis illico rem approbantibus suam quoque operam antiquae Rosarii devotioni denuo publicandae pollicentibus, Prior ipse iustis et crebris concionibus in suo Praedicatorum templo coram frequenti populo Rosarium praedicat, Fraternitatem instituit ac publicat, formulam Instituti explicat in propatuloque legendam omnibus ac de plano cognoscendam exponit. Aram Confraternitati assignat, quae ex navi templi chorum ingredientibus adstat dextera. Huc pictam in tabella Deiparae Patronae imaginem proponit, signum et monumentum Fraternitatis.

Imago illa una cum Confraternitate anno 1803 ad ecclesiam S. Andreae Apostoli translata, anno 1881 a sodalibus pulcherrime restaurata atque in capella B. Alberti Magni Episcopi*) collocata, exhibet almam Vir-

*) Corpus B. Alberti († 1280) ex antiqua Ordinis ecclesia anno 1804 translatum est in hanc capellam, quam Colonienses pro sexto Centenario die 15. novembris 1880 celebrato magnifice restauraverunt supradictaque imagine, quia alium ecclesiae locum magis idoneum invenire non poterant,

ginem, Filium suum in manibus gestantem, qui magnum a Matris collo dependens Rosarium digitis tangit populosque ad id venerandum et exercendum allicere videtur.

Tria autem serta ex quinquaginta rosis albi, rubri, aurei coloris composita et ex diversa magnitudine formam pilei adumbrantia a duobus Angelis super caput Virginis in aëre suspensa quasi corona tenentur.

Tunicae aureae, sinuosae, praetextae et vesti caeruleae succinctae, quibus S. Dei Genitrix induta est, pallium regium intus albi, exterius rubri coloris iniectum conspicitur, quod extentum B. Dominicus a dexteris, B. Petrus Martyr Mediolanensis a sinistris adstantes sustinent, monentque alter „Diligite et salutate", alter „Charitas maneat in vobis."

Sub pallio autem expanso genuflectunt hic ecclesiastici, illic laici utriusque sexus complures, Rosaria in manibus gerentes, quos Regina benignissimo vultu respiciens in oculis quodammodo fert et protegit.

---

exornaverunt, casulam quoque eiusdem B. Pontificis ad dexteram altaris huius capellae suspenderunt.

Ecclesia S. Andreae plurima Ss. Rosarii monumenta possidet, quae sunt:

a) Imago altera Ss. Rosarii, magnitudinis 150 × 115 cm, anno 1624 picta, de qua infra, ubi „*De Rosario Perpetuo*" tractabimus. Hic sufficiat notare, imaginem hanc in capella Ss. Rosarii appositam esse.

b) Statua S. Mariae de Rosario ab Alexandro Legato et Nuntio Apostolico anno 1475 donata, de qua infra pp. 95 et 98.

c) In capella Matris dolorosae altare decoratum est statua eiusdem Matris dolorosae ex ligno sculpta, pietate et dolore plena, ante quam Ven. P. Prior Iacobus Sprenger anno 1474 a Magistratu ad auxilium contra Carolum Audacem ferendum excitatus orasse et visionem habuisse dicitur. Ante illam Fratres Ordinis quotidie Officium Marianum exsolvebant et Colonienses eam omni tempore uti miraculosam venerabantur, ut patet ex antiquis imitationibus cum hac inscriptione impressis: „Imago miraculosa Matris dolorosae in ecclesia Fratrum Praedicatorum Coloniensi exposita." Patet etiam ex plurimis donis ex voto oblatis, quae hodie adhuc prope hanc statuam asservata conspiciuntur.

Ad latus vero dexterum B. Mariae Virginis primum inter genuflexos locum obtinet Summus Pontifex Sixtus IV. precabundus, cuius ex ore exeunt verba: „Dic, obsecro, quod soror nostra sis, ut bene sit nobis propter te et vivant animae nostrae ob gratiam tui.“*) Pone Alexander Legatus, quem excipit Cardinalis, sequitur Elector Episcopus, adstat clerus tam saecularis quam regularis monialiumque promiscua turba.

Rursus ad sinistrum latus Divae primo Imperator Fridericus III. cum Eleonora Imperatrice Augustoque filio Maximiliano; deinde quasi Princeps Elector, post clari obscurique viri foeminaeque plures.

Ad pedem huius picturae super lignum confectae in mensura 244 × 181 cm. leguntur verba haec: „Anno 1474 ipso Christipherae Virginis Natali renovata est Fraternitas Rosarii admodum indulgentiis a diversis Pontificibus in hoc altari praedotata.“

Imago haec, cum steterit supra altare in medio inter chorum et navim ecclesiae positum, picta est etiam in parte aversa a populo, et sic proponit a sinistra S. Caeciliam, gladium et rosam albam tenentem, ad cuius virginis pedes angelus genuflectens organum pulsat, a dextera vero alteram virginem, nempe S. Catharinam Senensem, rubram rosam et pavonis pennam gerentem alterumque angelum serta rosacea texentem. Utriusque S. virginis imago artificiosissime picta Archiconfraternitatis in cultu almae Virginis Mariae de Rosario gaudia spiritualia, virtutes heroicas, delicias Paradisi designat.

„Quanto vero ferventius praedicatur Rosarium, tanto certius et constantius auxilium de coelo speratur.

*) Cfr. Genes. 12, 13.

Crederes asylum apertum fuisse, tantus erat mortalium omnium utriusque sexus, omnis aetatis, ordinis et conditionis confluxus, nomina dare Fraternitatemque profiteri poscentium. Hic supplicationes, hic processiones, hic Marianae Coelitumque ceterorum Litaniae fiunt; hic votiva solemniaque sacra patrantur ac frequentantur; ubique Rosarium psallitur."

Nec sane spes Rosarianos fefellit: nam „ubi tunc magna sanguinis effusio timebatur, subito et non sine B. Virginis et Sanctorum auxilio, magna futurae pacis spes, recedente cum tranquillitate Duce, supervenit."*)

„Ista coepta et gesta sunt anno 1474 sub festum Nativitatis almae Virginis Mariae, quando Novesium (Nussiam) Carolinae copiae iam cinxerant obsidione et arcte premebant tertio mense, antequam Imperator Fridericus III. cum Principibus et exercitu Imperii Andernacum adveniebat. Sed non minus Prior Iacobus Sprenger novellae Confraternitatis urgebat Institutum, usque dum die 20. maii 1475, industria Legati Apostolici, Carolus in oblatas sibi conditiones pacis consentire adduceretur, id quod Imperatori, Proceribus Imperii, Senatui Populoque Coloniensi tam insperatum quam exoptatum accidebat. Toties irrito conatu iam ante fuerat tentata compositio. Tam obstinatum Carolus animum contra omnes conditiones propositas obfirmarat, in tantas angustias compulerat res Novesianas et Caesarianas. Et revera, tam firma partium secuta est compositio, ut paulo post Burgundus in signum foederis firmissimi Mariam filiam nobilissimo Duci ac Principi Maximiliano, Filio Imperatoris Friderici Tertii, qui Coloniam cum magno militum numero et nobi-

*) Mich. ab Insulis in suo Quodlibeto.

lissimo omnium fere Germanorum Principum comitatu ad retundendam Caroli vim et audaciam accesserat, uxorem desponderit.

„Nemo fuit, qui illam constitutae pacis gloriam non uni Deo totam referret acceptam. Post Deum vero proxima erat pene omnium in animis Deipara, in oculis Confraternitas illius, in manibus Rosarium. His praecipuum impetratae a Deo pacis meritum ac laudem tribuebant summi et optimi quique. Quod ego omnium superius recitatorum scriptorum gravissimis testimoniis comprobare possum; nolo tamen verbis uti, ubi facta publica loquuntur.“

„Iam unus erat omnium sermo, admiratioque de Confraternitate Ss. Rosarii et maior in dies ad eam fiebat accessio. Intermissio autem nulla coeptorum semel exercitiorum atque fervoris, licet pax confirmata esset.

Sed vixdum posito periculosissimo bello extra urbem, iam alterum intra moenia linguis geritur de Confraternitate, publica scilicet Theologorum et totius Academiae disputatio super universo Fraternitatis Instituto.

Ut disputantium ora obstruerentur, visum fuit per P. Regentem studiorum in conventu Praedicatorum, D. Michaelem ab Insulis, ritu in scholis usitato, totum illud Institutum in certas Theses digestum descriptumque comprehendi, typis mandari et sic ad commune totius Collegii Theologici iudicium perferri. Itaque „Quodlibetum de Rosario deque Fraternitate“ ille conscribit, typis evulgat, quin etiam ipse eadem Magister Insulanus coram omnium Facultatum Universitate die certo declamare sibi proponit. „Et factum est ingenti omnium, quidquid in urbe doctorum erat hominum, expectatione, concursu plurimorum in consessu totius Academiae, si unquam alias, in hac nova causa,

frequentissimo, sed nec minori omnium sana sentientium admurmuratione.

„Ad ultimum sacra et summa Facultas Theologica summo consensu totum Fraternitatis Rosariique Institutum vehementer adprobat et collaudat. De toto illius disputationis actu istam reperio omnium sententiam apud Ioannem de Lambsheim Canonicum, qui huic actui interfuisse videtur: „Credendum sane, inquit, quod Rosario nulla possit devotior, et saluti hominum congruentior unquam institui Fraternitas, quae simul neque a doctis indoctisque argui possit“ etc. Idem Ioannes velut disceptando fessus ita concludit: „Caeteri existiment, quae voluerint. Ego confractum debilitatumque Burgundiae Ducem per has Rosarii preces confidenter affirmarim.

„Interea pius et pacificus Imperator Fridericus III. cum sacri Imperii Electoribus quatuor ceterisque Proceribus, consiliis firmandae pacis aliisque gravissimis intentus negotiis, Coloniae moraturus substitit. De pace ex improviso facta laetus admiratur et Deo Deiparaeque multum gratus, Confraternitatis pietatem ac meritum, Rosarii vim et efficaciam suspicere, laudibus exaltare satis nequibat. Cui quantum tribueret primum verbis amplissimis testatus est, post facto demonstravit. Interim Nuntius Apostolicus dat negotium, ut Signum Dei Genitricis Mariae, iustae altitudinis humanae exquisita sculperetur arte, in ara Virginis collocandum. Mandat capsam statuae capacem binis cum alis, quibus clauderetur, scite et insignite sic depingi, ut rei gestae memoriam loqueretur conservaretque. Quae dum parantur, menses cedunt quatuor et res Imperii tractatae succedunt feliciter et secundatur foecundaturque Confraternitas.

„Iamque dies erat dicta, nimirum sacra Nativitatis B. V. Mariae 1475, qua uno abinde anno privatim coepta institutaque Fraternitas sacra et publica auctoritate, festiva cum solemnitate et memoranda posteris maiestate celebraretur. Dies adest et cetera parata omnia. Procedit Divus Imperator Augustus cum summis Romani Imperii Principibus ceterisque Dynastis. Et quanta Maiestate! Ducebat is Alexandrum, Nuntium et Legatum Apostolicum, Episcopum Foroliviensem, in eoque Summi Pontificis Sixti IV. Sanctitatem venerabatur. Comitabantur praecipui Domini Rectores Urbis Coloniensis, e sacro summoque Clero inclyti, Academiae Doctores primi, Civium spectatissimi, ut plebi in Aede Sacra Praedicatorum, quamvis satis ampla illa esset, ubi consisterent, locus haud superesset. Non ingratum lectori futurum reor, aliquam tam augustae processionis speciem animo capere. Unde eam ex nonnullis summis illius Capitibus hic nominatim recitatis existimandam subiiciam.

„Ergo Legatum Apostolicum et Imperatorem Fridericum sequebantur
Adolphus, Archiepiscopus et Elector Moguntinus,*)

---

*) Ne mireris, qua ratione Archiepiscopi Colonienses Robertus seu Ruprecht Bavarus et Hermannus de Hassia hoc in catalogo scripti non sint, historiam hic adducere necesse est.

Robertus Archiepiscopus a Collegio Coloniensi legitime electus, a Pontifice Romano comprobatus atque ab Imperatore Regalia temporalis administrationis erat assecutus. Sed magna inciderat digladiatio de oppidis Ecclesiae nonnullis, Nobilitati oppignoratis, quae oppida Bavarus recipere et asserere contendebat, non soluto pretio nobilibus. Hanc ob rem foedus percutiunt Colonienses cum oppidis oppignoratis, Ducemque sibi eligunt Hermannum, fratrem Comitis Hassiae, quem anno 1473 Archiepiscopum constituunt. Unde gravis contentio Robertum inter et Hermannum. Fridericus Caesar operam dedit concordiae resarciendae, sed non audito Imperatore Bavarus inauspicato consilio ad Carolum Audacem propinquum suum confugit pro auxilio contra Hassum et Colonienses

Ioannes, Archiepiscopus et Elector Treverensis,
Guillelmus, Episcopus Aureatensis,
Henricus, Episcopus Monasteriensis,
Episcopus Spirensis Vangionum ceterique plures,
Albertus, Dux et Elector Saxoniae,
Albertus, Dux et Elector Brandeburgicus,
Sigismundus, Dux Austriae,
Ludovicus, Dux Bavariae,
Albertus, Bavariae Dux ab Monichem,
Fridericus, Bavariae Dux ab Spanheim,
Ernestus, Dux Saxoniae,
Henricus, Landgravius Hassiae, frater Hermanni invicti Conservatoris et Herois Novesiani,
Christophorus, Markgravius Badensis et ceteri Comites plures quinquaginta.*)

„Nomenclatorius vero M. S. C. Coloniensis eadem et praeterea Summorum, medioximorum, infimorum

---

eumque Advocatum ecclesiae Agrippinensis constituit pro ope, quam esset laturus. Qua de causa Robertus edicto Imperatoris proscribitur, Hermannus vero Novesium fugit, ut esset obsessorum praefectus, quam urbem fortissime defendit „diu noctuque agendo, hortando, consolando, ut omnia potius [obsessi] ferrent, quam patria amissa venirent in servitutem."

Postquam sexto Idus Maii Caesar ex urbe Colonia petiit Novesium, pridie Kal. Iunii pax facta est inter Principes praecipue Alexandri Foroliviensis Episcopi, Legati Germaniae opera: Omnis controversia Roberti Archiepiscopi proscripti et populi Agrippinensis cognitioni et arbitrio Romani Pontificis tradita et commissa est, intra annum componenda.

Unde in festo Nativitatis B. Virginis Mariae eiusdem anni, cum decisio a Sede Apostolica nondum esset lata, Colonienses neque Robertum, neque Hermannum habuerunt Episcopum. Robertus absens erat, quia proscriptus, Hermannus vero, Pacificus cognominatus, processioni non interfuit, quia Episcopus electus, sed pacis conditionibus impeditus, sua praesentia pacem turbare noluit.

Vide Coppenstein p. 285—295. Weiss: Lehrbuch der Weltgeschichte. Wien 1879. 2. Aufl. Bd. IV, p. 229 ff.

*) Ista numerat nomina Iacobus Meyerus in suis Annalibus de rebus Belgicis tom. I. lib. 7, ubi obsidionem Novesianam exequitur.

nomina recitat innumera Illustrium, Reverendissimorum, Generosorum, Venerabilium, Nobilium, Religiosorum, Militum, Doctorum, Consulum, Civium, omnisque sexus, aetatis ac conditionis mortalium.

„Postquam igitur ventum fuit in Praedicatorum ecclesiam, primum Reverendissimus Nuntius Apostolicus Deiparae Virginis statuam[1]) solemni benedictionis ritu consecrat; deinde aram ipsam gloriosissimae V. Mariae ut inclytae singularique Patronae Confraternitatis Ss. Rosarii perpetuam dicat dedicatque. Quo peracto Inscriptionis in Confraternitatem actum auspicatur a seipso nomenque suum dat eidem inscribendum", quod ipse testatur his verbis: „in quam recipi et transcribi voluimus atque petivimus."[2]) Imperator seipsum inscripsit, nec solum, sed et Augustam suam coniugem Leonoram ac Serenissimum filium postea patris in Imperio successorem Maximilianum. „Trium horum nomina, ab eadem inscripta sunt manu Imperatoria. Sequuntur inde Electorum ac Principum nomina singula, manu exarata alia atque alia; post una manu complurium vocabula absque ullo dignitatis titulo raptim subiecta leguntur.

„Inscriptionem Principum saltem primorum excepit Sacrificii missae in Pontificalibus a Legato rite peracta celebratio, quo Sacrarum Caeremoniarum musicique concentus apparatu id factum sit, cuique existimare promptum est. Patratis ordine sacris Imperator ad Nuntium Apostolicum versus nomine totius Confraternitatis, praesentium et absentium, petiit, ut Auc-

1) Quae statua in ecclesia ad St. Andream Coloniae adhuc reperitur et a populo veneratur sub nomine: „Die Rosenkranz-Mutter-Gottes." Cfr. pp. 91b et 95.

2) Alex. ipse in Brevi suo: Etsi gloriosos, sequenti pagina exhibito. Leo X. Pastoris aeterni d. 6. oct. 1520.

toritate Apostolica datis desuper litteris ea solemniter approbaretur."

Hanc renovationem iuxta votum Imperatoris approbat et confirmat Alexander hoc Brevi:

ALEXANDER,

Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Foroliviensis, cum plena Legati de Latere potestate, per totam Germaniam Nuntius et Orator, universis et singulis Christifidelibus, praesentes litteras inspecturis, visuris pariter et audituris Salutem in Domino sempiternam.

Etsi gloriosos coelestis curiae Conciones et Sanctos et Ecclesias et sacra Loca seu Fraternitates laudabiles, ad Ipsorum laudem et honorem institutas, maximo non immerito devotionis fervore venerari debeamus; utpote qui eorum patrociniis plurimum indigemus, singularissime tamen Dei Matrem Virginem Mariam, omni laude dignissimam (quam etiam Filius, nihil ei negans, honorat) Eiusque Fraternitatem vel Loca summo studio, summa affectione atque summa diligentia instanter et incessanter amplecti venerarique tenemur. Sine Ea siquidem, devote testante Bernardo, nil possumus; sine Ea miseri sumus, sine Ea factum est nihil.

Ut igitur Eiusdem Beatissimae V. Mariae laudabilis Fraternitas de Rosario nuncupata, in sola bonorum operum concitatione, per Fratres Ordinis Praedicatorum in Colonia nuper certis sub limitibus, ad maximam huius Virginis laudem et gloriam et multorum aedificationem salubriter instituta seu potius renovata (quia per Beatissimum Illius Primum Patrem Dominicum legitur praedicata; licet ad tempus neglecta fuerit et oblivioni tradita) firmior et securior habeatur, nec non in dies augeatur, eoque libentius Christifideles

eiusdem Virginis confratres effici concupiscant, quo in praefata Fraternitate dono coelestis gratiae uberius conspexerint se fore refectos, moti ex singulari ad Eam devotione (in quam recipi atque inscribi voluimus atque petivimus) piis supplicationibus Serenissimi Romani Imperatoris Frederici III. semper Augusti super hoc inclinati,

Praetactam Fraternitatem Auctoritate Apostolica Nobis specialiter concessa Approbamus, Confirmamus et Ratificamus.

[Sequuntur indulgentiae etc.]

Datum Coloniae anno Incarnationis Dominicae 1476 Indictione 9, die vero 10. Martii, Pontificatus Sanctissimi Patris ac Domini nostri Domini Sixti, divina providentia Papae IV. anno quinto.*)

Idipsum commemorat Summus Pontifex Leo X.,

*) Transscripsimus hoc Breve ex libro citato Patris Coppenstein, qui absque dubio originale illius prae oculis habuit, quia in ipso conventu Coloniensi vixit et scripsit. Quod notare nobis visum est, cum hoc Breve apud auctores diversimode inveniatur. Exempla v. gr. in Thesauro Apostolico I. (Chéry p. 38), in Bullario Confraternitatum O. Pr. (Mamachi app. p. 207) etc. exhibita, quae incipiunt: Etsi gloriosus, nec inter se nec cum P. Coppenstein conveniunt ideoque debita authenticitate in favorem exemplaris Coloniensis carent.

Item tum Mamachi p. 208 tum Chéry p. 43 ex iisdem fontibus proponunt aliud Breve, quod incipit: „Non defuit“, et hoc aperte interpolatum est. Nam

a) Hoc Breve eodem die et anno, eidem Confraternitati Coloniensi, in eadem re, ad eundem prorsus finem, cum iisdem indulgentiis, ab eodem Alexandro, Legato et Nuntio Apostolico, datum esse apud auctores legitur, ac supramemoratum Breve „Etsi gloriosos“. Ergo saltem supervacaneum.

b) Coppenstein huius alterius Brevis absque dubio mentionem fecisset, si originale hoc Coloniae in Archivio unquam fuisset, ubi tamen conservari debuisset.

c) Legitur in Brevi illo fucoso: „Deipara Virgo ... Confraternitatem Rosarii ... quondam a Patre ... Dominico *renovatam* et institutam renovare voluit et iussit“, quod certe erroneum est, quia Summi Pontifices S. Dominicum nunquam proposuerunt tamquam Confraternitatis renovatorem.

cuius verba sunt: „Cum ipsa Confraternitas — a B. Dominico instituta — decursu temporis fere neglecta fuisset et in oblivionem transiisset, ac anno 1475 civitas et dioecesis Coloniensis gravibus bellis premeretur, eadem Confraternitas ad laudem et honorem praefatae Virginis, ut civitas et dioecesis praedicta meritis et intercessionibus eiusdem Virginis ab eis bellis liberaretur, in ecclesia dictae domus [FF. Praedicatorum] innovata et de novo instituta fuit etc. Quam quidem Confraternitatem in dicta ecclesia de novo institutam postmodum bonae memoriae Alexander, Episcopus Foroliviensis, tunc Apostolicae Sedis cum potestate Legati de latere per totam Germaniam Nuntius, singulari devotione permotus et se in eadem Confraternitate recipi atque conscribi volens et petens, ad preces clarae memoriae Frederici III., Romani Imperatoris, auctoritate Apostolica approbavit, confirmavit, ratificavit ac omnibus et singulis utriusque sexus fidelibus, dictae Confraternitatis confratribus etc. indulgentias concessit.“*)

Attamen verbo „renovatam“ deleto textus ille testimonium exhibet rei nostrae conveniens, qua de causa locus iste in extenso sequatur:

„Sane nuper revelatione fidelibus fide dignis facta et miraculis evidentibus hoc confirmantibus, ipsa Deipara Virgo antiquam devotionem et Confraternitatem Rosarii eiusdem Virginis in Praedicatorum Coloniensi monasterio, quondam a Patre dicti Ordinis Divo Dominico (renovatam [sic] et) institutam renovare voluit et iussit: quatenus fidelium confratrum ad hoc adiuvantibus orationibus bella aliaque imminentia pericula a dicta civitate Coloniensi et Alemania averterentur.“

Deinde sequitur verbum ad verbum paragraphus: *Ut igitur . . .*; quam attulimus supra, cum indulgentiis etc.

Ex uno igitur Brevi authentico: „Etsi gloriosos“ plura facta sunt Brevia, duo, quae incipiunt: „Etsi gloriosus“ et unum, cuius initium est: „Non defuit.“ Coppenstein cognovit solummodo unum, ut vidimus, et hoc authenticum.

*) Pastoris aeterni d. 6. oct. 1520.

De Archiconfraternitate Ss. Rosarii ab anno 1475 usque ad annum 1800.*)

„Confraternitas iam intra unius Agrippinae moenia renata quam celerem, quam celebrem, quam longum latumque habuerit cursum, satis apparet ex praegrandi manuscripta Nomenclatura, in quam unam Coloniensem inde ab anno 1475 usque 1479 quadriennii spatio qui, quot, quanti et quam ex longe positis regionibus sua detulerint nomina inscribenda, e paucis subiectis ipse aestimato.

„Nec me collegisse illustria ex eo [quadriennii spatio] omnia tibi persuaseris; hic partem ne vicesimam quidem habere te scias Illustrium et praecipuorum Capitum; nam vulgaria sunt innumera. Et quo certa magis afferre me noveris, singula ad folium M. S. Conventus Coloniensis citabo idque saltatim e diversis libri foliis, ut intelligas illum petendae Fraternitatis fervorem non unius fuisse temporis quasi impetum nec eum vulgi aut paucorum Illustrium, sed plurimorum et continuum."

Sequitur „Nomenclatura confratrum Principum, Ducum, Comitum etc." cum quinquaginta nominibus. Unde si ea, quae supra sunt dicta, strictissimo sensu accipiuntur, infra illud quadriennium Coloniae vicies quinquaginta seu mille Principes, Duces aliique Nobiles Ss. Rosarii Confraternitati nomen dederunt.

*) Cfr. not. pag. 89.

In Catalogo isto e. gr. Fridericus III. Imperator cum coniuge et filio fol. 394, Sigismundus, Ernestus, Rudolphus, fratres et principes in Anhalt, Comites Ascaniae fol. 164. Ioannes a Wassener, Comes Leydensis fol. 15, Euverwinus, Comes in Steinfort fol. 74, Ioannes, Comes ab Ittelfritz, Dominus zu Hachenzorn fol. 572 adscripti fuerunt.

Titulo: „Nomenclatura Rerump., Civitatum, Communitatum, Paroeciarum etc.“ idem auctor subiungit: „Sciendum est ex diversis Imperii oris sub primos innovatae Fraternitatis annos antequam aliis in conventibus eadem passim instauraretur, Coloniam missos fuisse catalogos. sed pene volumina nominum inscriptorum plena; atque tum in M. S. C. nihil scribi amplius solitum praeter istud: „Ex illo loco N. tot allata sunt nomina in Fraternitatem; catalogus eorum in cista Fraternitatis depositus reperitur.“ Horum depositorum ab anno 1475 usque ad annum 1479 Catalogorum exempla ex plurimis accipe pauca.

Exempla a Coppenstein nobis reservata sunt haec, quae sequuntur:

Ex Amsford 569.

Aquisgrano (Aachen) 13,000 fol. 52, 762 fol. 238, 672 fol. 239, ultra 600 fol. 261, 2210 fol. 448.

Argentina (Strassburg) 4128.

Augusta Vindel. (Augsburg) 32,000 in uno volumine.

Austria 330.

Bamberga 2362.

Basilea (Basel) 7484 semel missa fol. 230, 1836 fol. 238.

Bonna 200 fol. 401.

Brabantia 1424 fol. 306, 1862 fol. 267, 30,506 fol. 505.

Brabantia, Flandria etc. innumeri fol. 404.

Bruxellis 2000.

Celdo (?)

Calcario 1200 fol. 424, ingens volumen plenum nominibus fol. 471.

Colmario 1300.

Eudoma (Uedem) supra 1000.

Francia 2400.
Francfordia 1100.
Frisia ultra 2900.
Geldria circ. 4000.
Heidelberga innumeri fol. 476.
Helmont 17,000.
Hollandia innumeri fol. 404, 1200 fol. 279.
Hollandia et Seelandia 7830 fol. 462.
Huyo (Huy) 283.
Leodio (Lüttich) 4000 fol. 238, 300 fol. 431, ultra mille fol. 432.
Lovanio (Löwen) ultra 4000.
Marcoduro (Düren) 200.
Metis (Metz) 628 fol. 253, 1287 fol. 255.
Moguntia (Mainz) & Francfurto 7280 fol. 280.
Moguntia 300 fol. 440.
Mulhem 280.
Monasterio Guestf. (Münster) 1800.
Overayd (in Eifflia) 634.
Palatinato (Pfalz) innumeri fol. 476.
Pfortzem 600 fol. 230, 493 fol. 405, 1127 fol. 411.
Rauenstein 500.
Rindorf 250.
Roterodamo 2200.
Salisburgo 4823.
Seeland 402 fol. 401, 320 fol. 485, 200 fol. 488, 10577 fol. 494, 1197 fol. 493.
Siegburg 1000 et ultra.
Suevia 300 fol. 405, 2000 fol. 469.
Traiecto (Utrecht) 1274.
Tulpeto (Zülpich) 447.
Ulma Sueviae supra 4000.
Wachtendung (Wachtendonk) Dominus Pastor Simon cum omnibus Parochianis suis.
Wimpina 4865.
Wormatia (Worms) 560.
Zytphen ultra 4000.

Accedunt permagni catalogi, quorum nomina non sunt numerata ex

Bamberga	fol. 265.	Hanen (Hanau?)	fol. 156.
Bergen	„ 117.	Magstat	„ 201.
Bonna	„ 117.	Monheim	„ 114.
Dusseldorpio	„ 113.	Ratingen	„ 110.
Fankel	„ 187.	Tontzem	„ 140.

etc. etc. etc.

„Mi lector“, addit Coppenstein, „habes e plurimis pauca, unde existimes de ceteris. Iam cum tantus

fuerit ardor saecularium, quantum putabis Ecclesiasticorum exstitisse? Crede, integra collegia sua procul nomina Coloniam misisse, ex multis venisse Praepositos aut Canonicos, qui suorum confratrum nominibus in cista Fraternitatis depositis, ipsi sua manu sese in Coloniensem librum incripserunt. Immensum ac taediosum foret, si istius vel specimen dare instituerem etc. De variorum conventibus Ordinum his paucos quin ponam non omittam."

Deinde sequitur nomenclatura de conventibus variorum Ordinum, qui se totos Confraternitati adscripserunt, scilicet:

Conventus Ord. S. Benedicti prope Basileam (Basel) fol. 26, Spanheimensis fol. 43, in Rothen ad Groningam fol. 491, in Norda fol. 488, Tetzingae fol. 492.

Conventus Carthusianorum S. Beati ad Confluentiam, ad Argentinam, prope Delfft.

Conventus Ord. Cisterciensium ad Salisburgam, ad Groningam.

Conventus S. Francisci ad Novesium, ad Aquas Mariae.

Conventus Regularium in Truttenhausen, Traiecti, Bruxellis, Ebersberg in Bavaria, in Mörs, Berckling prope Herbipolim, conventus S. Mariae prope Straelen in Geldria.

„Hi pauci sufficiant ex plurimis Virorum conventus; Sacrarum autem Virginum religiosas familias numero longe plures, nullas hic referam, ne forte quod taedium lectori pariam. Res manifesta. Fraternitatis celebritatem et frequentiam admirandam et omnium Ordinum ac Statuum de ea existimationem satis superque demonstrat."

Ex Episcopis cum suis Suffraganeis, quorum longa

series inscripta fuit, quindecim Archiepiscopi commemorantur, quibus duo accedunt Primates Germaniae. „Paucorum duntaxat ex pluribus tibi propono nomenclaturam Sacrorum Antistitum, qui in una Germania eodem fere tempore pro Fraternitate Rosarii una scripserunt ac eam Episcopalibus donis certatim quasi cohonestarunt, singulis ad quodlibet Rosarium elargientibus quadraginta dierum Indulgentias.

„Ecce tibi luminaria Germaniae et ex eis de odore, fama, nomine et existimatione Fraternitatis iudicato.

„Anno 1479, cum iam triennale innovatae Fraternitatis Rosarii Institutum late et celebraretur omnium sermonibus et amore obvio acceptaretur, Romae Sacrum Illustrissimorum Cardinalium Collegium de eo cognovit magnificeque iudicavit. In cuius argumentum ac testimonium litteras ex Urbe decrevit idem ac dedit ad Ubios omnesque fideles commendatitias pro Mariana Rosarii ara colenda manuque tenenda Coloniae, ubi nimirum ceterarum Mater omnium esset Fraternitatum Ss. Rosarii. Istis litteris undeviginti Cardinalium nomina leguntur praescripta itemque sua cuiusque manus subscripta, suum cuiusque sigillum proprium visitur in Bullis singulis cum filis sericis appensum. Autographum ipsum in Archivio Coloniensi Praedicatorum asservatur.“ Eius hic est ad verbum tenor:

Guilelmus Ostiensis, Rodericus Portuanus,
Angelus Praenestinus, Oliverius Albanensis,
Iacobus Tusculanus, *Episcopi Cardinales.*
Marcus tit. S. Marci, Iulianus tit. S. Petri ad vinc.,
Hieronymus tit. S. Balbinae,
Stephanus tit. S. Mariae Transtib.
Asias tit. S. Sabinae, Ioannes tit. S. Praxedis,

Antonius tit. S. Clementis, Ioannes Bapt. tit. S. Caeciliae,
Philibertus tit. Ss. Ioannis et Pauli,
Ioannes Michael tit. S. Marcelli,
Petrus tit. S. Nicolai, Dominicus tit. S. Vitalis,
Franciscus tit. S. Mariae Novae,
Theodorus tit. S. Theodori, *Diaconi Cardinales.*
Universis Christifidelibus salutem in Domino sempiternam.

Gloriosus et excelsus Dominus, qui sua mundo ineffabili illuminat claritate, pia vota fidelium de ipsius clementissima Maiestate sperantium tunc praecipue benigno favore prosequitur, cum devota ipsorum humilitas Sanctorum precibus et meritis adiuvatur. Cupientes igitur, ut altare B. Mariae Virginis situm in ecclesia Conventus FF. Praedicatorum Coloniensium, ad quod quaedam notabilis Confraternitas B. Mariae de Rosario vulgariter nuncupata iure dignoscitur instituta, congruis frequentetur honoribus et a Christifidelibus iugiter veneretur, conservetur et manuteneatur, necnon luminaribus, libris, calicibus et aliis ornamentis ecclesiasticis decoretur et muniatur ac in eo cultus augeatur divinus, utque ipsi Christifideles eo libentius devotionis causa confluant ad illud et ad manutentionem, munitionem et alia praemissa manus eorum adiutrices promptius porrigant, quo ex hoc ibidem dono coelestis gratiae uberius conspexerint se esse refectos: Etiam Nobis in Christo dilecti Magistri Iacobi Sprenger, Prioris S. Dominici Conventus, necnon et S. Theologiae Professoris supplicationibus super hoc inclinati, de omnipotentis Dei misericordia ac B. Petri et Pauli Apostolorum eius Auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui in quatuor (quibus Anniversaria de-

functorum dictae Confraternitatis in praefata ecclesia annuatim celebrantur, videlicet uno infra Assumptionis, altero infra Nativitatis, reliquo infra Purificationis praefatae B. Virginis, quarto infra Annuntiationis Dominicae festivitatum octavas) nec non in Dedicationis praefati altaris diebus et festivitatibus a primis vesperis usque ad secundas inclusive, altare praedictum devote visitaverint annuatim et ad manutentionem, conservationem, munitionem aliaque praemissa manus porrexerint adiutrices: Nos Cardinales praefati in singulis festivitatibus et diebus supradictis, quibus id fecerint, centum dies de iniunctis sibi poenitentiis misericorditer in Domino relaxamus et quilibet Nostrum per se relaxat.

Praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

In quorum fidem praemissorum praesentes Litteras fieri fecimus et Nostrorum sigillorum appensionibus communiri.

Datum Romae in domibus Nostrarum Residentiarum solitarum, Anno MCCCCLXXIX. die 29. Maii, Pontificatus Sanctissimi Domini nostri Domini Sixti IV. anno 7.“*)

Scripto allato declararunt ac testati sunt Illustrissimi Cardinales, quae esset totius Sacri Collegii Cardinalium de Fraternitate Rosarii sententia, quae voluntas, quod studium et quanta eiusdem observantia; pro huius unius arae cultu atque decore tam diligenter scribendum sibi esse tot Purpurati censuerunt. „Ne vero quisquam impetu exarsisse ardorem illum existimet

*) Cfr. etiam: Ephemerides Dominicano-Sacrae, das ist: Heiligkeit und Tugendvoller Geruch der ... Ehren-Blumen dess Himmlisch-fruchtbaren Lustgartens Prediger-Ordens ... durch R. P. F. Frid. Steill O. Praed. Ss. Theol. Prof. et Priorem zu Würzburg. Dillingen 1691 5. Dez. p. 267 ff.

ac repentine aut lente refrixisse, idcirco alium prioribus facile viginti annis posteriorem exempli tantum causa, eiusdem zeli testem" adducit Coppenstein, videlicet Raymundum Cardinalem tit. S. Mariae Novae. Sed „ego si talia, ait, persequi et hic reddere instituerem, opus forem pene in immensum producturus."

Hic praeterire non possumus Reginam Ss. Rosarii in fenestra sexta ad septentrionem magnificentissimae Cathedralis Coloniensis anno 1509 pictam. Veste caerulea induta, coronam, cingulum, a quo pendet usque ad pedes catena, capillos, omnia aurea habet. Iesum Filiolum, rosam, Rosarium, cuius lapides quinquaginta pro dicendis Ave rubri et pingues, quinque vero pro persolvendis Pater noster aurei et pinguiores sunt, manibus tenet. Sub pedibus eius luna, et sole radiante amicta ipsa Virgo apparet.

Hac renovatione gloriosissima allecti ecclesiarum ministri, in suis ecclesiis Ss. Rosarii Confraternitates ut renovarentur aut instituerentur, summo studio petierunt, et sic factum est, ut infra breve tempus per totum orbem cum fervore et zelo novo coleretur Rosarium. Dico per totum orbem, quia anno 1498 duodecim Fratres Ordinis Praedicatorum, velut duodecim Apostoli, Americam vix repertam petierunt, Rosario contra idololatriam pugnaturi, quos alii plurimi tum sui tum aliorum Ordinum confratres secuti sunt. In orientalibus Indiis, in Mexico, in Brasilia, ubique huius Ordinis Fratres inter primos fidem plantantes, rigantes, excolentes invenies. Admiratione et stupore, quem ipsa Regina Sacratissimi Rosarii olim per S. Dominicum et nunc per Alanum miraculosamque Confraternitatis Coloniensis restaurationem ab universa Ecclesia testatam et honoratam excitaverat, totus mundus plenus

erat. Revera „vix verbis exprimi potest, quantum praedicatione et opera fratrum Praedicatorum divina ista devotio in christiano populo fuerit ubique propagata: quot quantaeque in honorem Dei Genitricis sub Rosarii nomine fundatae sint societates, in quas principes, reges, imperatores atque Ecclesiae praesides pro summo ducunt honore cooptari.“[1])

Ad effata haec probanda sufficiat hic, ut benevolum lectorem remittamus ad appendicem huius libri, ubi *„Series Bullarum“* etc. in favorem Confraternitatis a principio usque ad nostra tempora emissarum proponetur. Bullas autem istas suis locis infra excerptas invenies, ceteraque omnia, quae de statu Confraternitatis in hac epocha desiderantur, satis ex iis, quae adhuc dicenda sunt, patebunt.

Sunt vero hoc loco recolenda, quae supra p. 68 seq. de intimo connexu Ordinis et Rosarii exposuimus. De Ordinis autem Praedicatorum amplitudine et numerosa Fratrum multitudine Ioannes Sabellicus anno 1490 ita scribit: „Censebantur, cum haec commentaremur, una et viginti Provinciae Praedicatorum, conventus sive coenobia 4143 et in his initiati 26,460, quorum circiter 1500 essent theologicae professionis magistri“[2]), qui saeculo decurrente, multis quidem et arduis laboribus et mediante Rosario paulatim ad strictam observantiam omnes reducti erant. Totus ergo Ordo ad antiquam Patrum disciplinam[3]) reformatus et praeclarissima Rosarii restauratione excitatus, novo zelo et ardore pro domo Domini aestuabat, cum haereses novae in Germania, Francia, Helvetia, Anglia,

1) Brev. Ord. Praed. festo & Oct. Ss. Ros.
2) Ita in eius Enneade 6. lib. 9.
3) Cfr. p. 27 et seq.

septentrionalibus regionibus Ecclesiae Dei imminebant.*) Hoc modo evenit, ut hic Ordo contagione illa pestifera non solum non inficeretur, sed e contra omnibus viribus novatores debellaret pugnaretque fortissime pro fide et veritate.

Quantum vero nocumenti avaritia et nequitia novatorum hac epocha Ordini intulerit, concluditur ex tabulis ab Echard compositis, ubi anno 1719 tantum 1300 conventus Fratrum in quadraginta novem Provinciis divisi enumerantur. Ex 4143 igitur coenobiis a Sabellio numeratis maior pars ab Ecclesiae hostibus destructa fuit.

In eodem opere, cui titulus est: „Scriptores Ordinis Praedicatorum" Echard enumerat eodem anno 1719 supra 4050 celebres Dominicanae familiae scriptores, quorum vitas et scripta criticus ille enarrat et discutit. Alphonsus vero Ferdinandez († 1627) enumeraverat solummodo 1030; ex quo sequitur, quanta doctrina et pietate Ordo hac epocha fuerit imbutus.

Novissimae denique persecutiones, quibus omnes Religiones in ipsis catholicis regionibus iterum decimatae sunt, altera initio huius saeculi, altera nostris diebus, omnibus satis sunt notae et quoad priorem, quantum detrimenti Rosario intulerit, pauca in sequentibus paginis proferemus.

---

*) Mirum est et simul effatum insigne, quod legitur in: „Unser lieben Frauen Psalter. Ulm 1492" his verbis: „So hat die wirdig muter gottes Maria in irem sinn die Welt wollen erneuern in diesen schweren und sorglichen und letsten tagen durch diesen psalter und widerbringen zu den gesätzen und geboten gottes." i. e. Hisce pessimis et sollicitatis ultimis diebus ita Beata Dei Genitrix Maria hoc Psalterio mundum renovare atque ad Dei mandata et leges revocare voluit. Hoc consonat cum verbis Alani supra p. 81 allatis.

De Archiconfraternitate Ss. Rosarii ab anno 1800 usque ad nostra tempora.

Ex dictis patet, quantum incrementi haec Archiconfraternitas exinde a saeculo decimo quinto rursum ceperit, quod permansit usque ad initium saeculi nostri, quo et temporum iniquitate et hominum vi et dolo maxime afflictata est ita, ut nonnulla monumenta ubique dispersa, quae ex illo tempore ad nos pervenerunt, v. gr. Imagines Ss. Rosarii, libri nominum, processiones singulis primis mensium Dominicis habendae, missae fundatae, Diplomata Erectionis aut Chronica a maioribus pie conscripta etc. nobis pristini splendoris memoriam vix renovent.

Paulatim vero Rosarii devotio reviviscere ac se erigere coepit. Quamquam enim Confraternitas nondum restituta erat, tamen compensatio quaedam non defuit, cum anno circiter 1825 Rosarium, quod dicitur *Vivens,* inveniretur, „tamquam tyrocinium ad perfectionem Rosarianae devotionis assequendam et aditus ad proprie dictam Confraternitatem uberiori aedificationis fructu atque indulgentiarum thesauro multo locupletiore dotatam.“*)

Sub hoc titulo *Rosarii Viventis* ubique societates ab ipsis fidelibus cum promissione persolvendi quotidie unam Ss. Rosarii decadem unicuique singulis mensibus per sortem assignatam fundatae sunt.

*) Decl. Vic. Gen. Ord. Praed. d. 5. iunii 1879.

Rosario ita quodammodo restaurato diebus nostris novae Rosarii Confraternitates ubique eriguntur, antiquae restituuntur, praecipue ex quo Pius IX.[1]) munus supremi Moderatoris Rosarii Viventis Magistro Generali Ordinis Praedicatorum demandavit, et Leo XIII. gloriose regnans laudem Ss. Rosarii eiusque Confraternitatis alta voce[2]) proclamavit.

Propagare Rosarium et moderari tum eius Confraternitates tum Rosarii Viventis societates iure haereditario pluries ab Apostolica Sede confirmato ad Ordinem FF. Praedicatorum pertinet. Cuius praerogativae memores Fratres Praedicatores, quorum sanctus Ordo, rebus in Gallia exeunte superiore saeculo perturbatis, tota fere Europa collapsus postea refloruit, omni studio et zelo Rosarium colunt et in diversis constituti provinciis, ad hanc devotionem in populo christiano magis magisque fovendam libellos in singulos anni menses edere coeperunt eduntque continuo.

Sunt autem libelli hi menstrui, qui sequuntur:

1) LA COURONNE DE MARIE. Organe mensuel de la dévotion du très Saint Rosaire. *Lyon,* rue Bugeaud 104; incepit anno 1860. — Prix de l'Abonnement fr. 2.50, pour l'Etranger fr. 3.
2) L'ANNÉE DOMINICAINE. Revue mensuelle illustrée. *Paris,* rue du Cherche-Midi; inc. 1860. Collection complète 93 frs. — Prix de l'Abonnement fr. 6, pour l'Etranger fr. 7. Agit de Ordine S. Dominici et de Rosario.
3) THE MONTHLY MAGAZINE of the holy Rosary. *London* 1872, exspiravit 1879; vide tamen No. 11. infra.
4) LE PROPAGATEUR DU ROSAIRE. Bulletin men-

1) Quod iure haereditario d. 17. aug. 1877.
2) Vide supra p. 1 seqq.

suel. *Louvain* au couvent des Dominicains; inc. 1875. — 1 fr. par an, 1.50 pour l'Étranger.

5) DE ROZENKRANS. Maandschrift. *Leuven,* ut No. 4. inc. 1875.

6) DER MARIEN-PSALTER. Monatsschrift. (Berlin 1878—1880; postea 1881 etc.) Dülmen in Westfalen, A. Laumann's Verlag. Mit Illustrationen. Mk. 1.00 pro Jahrgang.

7) DE ROZENKRANS. Maandschrift; inc. 1879. *s'Hertogenbosch-Zwolle* bij W. van Gulick. — Prijs per Jaargang is één gulden; franco per post fl. 1.15.

8) LA VOZ DOMINICANA. Se publica el dia 1° de cada mes; inc. 1879. *Madrid.* Calle de Campomanes 13. — La suscriciones son para España y Portugal anualidad 3 pesetas.

9) IL ROSARIO. Memorie Domenicane. Se pubblica una volta il mese. Con incisioni. *Ferrara;* inc. 1884. — Per l'Italia L. 4 all'anno, per l'Estero L. 5.50.

10) IL ROSARIO E LA NUOVA POMPEI. Se pubblica, ut supra, *Valle di Pompei;* inc. 1884. — Associazione per un anno L. 4 per l'Italia, per l'Estero L. 4.50.

11) THE ROSARY, a monthly publication; inc. 1885. *London.* M. Gildea 36. Southampton Road, Haverstock Hill N. W. — Price yearly Subscription: Two Shillings and Sixpence; postfree.

Rosarium ergo nostris diebus ubique in Francia, in Anglia, in Belgio, in Germania, in Hollandia, in Hispania, in Italia cum uberrimo fructu iterum gaudet suis Apostolis, qui spiritu Patris sui S. Dominici ducti et Encyclicis Summi Ecclesiae Antistitis supra allatis recreati, super fundamentum Rosarii Viventis, in quantum locorum circumstantiae id permittunt, saluberrimae ac gloriosissimae Sacratissimi Rosarii Archiconfra-

ternitatis ramos, Confraternitates scilicet filiales, revivificare, confirmare, augere, multiplicare, unanimiter contendunt, ita ut granum sinapis, quod temporibus proxime elapsis minus iudicabatur omnibus sodalitatibus, quae sunt in terra, „ascendat et fiat maius omnibus oleribus et faciat ramos magnos, ita ut possint sub umbra eius aves coeli habitare.“*)

Concedat Regina Sacratissimi Rosarii, ut quod ipsius auspiciis bene inceptum est, in dies melius procedat et optimam frugem saluti animarum ferat.

*) Marc. IV. 31—33.

De fine Archiconfraternitatis Ss. Rosarii.

Finis huius Archiconfraternitatis est animarum salus ad Dei Deiparaeque gloriam seu continuus progressus in via perfectionis christianae per fidelem Ss. Rosarii cultum secundum regulas ab Ecclesia approbatas.

1) Progredi in vita christiana nihil aliud est quam crescere in charitate Dei et proximi, quod vix fieri potest nisi per meditationem. „Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est, qui recogitet corde.“[1]) „In meditatione mea exardescet ignis.“[2]) Unde vitae spiritualis doctrina haec est: „Meditatio in sensu simplicis rerum divinarum considerationis, abstrahendo a quacunque particulari forma et methodo, adultis prorsus necessaria est ad salutem, quia est medium unicum ad peccata vitanda, ad flammam divini amoris accendendam, sine quo prono veluti alveo anima nostra in omne vitiorum genus prolaberetur. Si vero sermo sit de oratione mentali in sensu magis stricto, absque ea vix anima in amore divino progredi poterit.“[3])

Saluberrima autem est meditatio vitae, passionis et gloriae Domini Nostri Iesu Christi. Quid enim fortius nos movet ad redamandum Patrem, quam consideratio assidua Dei, qui sic dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret in mortem pro nobis pecca-

1) Ieremias 12. 11.
2) Ps. 38. 4.
3) Scavini. — St. Lig. hom. ap. 4. app. 1. § 1, app. 4. § 3.

toribus? Quid vehementius ardorem in Dei Filium accendere valet, quam contemplatio ipsius passionis et mortis? Quid tandem dulcius ad vitam sancte degendam nos allicit, quam coelestis illa gloria, qua nunc gaudet Salvator noster Iesus? Quae qui meditatur, praeterire non potest vitam, dolores, gloriam B. Mariae Virginis, Matris Dei et nostrae, quae est mater pulchrae dilectionis, vita, dulcedo et spes nostra.

Haec praecipua christianae fidei mysteria „modo facili et omnibus pervio ac admodum pio" nobis usque proponens Rosarium simul sanctissimas orationes labiis nostris communicat. Oratione Dominica petimus a Patre omnia, quae nobis sunt salutaria, et Angelica Salutatione saepius repetita, potentissima Deiparae intercessione nos dignos reddimus.

Unde qui sincera devotione Rosarium persolvere consuevit, ex multiplici fonte continuo crescit in humilitate, modestia, obedientia, Dei caritate, omni denique perfectione. Qui Deum vere diligere didicit, non potest proximum suum non diligere et sic implet maximum et primum secundumque huic simile mandatum: „Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et in tota anima tua et in tota mente tua. Diliges proximum tuum sicut teipsum."*)

Ex quo patet, huic Confraternitati adscribi idem esse ac charitatem Dei et proximi profiteri.

2) Charitatem vero Sodales Ss. Rosarii inter se fovent per hoc, quod omnia bona spiritualia sunt communia, quod orationes et opera pia unius aliis prosunt, quod communibus exercitiis Confraternitatis et Ecclesiae assidue et devote adstantes confratres aedificant et per omnia ad virtutem colendam animant,

*) Matth. 22. 37 seqq.

quod aegrotos visitant, pauperibus libenter subveniunt, defunctis plurimas indulgentias applicant aliaque opera misericordiae cum corporalia tum spiritualia cuivis Christiano communia sollicitius frequentant; denique quod student „perseverare unanimiter in oratione cum Maria matre Iesu et fratribus eius", esse „cor unum et anima una."[1])

Summo igitur iure a Clemente VIII., Paulo V., Alexandro VII., Innocentio XI., aliis Summis Pontificibus vocatur „Confraternitas, cuius dilecti filii confratres quamplurima caritatis, pietatis et misericordiae opera exercere consueverunt". Unde verum est pulcherrimum illud anagramma: „Rosarium Mariae — Aerarium amoris."

„Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum! Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem et vitam usque in saeculum."[2]) Dubitari nequit, quin benevolentissimis oculis Deus respiciat sodales huius Confraternitatis, quos cum Filio suo unigenito et Matre eius immaculata, prae omnibus electa, intime coniunctos audit clamantes: „Abba, Pater."[3]) Iesus et Maria, quorum vitae mysteria devote consideramus, quorum nomina assidue invocamus, quorum corda cernui veneramur, quorum virtutes quotidie imitari conamur, quorum laudes toto corde praedicamus, quorum orationem gratissimam persolvimus, ut fideles suos Psalmistas nos redamabunt et gratias omnes a Patre obtinebunt, praesertim, „ut imitemur, quod mysteria Ss. Rosarii continent et, quod promittunt, assequamur."

1) Act. Ap. 1, 14; 4, 32.
2) Ps. 132. 1. 4.
3) Rom. 8. 15.

3) Finis ergo huius Archiconfraternitatis unus et communis est animarum salus ad Dei Deiparaeque gloriam mediante Rosario promovenda, quem finem Pontifices multipliciter describere ac recensere videntur, unde eorum concepta hic exhibeantur. Declarant enim:

„Beatissimae Virginis Mariae Fraternitas de Rosario nuncupata salubriter instituta est:

1) „In sola bonorum operum concitatione etc. sub certis limitibus,
2) „ad maximam huius Virginis laudem,
3) „ad multorum aedificationem.“ Ita Alexander, Nuntius Apostolicus etc.[1])
4) „Ad honorem Angelicae Salutationis,
5) „ad Dei Omnipotentis et gloriosae Virginis Mariae laudem et gloriam,
6) „ut ipsi confratres et sorores sedulius et devotius orationibus intendant;
7) „ut ferventius inducantur ad devotionis opera exercenda,
8) „ut exinde reddantur divinae gratiae aptiores.“ Ita Sixtus Papa IV.[2])
9) „Contra imminentia mundi pericula etc., etiam sequentibus signis.“ Leo X.[3])
10) „Ad aperiendum coelorum semitas, ut facilius animarum suarum salutem consequi sperent;“ Paulus III.[4])
11) „Ad Romanae Ecclesiae decorem.“ Iulius III.[5])

1) In Brevi supra p. 99. de verbo ad verbum allato.
2) In Brevibus: Pastoris et Ea quae.
3) In Brevi: Pastoris aeterni.
4) Apud Coppenstein p. 382.
5) In Brevi: Cum Romae, apud Morassi O. P.: Il Rosario. Casal-Monferrato 1872 p. 487; vide etiam supra p. 7.

12) „Ad iram Dei placandam;
13) „ad Beatissimae Virginis intercessionem implorandam.“ Gregorius XIII.[1])
14) „Ut Rosarii precationis ope tamquam validissimo instrumento bellico victi hostes proflagatique vesanam impietate audaciam ponere cogerentur.“ Leo XIII.[2])
15) „Ut per mysteriorum salutis nostrae contemplationem assiduam fides excitetur in mentibus hominum atque divinae orationis ignis etc. denuo accendatur, imo in cuiusque familiae intimis penetralibus pacis, dignitatis, prosperitatis utique pignus reviviscat.“ Leo XIII.[3])

Hos quindecim Archiconfraternitatis et Confraternitatum Ss. Rosarii omnium fines particulares, qui cum fine generali exposito coincidunt, omnes exceptis duobus ultimis adducit Coppenstein p. 381, ubi numeris 14. et 15. ex verbis S. Pii V. a nobis supra p. 33 allatis fines proponit et adiungit: „Ecce Fraternitatis institutae fines particulares quindecim; si non multo, at aliquo inter se dissimiles. Quos ideo recensui, ut ad singulos, pro re ac tempore, suam sciat precaturus intentionem dirigere vel concionem in Fraternitatis laudem peroraturus; simul ut quis metiri perfectius queat ex fine ipsum Fraternitatis Institutum.“

Hisce expositis agendum erit de mediis, quibus fines illi ab Archiconfraternitate uberrimo cum fructu expetuntur et conficiuntur seu de Confraternitatibus Ss. Rosarii ubique fundandis ac recte administrandis secundum regulas ab Ecclesia constitutas.

---

1) In Brevi: Monet Apostolus.
2) Supra p. 5.
3) Supra p. 12, nota.

De erectione Confraternitatum Ss. Rosarii.

Confraternitates Ss. Rosarii, ut canonice et valide fundentur, erigi debent a Magistro Generali Ordinis Praedicatorum eiusve Vicario Generali super totum Ordinem, cum assensu Episcopi loci Ordinarii, mediante praedicatione alicuius Patris eiusdem Ordinis, sub certis conditionibus, de quibus omnibus et singulis nunc erit tractandum.

I.

DE IIS, QUAE IN CONFRATERNITATIBUS SS. ROSARII ERIGENDIS PERTINENT AD MAGISTRUM GENERALEM ORDINIS PRAEDICATORUM.

1) „Solus Magister Generalis Ordinis Praedicatorum, eoque a Romana Curia absente, Vicarius Generalis eiusdem Ordinis Confraternitates Ss. Rosarii erigere potest.“ Ita Fontana.[1])

2) Potest tamen Magister Ordinis quosdam Provinciales remotarum Provinciarum ad hanc institutionem delegare ea lege, ut iidem alios subdelegare nullatenus possint et quotannis eundem Ordinis Magistrum de erectis Confraternitatibus certiorem reddere

1) Constitutiones Ord. Praed. Romae 1862: De Societatibus no. 1. S. Pius V. Inter desiderabilia d. 20. iunii 1569 (cfr. supra p. 29.) et Consueverunt d. 17. sept. 1569; Sixtus V. Dum ineffabilia d. 30. ian. 1586; Innocentius XI. Nuper pro parte d. 31. iulii 1679 post cap. XII.; Benedictus XIII. Pretiosus d. 26. maii 1727 § VIII. Benedictus XIV. per Decr. S. C. I. d. 26. aug. 1747. Pius IX. per Decr. S. C. I. d. 11. april. 1864, Leo XIII. in Litt. ad Mag. Gen. Ord. Praed. d. 20. nov. 1883 (vide supra pp. 13. seqq.).

teneantur ac salva semper auctoritate Congregationis Ven. S. R. E. Cardinal. Concilii Trident. Interpretum,[1]) uti habetur in bulla: „Pretiosus“ Benedicti XIII. § VIII., quam Bullam quoad ea, quae ad Rosarium spectant, infra in extenso describemus. — Ast secundum hodiernam praxim Reverendissimus Magister Generalis singulis Provincialibus Diplomata seu Instrumenta quaedam in blanco transmittit cum ad Confraternitates erigendas tum ad facultates personales concedendas in ipsorum Provinciis, ita ut non sit opus singulis in casibus Romam recurrere.

3) Capitulum Ordinis Romae 1629 celebratum rogat Magistrum Generalem „ne personis extra Ordinem nostrum constitutis facultatem concedat [generalem] erigendi Societatem Ss. Rosarii in ecclesiis ad nostram Religionem non spectantibus (Admon. 3)“.[2])

4) „Magister Ordinis Praedicatorum, sicut habet facultatem privative [i. e. exclusive, quia praeter illum nemo alius simili facultate gaudet] instituendi Confraternitates Ss. Rosarii, ita etiam supprimendi. Hanc facultatem habere Magistrum Generalem agnovit declaravitque Gregorius XIV.“[3])

5) Confraternitates Ss. Rosarii, inscio Magistro Generali Ordinis Praedicatorum et absque speciali indulto erectae, nullius sunt valoris, ut exhibet sequens:

ORDINIS PRAEDICATORUM

Decretum.

Cum Sacra Congregatio Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis praeposita declarasset per Decretum diei

1) Constitutiones Ord. Praed. approbatae Parisiis 1872 no. 109 et Fontana de Soc. no. 3.

2) Constit. Ord. Praed. no. 109.

3) Fontana de Soc. no. 3. Gregorius XIV. Apostolicae servitutis de 25. sept. 1591. S. C. Reg. d. 18. maii 1640.

19. Augusti 1747, approbatum, et confirmatum, sub die 26. praedicti mensis a san: mem: Benedicto XIV., Sodalitates SSmi Rosarii erectas inscio Magistro Generali Ordinis Praedicatorum, Indulgentiis in Brevi Apostolico expressis non gaudere, tamen plures Episcopi in propriis Dioecesibus etiam nunc Sodalitates instituunt sub titulo SSmi Rosarii vigore Apostolicarum facultatum, quae ab ipsis impetrantur in genere, erigendi nempe Sodalitates cuiuscumque tituli, et invocationis; itaque modernus Magister Generalis eiusdem Ordinis Praedicatorum, eidem Sacrae Indulgentiarum Congregationi dubium solvendum proposuit:

„Utrum absque expressa mentione derogationis privilegii Ordini praefato concessi, et sola vi generalis communicationis Indulgentiarum, quibus gaudent Archiconfraternitates Urbis, Confraternitatibus, quae in aliqua Dioecesi sub iisdem titulis ab Ordinario eriguntur, concessae, etiam Societates sub titulo SSmi Rosarii absque Magistro Ordinis Praedicatorum institutae Indulgentiis, huic Societati elargitis, frui possint et valeant?“

Cum autem praefatum dubium in congregatione habita die 29. Februarii 1864 in Palatio Apostolico Vaticano ab Eminentissimis Patribus fuerit rite discussum, respondendum esse duxerunt:

„Provisum per responsum ab hac S. Congregatione die 19. Augusti 1747, confirmatum a Benedicto XIV. die 26. praedicti mensis, facto verbo cum SSmo.“

Facta deinde per me infrascriptum Secretarium SSmo Dno Nostro Pio PP. IX. relatione, in Audientia diei 11. Aprilis eiusdem anni, Sanctitas Sua, votum Emorum Patrum benigne confirmavit.

Etsi autem per praefatum Benedicti XIV. Decre-

tum cautum sit, ne in posterum virtute Brevis Apostolici in genere impetrati, erigantur Confraternitates SSmi Rosarii, inconsulto Magistro Generali Ordinis Praedicatorum, tamen ne devotionis fervor tepescat, sed potius sodalium pietas magis augeatur et florescat, Sanctitas Sua Confraternitates tali modo hactenus erectas, dummodo nihil aliud obstet, motu proprio, ac de plenitudine potestatis sanavit, et validas esse declaravit, contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus. Idem vero SSmus D. N. de plenitudine pariter potestatis voluit, et expresse mandavit, ut in posterum Confraternitates SSmi Rosarii, nonnisi ad formam Decreti Benedicti XIV. erigantur, servatis insuper caeteris de iure servandis.

Datum Romae, ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum die 11. Aprilis 1864.

FR. ANTONIUS A. M. CARD. PANEBIANCO PRAEF.
A. Archipr. Princivalli Substit.

6) Hoc igitur decreto Confraternitates omnes, inscio Magistro Generali Ord. Praed. ante diem 11. aprilis 1864 erectae, „dummodo nihil aliud obstet," sanatae et validae declaratae sunt, invalidae vero omnes post dictum diem, inconsulto eodem Magistro, fundatae.

7) A tempore Benedicti XIII.[1]) non requiritur amplius distantia trium milliarium inter duas Ss. Rosarii Confraternitates, dummodo una tantum in unoquoque loco vel civitate instituatur; quod iterum Pius IX. ad instantiam Procuratoris Ord. Praed. vivae vocis oraculo[2]) confirmavit, „posse scilicet Magistrum Generalem Ordinis Confraternitatem Ss. Rosarii erigere

1) Pretiosus § IX.

2) Romae d. 28. ianuarii 1863. Fontana de Soc. no. 18; Constit. Ord. 1872 no. 109. De valore vivae vocis oraculorum tractabimus, ubi de Indulgentiis agetur.

in locis, qui inter se non distant per tria milliaria, dummodo sint civitates seu loci vel communia distincta."

8) Eodem vivae vocis oraculo Sanctissimus sanavit „omnes erectiones, quae forsan usque ad illum diem [28. ianuarii 1863] factae fuerant, non servata antedicta distantia."

9) „An in frequentioribus civitatibus Galliae liceat plures Confraternitates (S. Iosephi) erigere, cum ad satisfaciendum fidelium devotioni ob locorum distantiam et negotiorum diversitatem una Confraternitas minime sufficiat?"

Resp. „Generatim negative; obveniente autem gravi causa recurrat in casibus particularibus" [Director Generalis].[1])

Idem valet pro Rosario.

10) „In locis, ubi Conventus Ordinis Praedicatorum non existit, Confraternitates Ss. Rosarii erigantur in ecclesiis parochialibus,"[2]) aut „in iis dumtaxat filiabus, in quibus parochus functiones vere parochiales exercet, uti sepelire mortuos, baptizare, Ss. Eucharistiae Sacramentum ministrare in Paschate et similia." Ita decrevit S. C. I. ratione altaris privilegiati.[3])

11) „Ordinamus et omnino prohibemus, ne Societates Ss. Rosarii in monasteriis Monialium aut oratoriis, quibus utriusque sexus fideles libere interesse nequeunt, instituantur,"[4]) quod iam antea pluries pro ecclesiis Monialium a S. Congregatione prohibitum fuerat.[5])

---

1) S. C. I. d. 29. febr. 1864.

2) Cap. Gen. Ord. Romae 1629 ord. 6, Fontana de Soc. no. 16.

3) Decr. die 30. ian. 1760.

4) Cap. eodem Romae 1629 ord. 6, Fontana no. 15.

5) Ferraris: Prompta Biblioth. art. Confraternitates. — Const. Ord. Praed. 1872 no. 109.

12) Idem valet pro ecclesiis quasi-Religiosarum. „In Gallia cum minime existant Religiosae a. S. Sede approbatae et aliunde plures adsint communitates quasi-Religiosarum, quae scholas dirigunt et congregationes habent puellarum tam externarum quam alumnarum, valde utile esset, Confraternitates erigere in earum ecclesiis; quaeritur, an possint erigi?“

Resp: „Non expedire.“[1])

13) Attamen „in eorundem Praedicatorum vel aliorum Ordinum monasteriorum seu domorum ecclesiis, capellis et oratoriis etc. Confraternitates eiusmodi Ss. Rosarii per Magistrum et Vicarium Generalem dicti Ordinis Praedicatorum erigi et institui libere et licite possunt et valent, ex concessione Sixti V.[2])

14) Fundantur autem Ss. Rosarii Confraternitates a Magistro Ordinis Generali, Diplomate Erectionis, cuius exemplum hoc est:

Copia Diplomatis Confraternitatum Ss. Rosarii erigendarum.

In nomine Sanctissimae Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti et ad laudem et gloriam Beatissimae Dei Genitricis Virginis Mariae D. N. piamque venerationem S. P. N. Dominici, SS. Rosarii auctoris ac institutoris, Fr. . . ., Ordinis FF. Praed. humilis Magister Generalis ac servus, omnibus praesentes litteras inspecturis salutem in Domino sempiternam.

Quemadmodum Christianae perfectionis summam in unitate Fidelium ad Christum, veluti membrorum ad caput, omnium perfectionum fontem, necnon unione Christianorum ad invicem consistere credimus: ita ad

1) S. C. I. d. 29. febr. 1864. — Ad consolandas Sancti-Moniales et quasi-Religiosas earumque alumnas videantur, quae infra in earum favorem reservata afferemus.

2) Dum ineffabilia d. 30. ian. 1586.

illam adipiscendam, optimum esse orationis medium ratione et experientia pie edocemur. Modus vero Deum orandi, secundum quem Ss. Virgo Maria Mater Dei per centum quinquaginta Salutationes Angelicas et quindecim Dominicas Orationes instar Davidici Psalterii colitur, qui Rosarium nuncupatur ac a Ss. Patre nostro Dominico primum inventus et institutus, a Summis Romanis Pontificibus successive ad devotam Patrum Nostri Ordinis intercessionem approbatus, privilegiis quoque maximis ac innumeris indulgentiis aliisque Apostolicis gratiis decoratus, inter caeteros in Ecclesia inventos ad hoc obtinendum (ut pie credimus) magnopere confert; nam praeter hoc, quod Beatissima Dei Genitrix, cuius intercessio nobis perfectionem hanc impetrare potest, ibi crebrius invocatur, ipse quoque per se modus orandi (si recte fiat) quam facillime compendio illam consequitur, dum Iesu Christi Salvatoris nostri vitam omnem per quindecim Mysteria digestam meditando percurrere facit.

Quae Vos in Christo dilectissimi et devotissimi Christifideles Loci . . . pie considerantes ad habendum, augendum et conservandum praedictum modum orandi Confraternitatem Psalterii seu Rosarii sub invocatione B. Mariae Virginis in Ecclesia . . . dicti Loci, instituendi et habendi eiusque Altare et Capellam fundandi et erigendi a Nobis instantissime petivistis per interpositam personam, Vobis licentiam impertiri cum gratiis et favoribus opportunis. Nos igitur vestris votis et piis petitionibus inclinati, dictam Confraternitatem, sicut praefertur, instituendi, Auctoritate Apostolica Nobis concessa tenore praesentium licentiam concedimus et facultatem: accedente tamen assensu Ordinarii loci, cum litteris testimonialibus eiusdem, ac Prioris vicinioris

Conventus seu loci Ordinis nostri, ac media praedicatione alicuius Patris eiusdem Ordinis nostri per suum Superiorem destinandi, et dummodo in dicto Loco alia Confraternitas Ss. Rosarii legitime erecta non fuerit. Eamque Confraternitatem atque omnes utriusque sexus Christifideles in eamdem recipiendos, cum gratiis et indulgentiis sibi a Romanis Pontificibus concessis, prout aliae consimiles Confraternitates in Ecclesiis nostri Ordinis institutae potiuntur, recipimus et admittimus in vita pariter et in morte. Quae indulgentiae singillatim descriptae habentur in Elencho, quem rite per Ordinarium Loci recognitum una cum his litteris tradimus diligenter asservandum. Quibus omnibus indulgentiis et spiritualibus gratiis descriptis Confraternitatem ipsam nunc erectam eiusque confratres potiri et gaudere posse decernimus iuxta ea, quae fel. me. Clemens Papa VIII. in Constitutione quae incipit: „*Quaecumque*“ data sub die 7. Decembris 1604 praescripsit, et variationes a SSmo D. N. Pio PP. IX. approbatas, ut ex Decreto S. Congregationis Indulgentiarum diei 8. Ianuarii 1861, et cuius Constitutionis praecipua Capita cum dictis variationibus subnectuntur, scilicet:

1. Quod unica tantum Confraternitas eiusdem Instituti et generis institui et aggregari possit in Ecclesiis tam Saecularium, quam Regularium.
2. Quod id fiat de consensu Ordinarii et cum Litteris Testimonialibus eiusdem.
3. Quod Confraternitati institutae vel aggregatae expresse et in specie communicentur Privilegia et Indulgentiae Ordini instituenti vel aggreganti nominatim concessa, non vero ea, quibus per privilegium communicationis gaudet.

4. Quod Statuta Confraternitatum examinentur et approbentur ab Ordinario loci et ab eodem corrigi possint.
5. Quod gratiae et Indulgentiae Confraternitati communicatae praevia cognitione Ordinarii dumtaxat promulgentur.
6. Quod Confraternitas eleemosynas excipiat et eroget iuxta formam per Ordinarium praescribendam.
7. Quod Litterae erectionis et aggregationis gratis omnino ac nulla prorsus mercede etiam a sponte dantibus sub praetextu merae eleemosynae expediri et concedi possint, et solummodo titulo expensarum pro pergamena, scriptura vel impressionis stipendio, sigillorum expensis, cordulis, cera, Secretarii Notariique labore vel mercede aliisque omnibus eam quantitatem, quae non excedat summam scutorum sex monetae Romanae in Italia, et extra non excedat summam libellarum vulgo *francs* triginta pro singula institutione vel aggregatione vel confirmatione recipere liceat.
8. Quod singula hic mandata et expressa in omnibus suis partibus fideliter observentur, secus institutiones vel aggregationes et communicationes Privilegiorum et Indulgentiarum nullius sint roboris et momenti, et quilibet Superiorum atque Officialium privationis Officiorum quae obtinent atque inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda poenam eo ipso incurrant, quae ab alio quam a Romano Pontifice remitti non possit.

Admonentes eiusdem Ss. Rosarii festum prima Dominica mensis Octobris in singulis annis in eadem Capella celebrari debere, iuxta fel. rec. Gregorii XIII. decretum et institutum, in gratiarum actionem praeteritae ac memorandae victoriae contra Turcas, eius-

dem Societatis Confratrum fusis precibus, eadem die ac (ut pie credimus) auxilio et interventu eiusdem Beatissimae Virginis Mariae Dominae nostrae impetratae atque obtentae. Cuius Societatis et Capellae Capellanum deputamus . . . qui nomina et cognomina omnium Christifidelium in eandem Societatem ingredi et devote recipi petentium in libro ad hoc specialiter deputato possit scribere, Psalteria seu Coronas benedicere, Sacri Rosarii Mysteria reverenter exponere ac omnia et singula facere, quae Fratres nostri in Ecclesiis ad hoc deputati facere possunt et rite consueverunt: in diem Christi eiusdem conscientiam onerantes, ne pro admissione, ingressu, scriptura et benedictione aliquid omnino temporalis lucri quomodolibet exigat, sed gratis haec omnia praestet, quemadmodum ipsius piae Societatis Capitula habent et sanctiones, ut etiam nos in Dei cultum eiusque Sanctissimae Matris gloriam et Christifidelium salutem et profectum gratis accepimus et gratis damus et concedimus.

Volumus autem et omnino observari iubemus, quod in Venerabili Icone dictae Capellae, P. N. Dominici*) eiusdem Rosarii primarii Auctoris Imago vene-

---

*) Ut sculptores et pictores Sanctum Dominicum rectius fingere queant, non ingratum erit, si hic subiungimus id, quod Ven. Soror Caecilia Romana, quae de manu ipsius P. Dominici habitum accepit et in eius manus tribus vicibus professionem fecit, suo in libello de miraculis B. Patriarchae scripsit: „Caput XIV. *De forma Beati Dominici.* Fuit autem forma B. Dominici huiusmodi. Statura mediocris, tenuis corpore, facies pulcra et parum rubea, capilli et barba modicum rubei, pulcer oculis. De fronte eius et interciliis quidam splendor radiabat, qui omnes ad sui reverentiam et dilectionem attrahebat. Semper hilaris et iucundus permanebat, nisi cum compassione pro qualibet afflictione proximi movebatur. Manus longas et pulcras habebat. Nusquam fuit calvus, sed coronam rasilem totam integram habebat paucis canis respersam.“ *Mamachi app. p. 263.* — Habitus Ordinis totus est albi,

randa, flexis genibus de manu Deiparae Virginis Coronas oratorias accipientis, pingatur.

Decernimus insuper et declaramus postremo, quandocumque contigerit dictos Fratres nostros ibidem Ecclesiam obtinere, ipso iure ipsoque facto, ex nunc pro tunc, absque alia declaratione, sed praesentium tenore, dictam Societatem ac omnes Indulgentias et Privilegia eidem concessa ablata esse a dicta Capella et penitus atque totaliter ad dictam nostram Ecclesiam translata cum omnibus bonis temporalibus dictae Societatis quomodolibet acquisitis.

Praeterea ex Brevi: *Quod iure,* diei 17. Augusti MDCCCLXXVII., eiusdem Confraternitatis pro tempore Rectorem declaramus Praesidem etiam ac Moderatorem Sodalitatis *Rosarii Viventis* cum facultate eligendi Zelatores et Zelatrices intra limites supradictae Confraternitatis. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Quibuscumque in contrarium non obstantibus.

In quorum fidem his Patentibus litteris Officii Nostri sigillo munitis manu propria subscripsimus.

Datum Romae, die ... Mensis ... 18

Fr. ...

L. S. Magister Generalis Ordinis.

Reg. ... Fr. ...

Huic Diplomati semper adiungitur Elenchus Indulgentiarum sigillo Magistri Generalis Ordinis munitus, cuius exemplum reperies infra sub titulo: Summarium Indulgentiarum Pii IX.

---

cappa seu mantellum nigri coloris. Sancti insignia sunt stella rutilans in fronte, lilium, liber Epistolarum S. Pauli Apostoli, baculus, Rosarium, canis orbem facula illuminans et accendens.

II.

DE IIS, QUAE IN CONFRATERNITATE ERIGENDA PERTINENT AD EPISCOPUM LOCI ORDINARIUM.

1) Confraternitates Ss. Rosarii instituantur „de consensu Ordinarii et cum litteris testimonialibus eiusdem".[1])

Ratio his verbis indicatur: „Pro formali valida erectione sodalitii praecipue requiruntur litterae testimoniales Episcopi, quibus Confraternitatis erigendae pietas et christianae charitatis officia, quae exerceri debent, commendanda sunt."[2])

2) „Litterae autem patentes erectionis Confraternitatis Ss. Rosarii [a Magistro Ord. Praed.] expediri possunt absque praecedenti assensu Episcopi loci in scriptis tradito, cum sufficiat clausula (accedente consensu Ordinarii loci) expressa in litteris erectionis. Et hoc non obstante decreto Sacrae Congregationis Indulgentiarum diei 8. ianuarii 1861.[3]) In quorum fidem etc."

Datum Romae etc. d. 8. mart. 1863.

Fr. Marianus Spada.

Procurator Gen. Ord. Praed.

3) „Saepedictus vero Magister Generalis pro huiusmodi Confraternitatum erectione consuetas litteras sacerdotibus sui Ordinis, vel ubi horum Conventus non existat, aliis ecclesiasticis personis etc. expediat, ipsaeque litterae nonnisi de consensu Ordinarii servatisque reliquis omnibus in huiusmodi erectionibus ex Apostolicis Constitutionibus servandis ac servari solitis, executioni mandentur."[4])

1) Clemens VIII. Quaecunque d. 7. dec. 1604; videsis Diploma erect. no. 2.

2) S. C. C. d. 3. dec. 1789.

3) Pius IX. vivae voc. orac. d. 28. ian. 1863.

4) S. C. I. d. 26. aug. 1747.

4) „Statuta Confraternitatum examinentur et approbentur ab Ordinario loci et ab eodem corrigi possunt.“[1])

5) „Statuta ab Ordinariis respectivorum locorum pro diversitate temporum et circumstantiarum erunt constituenda etc.; quod si nonnulli Statutorum articuli aliqua peragenda opera sodalibus proponant, quae ex Pontificia concessione ditata sint indulgentiis, ipsi tamquam essentiales habendi sunt, ut nullo modo variari possint, ne tali spirituali emolumento sodales sint fraudati.“[2])

6) Statuta ab Apostolica Sede approbata corrigere vel exercitia ordinaria et usus generales supprimere nemini licet.[3])

7) *a.* „Utrum Vicarius [Episcopi] Generalis possit valide concedere litteras testimoniales ac consensum requisitum a Clemente VIII. pro aggregatione Confraternitatum?

b. Utrum Vicarius Generalis possit approbare Statuta Confraternitatum?

Resp. ad *a.* Negative.

ad *b.* Negative et supplicandum Sanctissimo pro sanatione quoad praeteritum.“[4])

8) Vicarius Capitularis se abstineat a concedendis litteris testimonialibus et consensu requisitis pro aggregatione Confraternitatum et ab approbandis Statutis Confraternitatum.[5])

9) „Nemini licet, inconsulto Episcopo in sua dioe-

---

1) Dipl. erectionis no. 4.

2) S. C. I. d. 12. mai. 1843.

3) S. Pius V. Salvatoris d. 5. martii 1572; Clemens VIII. Decet Romanum d. 27. aug. 1597 et Decr. d. 23. sept. 1602. Benedictus XIII. In supremo d. 10. april. 1725 et Pretiosus etc.

4) S. C. I. d. 18. aug. 1868.

5) S. C. I. d. 23. nov. 1878.

cesi erigere et creare de novo Confraternitates et eorum Statuta confirmare, quae omnia privative quoad alios ad Episcopum tantum pertinent in sua dioecesi.[1])

10) „Prudentissime constitutum fuisse patet, quod Statuta Confraternitatum erigendarum vel aggregandarum debeant antea ab Episcopo dioecesano ad examen revocari ac pro ratione loci approbari et eorundem moderationi et correctioni semper subiecta permanere; ut nempe a Statutis iisdem expungi valeat, si aliquid forte contineant, quod minus licitum, decorum aut opportunum appareat, vel tale evadat ob circumstantiarum tum loci tum temporis variationem, atque adiici in ipsis possint, quae ad propositum finem melius et facilius assequendum opportuna vel circumstantiarum variationi magis accomodata videantur,“[2]) praesertim cum erigere Confraternitates earumque Statuta approbare ab Actis S. Sedis refertur in numerum „maiorum Dioecesis negotiorum.“

11) Ad alicuius Confraternitatis Statuta componenda necesse est, ut spiritus eiusdem Confraternitatis recte perspiciatur et sapiatur. Manifestatur autem spiritus ille Constitutionibus Summorum Pontificum et traditione constanti Ordinis, a quo illae sodalitates fundantur. Cum vero Confraternitas Ss. Rosarii plurimis[3]) gaudeat Constitutionibus Apostolicis, quae per maiorem partem huius saeculi usque ad nostros dies nulli fere erant notae et vix ab uno aestimatae, cumque Ordo Praedicatorum cum ceteris longo tempore fuerit ubique expulsus, mirandum non est, quod Statuta Confraternitatis nostrae nusquam non resecata

1) S. R. C. d. 7. oct. 1617.

2) Panici. Animadversiones in Constit. Quaecunque Clementis VIII. d. 7. dec. 1604. Romae 1879 p. 8.

3) Vide infra: Series Bullarum etc.

et quasi ad nihilum redacta nunc inveniuntur. Unde opportunum videtur, Statuta illa antiqua de novo proponere, uti ea ex Bullis et Brevibus, etiam recentioribus, et probatis Ordinis auctoribus eruuntur.

12) Statuta Confraternitatis Ss. Rosarii,
(AB ORDINARIO LOCI APPROBANDA).

Illme et Rme Domine!

Ad erigendam Confraternitatem Ss. Rosarii in ecclesia Sancto N. in N. dedicata, postquam Clementia Vestra litteris testimonialibus de dato . . . assensum benigne praebuit, hisce Diploma et Elenchum Indulgentiarum a Rmo Magistro Generali Ordinis Praedicatorum obtenta ac Statuta recognoscenda humillime transmitto.

Sunt autem Statuta illa Ordinis Praedicatorum:

art. 1.

Finis Ss. Rosarii Archiconfraternitatis, cuius confratres, testimonio Summorum Pontificum, quam plurima caritatis, pietatis et misericordiae opera exercere consueverunt, est animarum salus ad Dei Deiparaeque gloriam seu continuus progressus in via perfectionis christianae per fidelem Ss. Rosarii cultum secundum regulas ab Ecclesia approbatas.

art. 2.

Confraternitatis mox in N. solemniter erigendae Rector erit Parochus (vel Sacellanus I. vel II.) *pro tempore,* prout statutum est in Diplomate adiecto.

art. 3.

Confraternitas illa altare suum proprium habebit in capella Beatissimae Virginis in ecclesia parochiali. Supra vel prope hoc altare Ss. Rosarii Imago et Diploma Erectionis affigentur.

art. 4.

Omnes utriusque sexus Christifideles in hanc Confraternitatem admitti possunt, etiam pueri, qui Rosarium recitare aliquo modo sciunt, exclusis solummodo aperte indignis.

art. 5.

Confratrum nomina et cognomina in libro ad hoc specialiter deputato necesse est ut inscribantur. Quae inscriptio, pro semper valens, fiet gratis omnino, etiamsi oblationes pro bono Confraternitatis minime prohibeantur.

art. 6.

Confratres et consorores firmiter sibi proponunt, singulis hebdomadibus Psalterium B. Mariae Virginis integrum recitare, quod quindecim Angelicarum Salutationum decades, Oratione Dominica unicuique decadi praemissa, complectitur; ad earum singulas totidem nostrae Reparationis mysteria praescripta et specialiter determinata, pia meditatione recoluntur. Utendum est Rosario rite benedicto. Quindecim denaria recitanda in quindecim partes dividi possunt.

art. 7.

Singuli sodales, qui hebdomadatim pie hoc modo orant, tum omnium bonorum operum omnium Ss. Rosarii Confraternitatum in universo orbe terrarum ubique existentium, tum omnium bonorum spiritualium trium Ordinum S. P. N. Dominici, tum omnium meritorum ab innumerabilibus Sanctis in hac Societate acquisitorum, tum omnium Indulgentiarum huic Confraternitati liberalissime concessarum, tam in vita, quam in morte participes fient. Qui has preces omittunt, non ideo peccant, sed aliquibus gratiis privantur.

art. 8.

Dominicis diebus singulis per annum post Vesperas publice recitabuntur quinque decades Rosarii*) interiectis mysteriis tempori vel festivitati convenientibus; reliquae duae quinquagenae feriis IV. et Sabbatis in missa, cui adesse solent scholares, persolventur. Sodales saepius admonebuntur, ut processionibus ceterisque consuetis exercitiis assidue intersint.

art. 9.

Prima uniuscuiusque mensis Dominica Communio generalis erit. Eadem die sermoni aliquid saltem de Rosario immisceatur; postea Rosario persoluto in honorem Beatissimae Virginis Deiparae, Processio cum Imagine vel Simulacro Reginae Ss. Rosarii ducetur, in qua Litaniae Lauretanae cantentur.

art. 10.

Festum principale Confraternitatis, Dominica prima mensis Octobris, quotannis cum omni solemnitate et pompa celebrabitur, et ad lucrandam pretiosissimam Indulgentiam, quam Toties-quoties vocant, fidelibus, in quantum fieri potest, copia confessariorum procurabitur.

art. 11.

Festum S. P. N. Dominici, primi huius devotionis et Confraternitatis fundatoris, missa solemni et Laude publica in sero cum benedictione Sacramentali celebrabitur.

art. 12.

Quotannis quinque anniversaria in altari Rosarii celebrabuntur, scilicet primis liberis diebus post festa B. Mariae Virginis Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis ipsiusque Nativitatis pro defunctis, quorum

*) Vide supra p. 19.

nomina hac occasione a cancellis in memoriam revocanda sunt, et quintum die festum Ss. Rosarii insequente pro vivis sodalibus. Stipendia a confratribus fundabuntur.

art. 13.

Rector Consilio, singulis annis ante festum Ss. Rosarii renovando, secundum regulas Confraternitatis se muniet.

art. 14.

Consilium hoc ex Praesidente, Thesaurario, Sacrista et tribus Consiliariis componitur.

art. 15.

Consilium convocatur quater in anno vel saepius ad promovendum Confraternitatis bonum.

Datum . . . N. N.
Parochus.

Visum et approbatum.

L. ⁂ S. N. N.
Episcopus.

III.

DE HIS, QUAE IN FUNDANDIS SS. ROSARII CONFRATERNITATIBUS PERTINENT AD PRIORES ORDINIS PRAEDICATORUM.

In Diplomate erectionis huius Confraternitatis declarat Magister Ordinis: „Nos igitur vestris votis et piis petitionibus inclinati, dictam Confraternitatem, sicut praefertur, instituendi, auctoritate Apostolica Nobis concessa, tenore praesentium licentiam concedimus et facultatem: accedente tamen assensu etc. Prioris vicinioris Conventus seu loci Ordinis nostri ac media praedicatione alicuius Patris eiusdem Ordinis nostri per suum Superiorem destinandi.“ Unde requiritur:

1) assensus Prioris vicinioris Conventus Ordinis Praedicatorum;

2) praedicatio alicuius Patris eiusdem Ordinis, qui a suo Superiore destinatus, nomine Magistri sui Generalis hanc Confraternitatem solemniter instituat et erigat. Quae conditio cum nostris temporibus vix impleri possit, a Priore Conventus, in cuius districtu sita est respectiva ecclesia, aut a P. Provinciali, ex speciali commissione, alius Sacerdos ad hoc deputatur.[1])

Quae omnia sunt stricte observanda. Statuit enim S. Pius V.:

„Auctoritate Apostolica per praesentes statuimus, quod nulli licitum existat, capellam Ss. Rosarii in quavis ecclesia sive loco erigere praeter dictum Generalem aut ab eo deputatos etc. Omnes praemissis contravenientes, indulgentiis et peccatorum remissionibus eis concessis privamus et privatos esse ac indignos effici; et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.“[2])

Ab eo autem, qui ad erigendam Confraternitatem legitime deputatus est, publice designetur capella Ss. Rosarii, unde agendum erit:

IV.

DE CAPELLA, ALTARI, IMAGINE SS. ROSARII.

A) **De Capella seu Altari Ss. Rosarii.**

1) Capella Confraternitatis idem sonat ac altare Ss. Rosarii. „Cupientes, ut altare, capella del Rosario nuncupatum, sub invocatione Virginis Mariae etc.“[3])

---

1) Ex decis. Mag. Gen. Ord. d. 20. iunii 1881.

2) Inter desiderabilia d. 28. iun. 1569, Consueverunt d. 17. sept. 1569; Sixtus V. Dum ineffabilia d. 30. ian. 1586.

3) Adrianus VI. Illius qui d. 1. april. 1523; Innocentius XI. Exponi nobis d. 16. iun. 1679.

Unde in Bullis et Brevibus indulgentias Confraternitatis exhibentibus constanter invenitur „capella *seu* altare“.[1])

2) Etiam indulgentiae visitationi „dictae ecclesiae vel ecclesiae Confraternitatis“ annexae respiciunt ipsum altare Confraternitatis. Qua de causa Innocentius IX. in Summario[2]) omnes et singulas indulgentias confratribus a Praedecessoribus concessas capite VI. recensens, illas ponit sub inscriptione: „Indulgentiae pro confratribus visitantibus *capellam* Sanctissimi Rosarii.“ Quo in capite legitur ubique „altare *seu* capella“, una vice excepta, ubi minus accurate refertur *aut* pro *sive,* licet ipsa vox „sive“ in bulla originali ibi citata inveniatur; quare mirum non est, quod etiam a transcriptore Summarii Pii IX. d. 8. sept. 1862 illud „aut“ divulgatur.

3) Insuper Benedictus XIII. declarat ad mentem Praedecessorum suorum, indulgentias visitantibus capellam Rosarii concessas, eos lucrari posse, qui capellam ipsam sive altare visitaverint.[3])

4) Primam indulgentiam pro visitatione altaris seu capellae concessit Adrianus VI.[4]): „Ut confratres praedicti eo libentius devotionis causa ad *altare* huiusmodi confluerent et *inibi* Rosarium etc. dicerent et recitarent etc. confratribus praedictis praesentibus et futuris, qui in *capella* praedicta [supra enim dicitur: „altare, capella del Rosario nuncupatum“,] singulis diebus unam quinquagenariam Rosarii sive Psalterii nuncupatam recitassent, pro qualibet die, qua id fecissent, quinquaginta annos de iniunctis eis poenitentiis

1) Cfr. Clementis VIII. Salvatoris d. 13. iunii 1592, Gregorii XIII. Cum sicut d. 3. ian. 1579, Benedicti XIII. Pretiosus etc.

2) Nuper pro parte d. 31. iunii 1679.

3) Pretiosus d. 26. maii 1727.

4) In Bulla citata pag. praec.

misericorditer in Domino relaxavimus." Idem Adrianus „exposito, quod dicta capella adeo angusta existebat, quod propter illius angustiam et incapacitatem dicti confratres, pro dicendo Psalterio praedicto ad illam confluentes, commode se inibi recipere non poterant et propterea frequenter contingebat, quod plures ex dictis confratribus praedictum Psalterium in dicta capella recitare negligerent. Apostolica auctoritate eisdem confratribus tunc et pro tempore existentibus, quod recitando praedictum Rosarium etiam extra dictam capellam in quacunque parte ipsius ecclesiae, in qua dictum altare conspici posset, etiam dictam indulgentiam quinquaginta annorum consequerentur, in omnibus et per omnia perinde ac si Rosarium huiusmodi intra praedictam capellam recitassent, indulsit." Confirmatum a Clemente VII.*)

5) Ad tollendam igitur omnem ambiguitatem in actu erectionis aut renovationis pro ecclesiis, in quibus capellae stricto sensu vel nullae reperiuntur, sacerdos ad hoc deputatus capellam declarabit eam navim, quae altari Confraternitatis correspondet aut totum sanctuarium, si non est satis amplum, ut confratres ex illa navi vel ex omni loco, ubi altare Societatis commode conspici potest, indulgentias visitationi capellae seu altaris annexas lucrari possint.

6) Quod convenit cum sequentibus declarationibus:

a. „Declaramus, cum in ecclesiis nostrae Provinciae [Germaniae inferioris Ord. Praed.] non habeantur distinctae capellae Ss. Rosarii, ipsas nostras ecclesias haberi posse tamquam capellas Ss. Rosarii, ita ut fideles dictas nostras ecclesias visitantes cum intentione altare Ss. Rosarii visitandi, lucrari valeant omnes indulgen-

*) Considerantes d. 4. april. 1524 et Ineffabilis d. 23. mart. 1530.

tias concessas visitantibus ipsam Ss. Rosarii capellam.“ Approbatum a Rmo Vicario Generali Ord. Praed. P. Sanvito.[1])

b. „Ad lucrandas indulgentias Ss. Rosarii visitationi capellae adnexas, sufficit visitare altare, quod est designatum pro Confraternitate Ss. Rosarii. Hoc altare, quodcumque sit, existere debet.“[2])

B) **De Imagine Capellae Ss. Rosarii.**

1) In capella Confraternitatis esse debet Icon S. Patris Dominici de manu Deiparae Virginis coronas oratorias accipientis. „Volumus autem et omnino observari iubemus, quod in Ven. Icone etc.“[3]) Illa imago necessaria est, non vero, licet expediat, cum quindecim

---

1) Die 15. sept. 1878.

2) Decisio Rmi P. Bianchi Ord. Praed. Procuratoris Generalis d. 10. sept. 1879 nobis facta.

Huius Praelati, die 25. iunii 1885 subito defuncti, decisiones et responsiones, quarum postea plures adducturi sumus, quanta polleant auctoritate, vides ex Necrologo in eius laudem ab ipso Magistro Generali Ordinis Praedicatorum composito, ubi inter alia leguntur haec:

„Sed cum virtutum splendor, quamvis occultare se studeat, diu delitescere non possit, factum est, ut Patris Bianchi merita tum Summis Pontificibus s. m. Pio IX., tum Leoni XIII. (quem Deus incolumem diu servet) facile innotescerent, tum etiam PP. Cardinalibus, caeterisque pontificalis Curiae Antistitibus, quorum opinione et amicitia fruebatur.

„Mirandum itaque non erit, si inter Consultores, quos vocant, plurium Sacrarum Congregationum fuerit adscriptus, illius nempe, quae a Propaganda fide nuncupatur, pro utroque Ritu, Episcoporum et Regularium, Disciplinae Regularis et Sac. Concilii. In hisce muneribus haudquaquam sibi defuit vir sapiens, sed indeptam famam confirmavit et auxit. Nam apud doctissimos eorundem Coetuum Viros, qui P. Bianchi suffragia in causis gravissimis docte breviterque concinnata meditabantur, laudem consecutus est amplissimam: illud siquidem iudicium, quod verius sanctiusque videbatur, sive ex doctrina D. Thomae, sive ex fontibus Iuris canonici deductum, aptissime proferebat.

„... Caeteras namque virtutes, quas hucusque omnes in eo perspeximus, superant in Deum pietas, quae in eo singularis fuit et exemplaris, itemque erga Reginam Ss. Rosarii sincerus amor etc. Fuit vir Deo et hominibus dilectus.“

3) Videsis Dipl. erect.

mysteriis incircum, ut vetera Diplomata praescribunt.[1]) Sic intelligendae videntur decisiones S. C. sequentes:

2) „Utrum ad lucrandas indulgentias Confraternitatis Ss. Rosarii necessarium sit, ut in altari B. M. V. dicato existat imago eiusdem quindecim mysteriis circumdata?" Responsum est „Negative".[2]) Qua in decisione non acquiescens Episcopus Briocensis eandem proposuit quaestionem, subiungendo:

„Cum vero dictae Confraternitatis institutio, a Patribus Dominicanis concessa, inferat necessitatem praefatae imaginis, quaeritur: quid sit agendum?" S. Congregatio[3]) respondit: „In decisis sub die 25. sept. 1845 et notificetur P. Procuratori Generali Ordinis Praedicatorum", qui deinde verba illa „cum quindecim mysteriis in circum", ex Diplomate erectionis delevit.

3) „Iconemque conformem et convenientem dictae capellae Sanctissimi Rosarii conficiant."[4])

4) Sequitur etiam ex sequentibus. „Pro maiore cultus divini augmento ac Confraternitatis et confratrum ac aliorum devotione et spirituali consolatione, Confraternitas et imago eiusdem B. Mariae de Rosario a capella Rosarii ad aliam capellam transferatur."[5]) Item:

„Imaginem et Confraternitatem praedictas a dicta capella *del Rosario* ad capellam maiorem ecclesiae huiusmodi transferre ac dictam imaginem in capella maiore praedicta vel alio convenienti et eminenti loco ipsius capellae maioris, prout eis videbitur, collocare libere et licite valeant, licentiam et facultatem etc. confratribus, ut, postquam imago et Confraternitas trans-

1) Vide infra p. 154.
2) S. C. I. d. 25. sept. 1845.
3) Die 31. ianuar. 1848.
4) Gregorius XIII. In specula d. 3. iun. 1579.
5) Paulus III. Exponi nobis d. 18. martii 1540.

latae fuerint, omnibus et singulis indulgentiis, gratiis, praerogativis, immunitatibus, favoribus ac privilegiis utantur etc. in omnibus et per omnia perinde ac si imago et Confraternitas praedictae translatae non fuissent, auctoritate Apostolica concedimus et indulgemus."[1])

5) „Coram altari vel imagine eiusdem Dei Genitricis."[2])

6) Item si fideles festo Ss. Rosarii „capellam Rosarii vel simulacrum B. Virginis Rosarii extra capellam publicae venerationi in ecclesia expositum visitaverint."[3])

7) Translationem Confraternitatis ex antiqua aliqua in novam ecclesiam idem Pius IX. concessit hac tamen conditione: „dummodo exponatur in aliquo novae ecclesiae altari imago B. M. V. de Rosario."[4])

8) „Ecclesia Confraternitatis incendio destructa, fideles indulgentias lucrantur in sacello subitario seu precario, dummodo ad novum altare iconem B. M. V. a Rosario transferant" etc.[5])

Praeteritis quidem decenniis propter difficultates speciales cum aliquibus Ss. Rosarii Confraternitatibus dispensatum fuit quoad imaginem illam. Vix enim haberi potuit talis imago, cum cultus Ss. Rosarii nec non S. Dominici minus floreret. Postquam autem Leo Papa XIII. Ss. Rosarium eiusque auctorem S. Dominicum praeclarissimis encomiis extulit omnibusque eius cultum enixe commendavit, sane quam maxime decet et pictores christianos originem Rosarii coloribus adumbrare et Christifideles sibi tales imagines procurare

1) Paulus III. Romanus d. 20. apr. 1537.

2) Clemens VIII. Ineffabilia d. 12. febr. 1598.

3) Summ. Pii IX. d. 8. sept. 1862, cap. IV. no. 2 et 3; Decr. S. C. I. d. 25. ian. 1866.

4) Decr. d. 29. ian. 1878.

5) Rescr. Rmi Procur. Gen. Ord. P. Cicognani, Romae 10. sept. 1885.

atque venerari. Quapropter ratio dispensationis quoad imaginem hanc nunc nulla videtur.[1])

Pro coronide hic adiiciemus quasdam decisiones, ex quibus clarius certiusque patet, qualis debeat esse imago Ss. Rosarii et quam sollicite Sedes Apostolica antiquum S. Dominici Rosarium custodiat.

a) „Et praecipue non posse praefatos Religiosos observantiae S. Francisci novum Rosarium sub titulo Seraphici aut novem novendenarum aut alterius rationis inducere, innovare, non tabellam exponere, in qua Beatissima Virgo Dei Mater dat Rosarium sanctis Francisco et Clarae, prout etiam praefata omnia fieri prohibuit et servari mandavit hac die XV. martii MDCLXIV. S. M. episcopus Sabin. Cardinalis Ginettus. Bernardinus Casalius sacrae Rituum Congregationis secretarius."[2])

b) Die 9. februarii 1683 S. Congregatio Indicis damnavit et prohibuit „imagines, ubi repraesentatur B. Virgo cum Filio in medio duorum Sanctorum Societatis Iesu, quorum uni tradit librum, alii Rosarium cum hac inscriptione: 'Deipara Virgo cum Filio inspirat commendatque Societati Iesu institutionem Sodalitatum et Officii Rosariique usum'."[3])

c) „De venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris Ritibus praepositorum — qui prius dilectum etiam filium modernum Procuratorem Generalem Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis

1) Operam dedimus, ut imagines Ss. Rosarii, prout regulis Confraternitatis praescribuntur, oleo perpulchre pictae, cuiuslibet magnitudinis haberi possint pretio convenienti. Qui eas desiderant, adeant Dnm Joh. Bochenek, Historienmaler in Berlin, Waldemarstrasse no. 54 aut Dnm Fr. Schnell (A. Laumann's Verlag) in Dülmen (Westfalen).

2) Confirm. ab Alexandro VII. In supremo d. 28. maii 1664.

3) Index libr. prohib. iuxta exemplar Romanum. Mechliniae 1855 p. XLVII. no. 7.

Captivorum et successive dilectum pariter filium Prosperum Lambertinum Aulae nostrae consistorialis advocatum et ven. Fratris Prosperi Archiepiscopi Myren., Promotoris Fidei coadiutoris, tam in scriptis quam in voce audiverunt — consilio novum Rosarium, quod dilecti itidem filii Fratres dicti Ordinis in eorum ecclesia B. Mariae Virginis, Conventus Tolosan., edito liberculo, gallico idiomate impresso, in quo methodus recitationis Rosarii huiusmodi edocetur, in honorem eiusdem Sanctissimae Trinitatis recitare introduxerunt, auctoritate Apostolica tenore praesentium prohibemus, quo vero ad liberculum, sicut praemittitur, impressum, instantiam primodicti Procuratoris Generalis ad Congregationem venerabilium Fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. Cardinalium Indici librorum prohibitorum et expurgandorum praepositam remittimus."[1])

d) Supradicta Benedictus XIII., postquam aliud Rosarium a Societate Iesu inventum S. C. I. decreto[2]) reprobavit, his verbis complectitur et confirmat:

„Ne vero eadem [Rosarii] devotio in posterum minuatur, constitutionem CXLIX. Alexandri VII. incipientem: In supremo, editam die 28. maii 1664 respectu Rosarii vulgo Seraphici et aliam Clementis XI.: In supremo, ad petitionem moderni Ordinis Praedicatorum Procuratoris Generalis 8. martii 1712 respectu alterius Rosarii Sanctissimae Trinitatis nuncupati, consulta sacrorum Rituum Congregatione emanatam confirmamus et innovamus, ut supra, easque et in eis contenta quaecumque extendimus et ampliamus motu, scientia et potestate similibus ad cetera quaecumque Rosaria de novo inventa aut invenienda sine praedicta

1) Clemens XI. In supremo d. 8. mart. 1712.
2) D. 13. aug. 1726.

Sedis facultate, quibus authenticum Rosarium praedictum [S. Dominici] Deo et B. Mariae V. sacrum, non sine fidelium perturbatione antiquaretur."[1])

e) Unde Index librorum prohibitorum[2]) inter ea, quae ad Ritus Sacros spectant et prohibita sunt, recenset no. 8: „Rosaria quaecumque de novo inventa aut invenienda sine opportuna S. Sedis facultate, quibus authenticum Rosarium Deo et B. Mariae Virgini sacrum antiquaretur."

V.

DE MODO ET FORMA CONFRATERNITATEM ERIGENDI.

1) Parochus seu Rector, qui in ecclesia sua habere intendit Confraternitatem Ss. Rosarii, curet, ut tantae gratiae desiderium gregi sibi commisso instilletur, et docendo quid sit Rosarium, et illud saepius persolvendo aliisque rationibus.

2) Deinde hoc desiderium suum et parochiae Rmo loci Episcopo aperiat, ut per litteras testimoniales assensum praebeat.

3) De quibus obtentis adm. R. P. Provincialem aut Ss. Rosarii Promotorem Ord. Praed. illius Provinciae, in qua illa parochia sita est, certiorem faciens, deprecatur:

a) ut a Rmo Magistro Generali eiusdem Ordinis instrumentum authenticum pro Confraternitate erigenda procuret. Quod ut fieri possit, simul indicanda sunt nomina et *Sti Patroni,* cui respectiva ecclesia dedicata est, et *Dioeceseos,* ad quam dicta ecclesia pertinet, et quoad futurum Confraternitatis Rectorem *pro tempore,* utrum Parochi an Curati an Sacellani etc. titulum gerat;

b) ut ad erectionem solemnem peragendam per

1) Pretiosus § 6. d. 26. aug. 1727.

2) Supra citat. p. XLIX.

adm. R. P. Priorem vicinioris Conventus aliquem Patrem mittat, aut si hoc commode fieri non possit, Sacerdoti tali vel tali facultatem concedat.

4) Petitione impleta instrumentum illud una cum Elencho indulgentiarum Episcopo mittatur recognoscendum. Mittenda sunt Episcopo etiam Statuta approbanda, quae pro diversitate locorum quoad accidentalia differre possunt.

5) Diplomate cum Elencho rite per Ordinarium loci recognito Statutisque approbatis, statuendus est dies solemnis pro Confraternitate publice erigenda, ad quem Parochus fideles aliquibus „praeparet sermonibus de Ss. Rosarii dignitate, de gratiis, quas Deus mediante hac devotione elargitur, de privilegiis et indulgentiis concessis a Summis Pontificibus, de miraculis, quae divina Maiestas per Rosarii devotionem iam dudum operata est et modo operatur et ceteris huiusmodi; fidelibus explicabit, quam gratus sit Beatissimae Virgini hic orandi modus, quod Rosario insit modus Deum orandi adeo facilis, ut omnibus sit pervius, adeo mysteriorum ordine ac varietate distinctus, ut omnibus possit esse iucundus; adeo frugifer, ut ad christianae perfectionis apicem compendiosissime ducat. Orationem quippe Dominicam et Angelicam Salutationem, quibus Rosarium constat, nullus Christianus ignorat. Psalterium proinde dicitur, quod Angelica Salutatione centies et quinquagies in eo repetita Psalmorum Davidici Psalterii numerum referat; utque varietate delectet, ad decimam quamque unam interserit Orationem Dominicam. At vero, si rite persolvitur, fructum reddit amplissimum et centuplum; nam praeter hoc, quod Christi vitam, quae in eo per multa mysteria recolitur, meditando mens instruitur, reficitur et spirituali con-

solatione pinguescit, heroicae illae virtutes in eadem velut in firmamento sidera fulgentes, ad consimilia faciendum meditantis animum trahere aptae sunt. Accedit, quod si forte ex nostra infirmitate quid deficiat, Beatissimae Virginis intercessio in eodem saepius implorata facile nobis, quod petimus, impetrabit. Cui rei sodalium Confraternitatumque toto orbe diffusarum in meritorum participatione communio suffragatur. Indulgentiae demum poenarumque remissiones a diversis Summis Pontificibus huiusmodi sodalibus et Confraternitatibus collatae ad haec plurimum conferunt sicque omnes ad amplexandum hunc orandi modum instigabit."[1])

6) Vigilia festivitatis omnia requisita, ut Imago, liber pro nominibus inscribendis, pagellae sodalibus in testimonium adscriptionis distribuendae etc. procurata esse debent. Adsit etiam pro magno concursu confessariorum copia.

7) Ipso die festo in ecclesia Confraternitatis certis horis totum Psalterium Marianum publice et solemniter persolvi solet.

8) Ante missam maiorem vel alia convenienti hora cantabitur hymnus: 'Veni Creator Spiritus', cum versu et oratione, qua finita ille, qui ad erigendam Confraternitatem deputatus est, exhortationem de fine etc. Archiconfraternitatis Ss. Rosarii habebit. Deinde intonabitur: 'Ave maris stella'; interim Pater vel Sacerdos deputatus cappa serica indutus cum Parocho ceteroque clero accedat ad altare Rosario B. Mariae V. dedicandum, ubi stans ad cornu Evangelii et vultu verso ad populum Confraternitatem erigat his verbis:

9) „Ego, Fr. . . ., sacri Ordinis Praedicatorum[2]), auc-

1) Ita Fossaeus p. 104 et 105.
2) Aut: Ego Parochus N. etc.

toritate mihi concessa ab admodum Reverendo Patre Fratre . . ., Priore Conventus Ord. Praed. . . . in cuius districtu sita est praesens ecclesia, nomine Reverendissimi Patris . . ., Magistri Generalis totius sacri Ordinis Praedicatorum, instituo et erigo Confraternitatem Sanctissimi Rosarii Dei Genitricis Virginis Mariae in hac ecclesia St. . . ., loci . . . eamque institutam et erectam declaro cum omnibus gratiis, privilegiis et indulgentiis, quibus huiusmodi societates potiri, frui et gaudere solent: ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, Beatae semper Virginis Mariae, Sanctissimi Rosarii Reginae, ac Beati Dominici Patris nostri, eiusdem auctoris et inventoris, et omnium Sanctorum et Sanctarum Dei, ad animarum salutem. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen."

10) Quo facto declarabit cetera omnia, quae infra p. 151 in formula „Processus Verbalis" de altari, Rectore etc. habentur.

11) Si commode fieri potest, post meridiem alter sermo de Rosario instituatur. Deinde fideles admonentur, ut adscriptionis causa ad mensam coram altari Ss. Rosarii positam se conferant, ubi nomina eorum a R. Patre eiusque coadiutoribus super cartas solutas exarantur. Hoc modo provisorie adscripti solemniter recipiendi sunt eorumque Rosaria, candelae, rosae benedicenda, quae suis quisque in manibus teneat. (Formulas hic adhibendas vide infra.)

12) Quibus peractis fiat prima processio, de qua infra; post hanc cantetur coram exposito Sanctissimo: 'Te Deum laudamus' cum versu et oratione; deinde Parochus dicat tria Pater et Ave, primum pro Summo Pontifice, alterum pro Rmo Magistro Generali totius Ordinis Praedicatorum, tertium pro Patre illo, qui

hanc Confraternitatem erexit. Benedictione sacramentali terminatur solemnitas huius diei sacri.

13) Non requiritur, ut nomina praedicta eodem die libro pro adscribendis confratribus et consororibus inserantur. Sufficit, ut cartae solutae singulae a Rectore propria manu subscribantur, quod tamen ante diem elapsum fieri debet, si forte ab adiutoribus laicis vel aliis facultatem non habentibus compositae fuerint. Deinde opportuno tempore cum debita diligentia in novum librum transcribantur.

14) Postmodum fieri debet authenticum instrumentum huius fundationis, quod Processus Verbalis vocatur, hoc modo.

PROCESSUS VERBALIS ERECTIONIS.

Ad perpetuam memoriam hisce notum facimus, die ... in ecclesia [parochiali] ad St.... loci ..., Dioeceseos ..., cum debitis formalitatibus erectam esse Ss. Rosarii Confraternitatem.

Postquam a Rmo Domino ... Episcopo Dioeceseos ..., Ordinario huius loci, per litteras testimoniales, datas die ... consensum necnon a Rmo Magistro Generali Ordinis Praedicatorum Fr. ... Diploma Confraternitatis instituendae impetravimus, Rev.... legitime delegatus, in dicta ecclesia populo convenienter admonito de solemnitate mox peragenda, de convenientia, efficacitate, foecunditate, utilitate, dignitate, excellentia, praerogativis, indulgentiis cum devotionis, tum Confraternitatis Ss. Rosarii, Confraternitatem instituit his verbis ex lingua vernacula conversis:

Ego ... auctoritate mihi concessa ab admodum Rev. Patre Fratre ..., Priore Conventus Ord. Praed...., in cuius districtu sita est praesens ecclesia, nomine

Rmi Patris . . ., Magistri Generalis totius sacri Ordinis Praedicatorum, instituo et erigo Confraternitatem Sanctissimi Rosarii Dei Genitricis Virginis Mariae in hac ecclesia [parochiali] St. . . . loci . . . eamque institutam et erectam declaro cum omnibus gratiis, privilegiis et indulgentiis, quibus huiusmodi societates potiri, frui et gaudere solent, ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, Beatae semper Virginis Mariae, Sanctissimi Rosarii Reginae, ac Beati Dominici Patris nostri, eiusdem auctoris et inventoris, et omnium Sanctorum et Sanctarum Dei, ad animarum salutem. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Deinde declaravit:

1. Altare huius Confraternitatis erit altare St. . . . dedicatum et Imagine Reginae Ss. Rosarii decoratum. (Pro capella vero, cum proprie dicta deficiat, habenda est navis ecclesiae ea, in qua istud altare invenitur.)

2. Rector Confraternitatis in perpetuum erit Rev. D. Parochus huius ecclesiae pro tempore seu Parochi legitime impediti (scil. aegroti, mortui, amoti, longo tempore absentis) vices gerens in officio primario seu administratione Parochiae. Rector omnia et singula facere potest, quae Fratres Ordinis Praedicatorum ad hoc deputati in suis ecclesiis facere possunt et rite consueverunt.

3. Quandocunque contigerit, ut Fratres Ordinis Praedicatorum hac in civitate ecclesiam obtineant, ipso iure ipsoque facto ex nunc pro tunc absque alia declaratione, sed praesentium tenore, dicta Confraternitas atque omnia ad ipsam pertinentia penitus ac totaliter ad ecclesiam Fratrum dicti Ordinis transferenda sunt, nisi dispensabitur.

4. Rmus Magister Generalis Ordinis Praedicatorum sibi reservat ius supprimendi hanc Confraternitatem,

illius nomine a me erectam, si sodales Statuta et regulas, quod Deus benigne avertat, neglexerint aut contempserint.

Datum . . .

In cuius fidem propria manu subscripsimus.

N. N.

pro erectione Confraternitatis delegatus.

(L. S.) N. testis fui. N. testis fui.

Cuius Processus copiam, ut in Archivio Provinciae . . . Ordinis Praedicatorum asservetur, hoc ipso die R. Patri Promotori Ss. Rosarii eiusdem Provinciae, Fr. N. transmisimus. N. Parochus.

15) Qui Processus*) una cum Statutis ab Episcopo revisis in duplo conficiatur, pro Archivio scilicet ipsius Confraternitatis erectae et pro Archivio illius Provinciae Ordinis Praedicatorum, per quam haec erectio procurata fuit. Mittendus est eodem die per litteras directas ad adm. R. P. Provincialem vel ad R. P. Promotorem Ss. Rosarii eiusdem Ordinis Provinciae.

Praeteritis saeculis mos erat, ut Confraternitas erecta post annum circiter speciali confirmaretur documento. Parochus enim, scultetus [Schultheiss], iudices, viri consulares et alii loci dignitarii talem confirmationem per litteras petere tenebantur. Quae confirmationis documenta hic in extenso subiungo, ut cognoscas, ea fere in omnibus concordare cum nostris de erectione documentis: „Nos Fr. N. Provinciae N. Ordinis Praedicatorum Prior Provincialis etc. Quae [Confraternitatem eiusque indulgentias, privilegia etc. etc.] in Christo nobis dilecti [sequuntur nomina Parochi,

*) In Provincia Teutonica (Germania etc.) Confraternitatibus Ss. Rosarii erigendis vel renovandis duo exempla huius Processus typis impressa ad hunc finem explenda traduntur.

sculteti, iudicum etc., qui ad hanc Confraternitatem habendam supplicarunt] diu animo volventes et pie considerantes, ad habendam, augendam et conservandam Confraternitatem Psalterii seu Rosarii, sub invocatione B. Mariae V., in praefati oppidi N. ecclesia, tituli S. N., erigi atque institui, a R. P. Priore N. [vicinioris Ordinis Conventus] instanter per litteras transmissas petierunt. Qui et eam anno elapso in eadem ecclesia, media praedicatione Verbi Dei, de licentia nostra fundavit, erexit et instituit, certumque altare pro illa deputari et in eo quindecim nostrae Redemptionis mysteria necnon et venerabilem Iconem divi Patris Nostri Dominici, Sacratissimi Rosarii auctoris, flexis genibus de manu Deiparae Virginis coronulas orarias accipientis depingi curavit, prout fieri ubique locorum volumus et omnino observari iubemus. Cupientes autem viri supramemorati, praedictam fundationem, erectionem atque institutionem ratam, firmam et inconvulsam perpetuis futuris temporibus permanere, sedulo apud nos institerunt, quatenus dictam Confraternitatem recipientes, eam admittere, approbare et confirmare dignaremur, solemni nobis porrecto instrumento, pollicentes, se omnia, quae istius sanctae Societatis capitula et sanctiones habent, integra praestituros, singulis annis Dominica prima Octobris festum Sacratissimi Rosarii iuxta Gregorii fel. record. Papae XIII. decretum et institutum solemni ritu celebraturos, singulis septimanis tria Rosaria recitaturos, processionibus mensilibus et quatuor praecipuis festivitatibus Beatissimae Virginis Mariae nec non quatuor solemnibus anniversariis fratrum ac sororum dictae Confraternitatis interfuturos“ etc., quae omnia nunc temporis ipso die erectionis in „Processu Verbali“ (vide p. 151) intimantur.

De sanatione Confraternitatum Ss. Rosarii.

Verum est, Confraternitates Ss. Rosarii a Pio IX. sanatas esse quoad defectus, quae resultabant ex eo, quod

a) non observata distantia,

b) inscio Magistro Generali Ordinis erectae fuerunt.

Atqui his sanationibus nec excluditur nec supervacanea redditur fundamentalis omnium eiusdem tituli Confraternitatum renovatio et restitutio; nam

1) in altero decreto leguntur haec verba: „dummodo nihil aliud obstet“ (cfr. p. 124).

2) Non est, qui nesciat, annis, quibus sanationes illae factae sunt, gravissimos errores circa illas res, quae ad Confraternitates pertinent, ubique gentium serpsisse; quod patet v. gr. ex ipsa sanatione ratione distantiae superflue omnino petita, quia iam Benedictus XIII. legi de distantia latae, Bulla celeberrima: Pretiosus, aperte derogaverat; item ex epistola pastorali Episcopi Moguntin. d. 10. maii 1865 data sanationibus supramemoratis iam emanatis, ubi legitur, omnes fere Confraternitates iam exeunte praeterito saeculo dissolutas et ad meras devotiones redactas esse, ita ut nunc neque suos speciales fines attingant nec indulgentiis fruantur illis ab Ecclesia concessis.*) Similiter

*) „Vor einigen Jahren habe ich mir sämmtliche Urkunden über die in der Diöcese vorhandenen Bruderschaften einreichen lassen. Ich beabsichtigte damals, sofort zu einer Ordnung des Bruderschaftswesens überzugehen, und sie mit der Rückgabe der Urkunden zu verbinden. Nach gewonnener Einsicht habe ich mich aber davon überzeugt, dass

Dr. Conradus Martin, Episcopus Paderbornensis.*) Confraternitates vero, quae non existunt, sanari et validae declarari non possunt, quia deest obiectum, cui sanatio applicetur. Unde Confraternitates dissolutae, etiamsi, sublata substantia, in contingentibus quibusdam perdurare videntur, imo et titulum retinuerunt etc., iam non sunt Confraternitates ideoque nec sanationis sunt capaces.

3) Idem Episcopus Moguntinus re accurate inquisita in iisdem litteris, ut vidimus, affirmat, numerum Confraternitatum validarum tunc temporis fuisse minimum, nullam vero facit mentionem de quaestionibus, an habuerint legitimum rectorem, an altare designatum etc. etc.

His praemissis dicendum est: In ecclesiis, in quibus invenitur Confraternitas Ss. Rosarii olim erecta, cuius tamen institutionis documentum authenticum est amissum, Diploma sanationis a Magistro Generali Ordinis Praedicatorum procurandum erit et hoc probatur ex sequentibus Decretis et Bullis: „Quamvis constanti

---

das ganze Bruderschaftswesen schon seit Ende des vorigen Jahrhunderts so sehr in voller Auflösung sich befindet, dass eine solche *allgemeine* Regelung und Ordnung nicht zweckmässig ist. Nur ganz wenige Bruderschaften bestehen noch zu Recht; alle anderen, die grosse Mehrzahl, sind nur noch Andachten, wobei weder die von der Kirche bewilligten Ablässe gewonnen werden können noch der besondere Bruderschaftszweck erreicht wird.“ Wilhelm Emanuel, Bischof von Mainz.

*) Legitur in ipsius libro: Die Schönheiten des Rosenkranzes, Mainz 1876, hoc modo: „Vorwort. Eine Schrift über den Rosenkranz hätte noch vor etwa fünfzig Jahren selbst vor das grosse *katholische* Publikum nur mit Bangen und Zagen hintreten können. Es trägt der Rosenkranz den positiv christlichen Charakter zu ausgeprägt an seiner Stirn, als dass er vor der damaligen bilderstürmenden Aufklärung Gnade finden konnte. Wahrlich damals konnte man noch von Glück reden, wenn man nicht den Rosenkranz selbst von katholischen Priestern in ihren Predigten und Katechesen öffentlich bekrittelt, bespöttelt, herabgewürdigt und zu altem Eisen weggeworfen sah“ etc.

traditione totius civitatis Gallipolitanae pro certo habeatur, altare S. Mariae de Populo, situm in ecclesia cathedrali, privilegio quotidiano perpetuo esse insignitum; attamen nullum aliud authenticum huiusce concessionis documentum reperiri potuit, nisi quod in visitationibus per episcopos peractis altare illud perpetuo privilegiatum descriptum fuerit et pia legata quamplurima saepe saepius relicta fuerint in eodem altari utpote privilegiato persolvenda, quae non satis rem extra dubitationis aleam ponere nonnullis visa sunt. Ut itaque animarum purgantium suffragiis etc. consulerent etc. quaeritur:

An assertum privilegium etc. confirmari debeat?

Resp.: Pro confirmatione et quatenus opus sit, pro nova concessione altaris privilegiati quotidiani perpetui."[1])

Confraternitates vero Ss. Rosarii gaudent altari privilegiato quotidiano vi erectionis; requiritur autem, ut Confraternitates canonice existant et altare unicuique Confraternitati specialiter designatum habeant, idque ex documentis erectionis authenticis probent.

4) Simile responsum datum est confratribus Societatis Ss. Rosarii oppidi Bulsanae: „Exhibeant formulam seu Bullam erectionis."[2])

5) Et quid in casu fecit S. Pius V.? Audiamus illum. „Cum itaque, sicut accepimus, a multis annis citra quaedam utriusque sexus Christifidelium Confraternitas sub invocatione Beatae Mariae de Rosario nuncupatae, ut creditur, exhortationibus ac praedicationibus verbi Dei etc. per Fratres Ordinis Praedicatorum fieri solitis etc. in parochiali ecclesia eiusdem

1) S. C. I. d. 18. dec. 1714.
2) S. C. I. d. 9. maii 1729.

Beatae Mariae oppidi de Martorell, Barchinonen. dioecesis, erecta fuerit seu erecta et instituta reperiatur ac de erectione seu institutione nullis litteris aut documentis Apostolicis vel alias appareat, licet dilecti filii ipsius Confraternitatis administratores librum eorundem confratrum habere et tenere ac inibi festivitatem eiusdem Beatae Mariae secunda Dominica cuiuslibet mensis Maii [quod tunc temporis in aliquibus regionibus loco festi Annuntiationis fuisse videtur festum Confraternitatis principale] celebrare et solemnizare, diversa pia et caritatis opera hactenus exercere consueverint, et a nonnullis annis citra ipsi administratores et confratres maximo devotionis zelo erga ipsam Beatam Mariam Virginem ducti, unam capellam seu oratorium in praedicta ecclesia, sub invocatione Beatae Mariae de Rosario huiusmodi, de eorum propriis bonis ac aliis Christifidelium eleemosynis construi et aedificari facere inceperint, illamque decentibus ornamentis ecclesiasticis fulcire et perficere intendant ipsaque Confraternitas et populi devotio erga ipsam Beatam Mariam Virginem inibi non modicum incrementum susceperint et suscipiant: Nos etc. ex certa Nostra scientia ac de Apostolicae potestatis plenitudine erectionem et institutionem Confraternitatis Beatae Mariae in ecclesia huiusmodi Apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo confirmamus et approbamus suosque plenarios et integros effectus sortiri debere volumus, decernimus, statuimus et ordinamus ac quatenus opus sit, Confraternitatem huiusmodi etc. eisdem auctoritate et tenore perpetuo erigimus et instituimus.“*)

Quid ergo? Etiamsi Confraternitas haec de Martorell ab Ordine Praedicatorum fuerit erecta et sub

*) Pius V. Salvatoris d. 5. mart. 1572.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

omni respectu floruerit, ipse Summus Pontifex de eius valore dubitat, eamque de novo confirmat speciali Brevi necnon, quatenus opus sit, funditus erigit et instituit solummodo ex eo, quod de erectione nullae litterae aut documenta authentica inveniuntur.

Primo ergo pro renovatione necessarium est documentum erectionis authenticum. Tale autem documentum ab Episcopo confectum pro Confraternitate Ss. Rosarii non sufficere, ex pluribus decisionibus patet. Fuit enim decretum:

a) Verum est, „nullam determinatam formulam praescriptam esse Episcopis sodalitates erigentibus, sed tantum Ordinibus Regularibus iuxta Clementis VIII. Constitutionem, et proinde decretum solummodo Episcopi erigentis satis erit ad canonicam erectionem." Attamen in eadem sessione declaratum est: „Confraternitates ab Episcopo auctoritate a S. Sede delegata erectae in genere nec eadem bonorum operum et orationum communione cum Archiconfraternitate, nec iisdem privilegiis et indulgentiis fruuntur ac illae, quae aggregatae ordinario more fuerunt."[1]) Unde erectio Episcopi distincta est ab ea, quae fit litteris a Magistro Generali Ord. Praed. impetratis.

b) „Antiquae Sodalitates, quae post concordatum anni 1801 noviter ac canonice in Gallia erectae non fuerunt, privilegia et indulgentias ipsis concessas amiserunt."[2])

c) Eruitur necessitas documenti authenticae erectionis etiam ex decreto S. C. Briocen. et Trecoren., quo enodantur sequentia dubia:

„1. Utrum Confraternitates etc. canonice erectae

1) S. C. I. d. 22. aug. 1842; 12. iulii; 26. augusti 1847; 15. mart. 1852.
2) S. C. I. d. 14. decembris 1857.

ante concordatum anni 1801 in ecclesiis etc., quibus constat nunc dioecesis Briocensis hucusque, ut primum suum valorem cum suis privilegiis et indulgentiis servaverint absque nova erectione vel indigeant erectione nova?

„2. An sufficiant declarationes, quibus constat, Ordinarios habuisse uti canonice adhuc existentes post annum 1801 praefatas Confraternitates, licet nullimode compertum sit, eos Ordinarios habuisse voluntatem vel etiam facultatem novam erectionem conferendi?

„3. An viso authographo vel datis probationibus moraliter certis primariae erectionis possit vel debeat hodiernus Episcopus, ut praedecessores eius, dictas Confraternitates agnoscere et declarare canonice existentes, absque praevia facultate a S. Sede obtenta?

„4. Si qua Confraternitas prius canonice erecta ex quacumque causa accidentali desiit existere per plurimos annos, potuitne cessante causa valide instaurari denuo absque nova erectione canonica?

„5. An indulgentiae etc. certis locis vel operibus olim ante annum 1801 in perpetuum canonice concessae nunc etiam valeant et lucrifieri possint, servatis servandis, iuxta conditiones primariae concessionis, ea concessione non renovata?

„6. Utrum 1. sufficiat in casu simplex instauratio Sodalitatis, an 2. necesse sit, novam et canonicam erectionem noviter fieri?

„Ad quintum dubium Sacra Congregatio respondendum censuit: Affirmative, dummodo nulla ex iis causis intercesserit, ob quas indulgentiae suum valorem iuxta canonicas regulas a probatis auctoribus traditas amiserint.“

Ad cetera dubia dirimenda „vigore specialium facultatum a SSmo concessarum eadem Sacra Congre-

gatio etc. eidem Episcopo facultatem indulsit emittendi decretum generale nomine Sanctae Sedis, quo omnes et singulae Confraternitates etc., quae in iis locis dioecesis Briocensis et Trecorensis, ad quos concordatum 1801 extendebatur, ante illud legitimae existebant, et nunc etiam de facto existunt sub iisdem titulo, legibus etc. ad formam tamen Constitutionis Apostolicae s. m. Clementis VIII. quae incipit: Quaecumque a Sede Apostolica etc., quaeque insuper noviter et canonice hucusque erectae non fuerint, canonice et noviter erigantur, ita ut in posterum tamquam canonice existentes retineantur etc."[1])

Valet igitur hoc decretum pro iis Ss. Rosarii Confraternitatibus Dioeceseos Briocen. et Trecor., quae ante annum 1801 a Magistro Generali erectae erant et anno 1861 etiam de facto sub eodem titulo etc. existebant i. e. quae instrumento authentico legitimam institutionem probantes anno emissionis huius decreti adhuc florebant. Quo patet, erectiones canonicas et novas Episcopo Briocen. concessas aequivaluisse simplicibus confirmationibus et renovationibus solummodo, non vero propriis erectionibus et aggregationibus, quae olim legitime factae supponuntur.

c) Hoc consonat cum decisione facta ad quaestionem: „An concedenda sit confirmatio erectionis Confraternitatis sub titulo Rosarii, licet expressus consensus P. Generalis Praedicatorum non interfuerit? Resp.: Recurrant ad P. Generalem Ordinis Praedicatorum."[2])

Quoad responsum Sacrae Congregationis supra

1) S. C. I. d. 7. sept. 1861; item pro Dioecesi Argentina d. 21. febr. 1880.

2) S. C. I. d. 25. april. 1735.

p. 160: Ad quintum dubium etc. habes praeter declarationem ibi allatam etiam sequentem:

f) 1. An si inscio P. Generali Ord. Praed. per Ordinarium erigatur Confraternitas Ss. Rosarii, confratres re ipsa fruantur indulgentiis in Brevi Apostolico per eosdem obtento expressis?

Et quatenus affirmative,

2. An fruantur etiam aliis indulgentiis in dicto Brevi Apostolico obtento non expressis, quas tamen aliis confratribus Ss. Rosarii a diversis Summis Pontificibus concessas esse constat, ut in Dominicis menstruis aut aliis diebus?

Resp.: Ad utrumque: Negative."*)

His expositis in dubiis quibuscumque de validitate Confraternitatis Ss. Rosarii recurratur ad adm. R. Patres Provinciales aut Ss. Rosarii Promotores Ordinis Praedicatorum et petatur instrumentum Sanationis in radice seu Confirmationis. Quod ut confici possit, requiritur indicatio nominum

1) Sancti Titularis, cui respectiva ecclesia dedicata est,

2) Dioeceseos, ad quam illa Confraternitatis ecclesia pertinet,

3) Tituli Rectoris pro tempore, si Parochus, Curatus seu alius pro hoc munere designandus sit;

4) Indicantur denique annus, mensis et dies, quo illa Confraternitas prima vice erecta fuit.

Quibus communicatis novum diploma erectionis habebunt cum subscriptione: „Valet hoc Diploma pro testimonio etc.", ut pagina sequenti notatur.

Instrumentum illud cum Statutis novis (vide supra

*) S. C. I. d. 19. aug. 1747, confirmatum a Benedicto XIV. die 26. seiudem mensis et anni.

p. 135) et Elencho Indulgentiarum mittitur Ordinario loci, ut nihil illius authenticitati desit pro futuro, praesertim cum Confraternitas mortua vel fere mortua fuerit, et sanatio novae erectioni aequivalens censeri possit.

Deinde omnia, quae spectant ad solemnitatem, fiant in ecclesia, ut supra p. 148 no. 5—14 dictum est. Quod superfluum nemini videatur, cum e contra ad excitandum fervorem, qui propter fragilitatem humanam decursu temporis tepescere solet, solemnes tales renovationes singulis saeculis semel vel bis factae summi sint emolumenti.

Denique faciendus erit

PROCESSUS VERBALIS RENOVATIONIS.

a) Primam partem huius Processus videas supra p. 151. Novo enim instrumento a Magistro Generali Ord. Praed. obtento Confraternitas, in quantum opus fuerit, de novo erecta et funditus renovata est. Designetur altare, rector Confraternitatis pro tempore etc. etc.

b) Deinde parte altera declarentur haec.

Confraternitas supradicta:

instituta fuit prima vice die . . . in ecclesia eadem . . . instante Parocho . . . consentiente Episcopo . . . erigente Mag. Gen. Ord. Praed. . . . mediante diplomate d. Romae . . . per R. P. . . . missum a Conventu . . .

Quae Confraternitas, cum de eius valore dubitaretur, funditus renovata et de novo erecta est, ut supra, diplomate impetrato, cui subiuncta invenitur haec nota:

„Valet hoc Diploma pro testimonio, Confraternitatem Ss. Rosarii in supradicto loco die . . . erectam,

auctoritate a Rmo Magistro Generali Ordinis delegata, in quantum opus fuerit, sanatam esse.

... ex Conventu Nostro ... die ...

Reg. ..., ut supra, sub Litt. ... (L. S.)

Fr. ... Provincialis.

Fr. ...

Promotor Ss. Ros. Prov. ... In cuius fidem:

... Parochus.

Qui Processus una cum Statutis revisis in duplo conficiatur pro Archiviis scilicet et ipsius Confraternitatis restitutae et Provinciae Ord. Praed., ut supra explicatum est p. 153 no. 15.

Tali modo omnia dubia dirempta sunt et Confraternitas, etsi antea pene, imo plene fuerit exstincta, cum omnibus gratiis, indulgentiis, privilegiis perfecte est restaurata; et ne quis de expensis timeat, declaramus, illas ex thesauro respectivae Confraternitatis per modum eleemosynae solvendas.

Qua restauratione fundamentali facta, Rector secundum prudens suum arbitrium omni cura studeat, ut sodalium et zelus renovetur et numerus augeatur et nova fiant omnia, quae sanctam hanc respiciunt Confraternitatem.

De iuribus Confraternitatum Ss. Rosarii etc.

Ea, quae de iuribus Confraternitatis nostrae praesertim relate ad Parochos, nisi ipsi tamquam rectores illi praesint, scitu necessaria sunt, optime intelliges ex duobus S. Rituum Congr. decretis, quae propterea hic in extenso referuntur. Unum est speciale pro Confraternitate Ss. Rosarii, alterum generale pro Confraternitatibus.

I.

Inter Guidolum*) de Franceschis parochum ecclesiae S. Petri nullius Terrae Plebis extra muros civitatis Guastallae in una, et confratres Confraternitatis Ss. Rosarii eiusdem terrae partibus ex altera, nonnullis ortis controversiis, illisque ad S. R. C. delatis Emus et Rmus Card. Zondarius infrascripta dubia inter partes concordata declaranda proposuit:

1. An Confraternitas Ss. Rosarii Burgi Plebis Guastallae possit retinere tres, vel quot campanas in campanili suae ecclesiae seu oratorii?
2. An dicta Confraternitas de licentia Ordinarii peragere valeat processiones tam publicas, quam etiam privatas per parochiam, extra ambitum oratorii? Et quatenus affirmative,
3. An in dictis processionibus capellanus Confraternitatis possit deferre stolam?
4. An in dicto oratorio Confraternitatis possit ministrari sacramentum Eucharistiae tam confratribus, quam non confratribus, et quibus diebus?

*) Cfr. I. B. Falise: Sac. Rituum Congregationis Decreta, Parisiis 1863, edit. 4. p. 98 seqq.

5. An in dicto oratorio possit retineri custodia cum Venerabili?
6. An inibi peragi valeat Novenna cum expositione Venerabilis, et populus cum eo benedici?
7. An quarta funeralis pro funeribus illorum, qui tumulantur in oratorio Confraternitatis, debeat praestari Parocho in medietate vel potius in quarta portione?
8. Et de quibus ceris et candelis?
9. An diebus festivis possit recitari Rosarium in oratorio Confraternitatis, ante vesperas celebrandas in parochiali ecclesia?
10. An dictis diebus valeant celebrari in dicto oratorio Missae, tam lectae quam cantatae, cum signo campanarum ante celebrationem Missae parochialis?
11. An liceat Confraternitati celebrare in dicto oratorio anniversaria, et officia tam fixa, seu ex obligatione, quam etiam manualia, cum assistentia aliorum sacerdotum, sine assistentia Parochi?
12. An quatenus Parochus ad dicta officia vocari et intervenire debeat, duplicatam mercedem obtinere possit?
13. An de licentia Ordinarii valeat Confraternitas quaestuare per parochiam irrequisito Parocho?
14. An in processionibus solemnibus, in quibus intervenire potest Parochus, liceat Confraternitati incedere sub suo capellano, seorsim a Parocho?

Et S. eadem C. rescribendum censuit:

Ad 1. Affirmative. — Ad 2. Affirmative, de licentia speciali Ordinarii. — Ad 3. Negative. — Ad 4. Affirmative. — Ad 5. Negative. — Ad 6. Affirmative pro Novenna Nativitatis Christi, de licentia Episcopi. — Ad 7. et 8. Adeant S. Congregationem Concilii. —

Ad 9. Affirmative et quoad tempus, arbitrio Ordinarii. — Ad 10. Arbitrio et prudentia Ordinarii. — Ad 11. Affirmative. — Ad 12. Provisum in undecimo. — Ad 13. Affirmative. — Ad 14. Affirmative. Et ita decrevit, et servari mandavit S. C. R. die 9. iulii 1718.

II.

DECRETUM URBIS ET ORBIS.

Ad debitum imponendum finem controversiis, quae inter parochos et Confraternitates saeculares earumque capellanos et officiales super iuribus parochialibus et functionibus ecclesiasticis nonnullisque praeeminentiis seu praerogativis frequenter exoriri solent, in S. R. C. ab Emo et Rmo D. Card. Colloredo propositis infrascriptis dubiis, videlicet:

1. An Confraternitates laicorum legitime erectae in ecclesiis parochialibus habeant dependentiam a parocho in explendis functionibus ecclesiasticis non parochialibus?
2. An dictae Confraternitates erectae in capellis vel oratoriis tam publicis quam privatis adnexis parochialibus ecclesiis et ab eis dependentibus habeant dictam dependentiam a Parocho quoad dictas functiones?
3. An Confraternitates erectae in aliis ecclesiis publicis habeant quoad easdem functiones aliquam dependentiam a Parocho, inter cuius parochiae limites sitae sunt ecclesiae?
4. An Confraternitates erectae in oratoriis tum publicis, tum privatis, seiunctis ab ecclesiis parochialibus, quoad dictas functiones ecclesiasticas habeant dictam dependentiam a Parocho?
5. An benedictiones et distributiones candelarum, cinerum et palmarum sint de iuribus mere parochialibus?
6. An benedictiones mulierum post partum, fontis baptis-

malis, ignis, seminis, ovorum et similium sint de iuribus mere parochialibus?

7. An functiones omnes hebdomadae sanctae sint de iuribus mere parochialibus?
8. An celebratio Missae solemnis feria V. in Coena Domini sit de dictis iuribus parochialibus?
9. An prima pulsatio campanarum in sabbato sancto sit de dictis iuribus parochialibus?
10. An celebratio Missarum solemnium per annum sive pro vivis sive pro defunctis sit de dictis iuribus parochialibus?
11. An expositio quadraginta horarum et benedictio, quae fit super populo, sit de dictis iuribus mere parochialibus?
12. An expositio, quae fit cum reliquiis et sacris imaginibus, et benedictio, quae cum eis fit super populo, sit de dictis iuribus parochialibus?
13. An functiones in praecedentibus octo dubiis, videlicet a dubio 5. ad 12. expressae, peragi possint in oratoriis privatis, contradicente parocho?
14. An in dictis oratoriis privatis Confraternitatum per confratres statis horis recitari possint horae canonicae cum cantu vel sine, absque alia licentia Parochi?
15. An in dictis oratoriis privatis sit licita celebratio Missae privatae, assentiente Ordinario loci et contradicente Parocho?
16. An capellani Confraternitatum possint populo denuntiare festivitates et vigilias occurrentes in hebdomada absque licentia Parochi?
17. An Parochus invitis confratribus docere possit doctrinam christianam in praedictis ecclesiis et oratoriis publicis vel privatis a parochiali divisis et separatis?

18. An in saepedictis ecclesiis publicis Confraternitatum possint haberi publicae conciones, etiam per totum cursum Quadragesimae vel Adventus, cum licentia Ordinarii et absque licentia Parochi?
19. An in iisdem ecclesiis possit celebrari Missa sive lecta sive cantata ante Missam parochialem sive lectam sive cantatam?
20. An ad Parochum spectet, facere Officium funebre super cadaveribus sepeliendis in saepedictis ecclesiis et oratoriis publicis Confraternitatum?
21. An intra ambitum earundem ecclesiarum fieri possint processiones iuxta cuiusque Confraternitatis institutum absque interventu vel licentia Parochi?
22. An eaedem processiones fieri possint extra ambitum dictarum ecclesiarum absque licentia illorum Parochorum, per quorum territorium transeundum est?
23. An in dictis processionibus capellani Confraternitatum possint deferre stolam?
24. An Episcopo accedente ad ecclesias publicas Confraternitatum, quae non sint Regularium, neque proprium Rectorem Beneficiatum habeant, porrigendum sit aspersorium a Parocho, in cuius territorio sunt sitae dictae ecclesiae?
25. An earundem ecclesiarum et Confraternitatum rectores et capellanos possit Parochus, cessante speciali ac legitimo titulo et ex solo iure parochialitatis, compellere invitos ad assistendum functionibus ecclesiae parochialis?
26. An in saepedictis ecclesiis Confraternitatum neque parochialibus, neque regularibus retineri possit Ss. Eucharistiae Sacramentum sine speciali indulto Sedis Apostolicae?

27. Praesupposita facultate retinendi an possit infra annum publice exponi sine licentia Ordinarii?
28. An possit Parochus se ingerere in administratione oblationum, eleemosynarum in saepedictis ecclesiis recollectarum vel capsulae pro illis recipiendis expositae clavem retinere?
29. An in ecclesia Parochiali confratres vel eorum capellani immiscere se valeant invito parocho in eiusdem ecclesiae functionibus sive parochialibus sive non parochialibus?
30. An Confraternitates sive sint erectae in ecclesia parochiali, sive extra illam, possint pro libitu et iuxta uniuscuiusque peculiaria statuta congregationes suas facere absque interventu vel licentia Parochi?
31. An possint propria bona administrare ac de illis disponere absque ulla dependentia a Parocho?
32. Quando Parochus eisdem congregationibus intersit de mandato Ordinarii et tanquam eius delegatus, an possit suffragium decisivum ferre? et quatenus affirmative,
33. An etiam suffragium duplex?

S. eadem R. C. re mature discussa respondendum esse censuit: Ad 1. Affirmative. — Ad 2. Affirmative. Ad 3. Negative. — Ad 4. Negative. — Ad 5. Negative. Ad 6. Negative, sed benedictiones mulierum et fontis baptismalis fieri debere a Parochis. — Ad 7. Negative, prout iacet. — Ad 8. Negative, prout iacet, sed spectare ad Parochos. — Ad 9. Negative, prout iacet, sed spectare ad ecclesiam digniorem ad formam Constitutionis Leonis X. n. 22. § 14. — Ad 10. Negative, prout iacet, sed licere confratribus dumtaxat in festivitatibus solemnioribus eiusdem ecclesiae vel oratorii, ut in Brun-

dusina sub die 1. Iulii 1601. — Ad 11. Negative. — Ad 12. Negative, et quoad benedictiones cum reliquiis et imaginibus serventur decreta. — Ad 13. Satis provisum in superioribus. — Ad 14. Affirmative, nisi aliter Ordinarius statuat ex rationabili causa. — Ad 15. Affirmative. — Ad 16. Affirmative. — Ad 17. Negative. — Ad 18. Affirmative. — Ad 19. Negative, nisi aliter Episcopus disponat. — Ad 20. Affirmative, quando tumulandus est subiectus Parocho, intra cuius fines est ecclesia vel oratorium. — Ad 21. Affirmative. — Ad 22. Negative, nisi adesset licentia Episcopi. — Ad 23. Negative. extra propriam ecclesiam. — Ad 24. Negative. — Ad 25. Negative. — Ad 26. Negative. — Ad 27. Negative. — Ad 28. Negative. — Ad 29. Negative. — Ad 30. Affirmative, dummodo non impediant functiones et divina officia. — Ad 31. Affirmative. — Ad 32. Negative. — Ad 33. Negative.

Et ita, salvis tamen conventionibus et pactis in erectione Confraternitatum forsan factis, concordiis inter partes initis et a S. Sede approbatis, indultis, constitutionibus synodalibus et provincialibus et consuetudinibus immemorabilibus vel saltem centenariis, declaravit ac decrevit, si SSmo Domino Nostro videbitur. Die 10. decembris 1703.

Et facta deinde per me secr. de praedictis decretis Sanctissimo D. N. relatione, praevia eorundem integra lectura, Sanctissimus laudavit, benigne approbavit et publicari et, non obstantibus quibuscumque aliis in contrarium facientibus, servari mandavit die 12. ianuarii 1704.

Ad haec decreta pertinent quae sequuntur:

III.

Quaenam iura habeat Episcopus in Confraternitates, quaenam non habeat, defensor Confraternitatis B. M. V., quae cum Episcopo in litem aliquam inciderat, hoc modo exponit, declarando:

a) „Tridentinum Concilium cap. 8. et 9. sess. 22. de Ref. Episcopis nullam aliam tribuere facultatem in Confraternitates, quam easdem visitandi exigendique singulis annis redditionem rationis de administratione bonorum; atque ideo

b) Episcopum non posse neque sese ingerere in administrationem iuxta resolutionem S. C. EE. et RR. in Castellaneten. 11. Nov. 1604,

c) neque impedire Confraternitates, quominus extraordinarias faciant expensas, summam scutatorum viginti excedentes sine sua licentia. S. C. C. Urbinaten. 16. Martii 1663;

d) neque prohibere vel restringere eorum exercitia. S. C. EE. et RR. Ferrarien. 12. Ianuarii 1582;

e) aut prohibere, ne congregentur, ubi et quoties eis magis placuerit. S. C. EE. et RR. Nullius Putiniani 21. Augusti 1584.

Cum igitur ex Concilio Tridentino et declarationibus Sacrarum Congregationum aperte dignoscatur, Episcopos super Confraternitates nil aliud posse, quam illas visitare atque redditionem rationis de bonorum administratione exigere, defensor deducebat, facultatem ipsis non esse removendi electos atque novos destinandi rectores“ etc.*)

*) Acta S. Sedis. Vol. XII. p. 17. seqq. disceptatio synoptica.

IV.

Confraternitates in ecclesiis Ordinis erectae specialibus iuribus exemptionis fruuntur ex decretis S. C. Episc. et Regul. d. 6. iunii 1814, 21. augusti 1615, 15. iun., 17. iun., 20. decemb. 1616, 17. mart. 1717, 8. aug. 1620, 7. aug. 1716, 12. iulii 1726 etc. etc.

Processiones v. gr. Confraternitatis Fratres Praedicatores ducere possunt absque licentia Parochi per civitatem, ut patet ex sequenti decreto:

In causa Neapolitana processionis vertente inter Patres Dominicanos S. Severi et confratres congregationis Sanctissimi Rosarii ex una, et Parochum Sancti Georgii Maioris piorum operariorum eiusdem civitatis, partibus, ex altera proposita fuerunt infrascripta dubia de more resolvenda, videlicet.

Primum, an liceat Patribus Dominicanis S. Severi Neapolis in prima Dominica cuiuslibet mensis facere processionem Sanctissimi Rosarii cum stola, pluviali ac Reliquia S. Severi, necnon simulacro sive statua Beatae Virginis de Rosario intra limites Parochiae S. Georgii Maioris absque licentia Parochi.

Secundum, an praedicti Patres Sancti Severi inciderint in censuras comminatas in decreto curiae Archiepiscopalis sub die IV. augusti MDCCXV in casu, etc.

Sacra Congregatio Eminentissimorum et Reverendissimorum DD. S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, visa relatione Eminentissimi Archiepiscopi Neapolitani, ac mature perpensis iuribus et rationibus ab utraque parte informante deductis, referente Eminentissimo Caracciolo, ad suprascripta dubia infrascriptum in modum respondendum censuit:

Ad primum: Affirmative.

Ad secundum: Negative.

Romae, VII. augusti MDCCXVI.

F. Card. de Adua.

Loco ✠ sigilli.

P. Archiepiscopus Damascenus Secr.

De administratione Confraternitatum Ss. Rosarii.

1) Rector Confraternitatis seu capellae capellanus est exclusive ille, qui in diplomate erectionis ad hoc deputatur: quod patet per se et ex infra dicendis.

2) In ecclesiis Ordinis Praedicatorum munere rectoris funguntur ex officio, solummodo

a) Superiores,

b) Sacristae Maiores.

Fuit enim statutum: „Concedimus omnium conventuum et domorum nostri Ordinis Praesidentibus, ut Ss. Rosarii etc. Societates ingredi petentes in libro ad hoc deputato scribere, Rosaria benedicere et mysteria exponere, et in eorum absentia aliquem probatae vitae gravem Patrem Sacerdotem, qui id muneris exerceat, instituere possint. Idem etiam concedimus Patri Sacristae Maiori cuiuslibet ecclesiae nostrae.“[1])

„Item Fratres sacerdotes, quamdiu sacrae praedicationis causa sibi ab obedientia iniuncta, tempore Quadragesimae extra suos Conventus reperientur,“[2]) possunt adscribere fideles Societati, benedicere Rosaria etc.

3) Praeter praedictos „nullus sacerdos, sive saecularis sive regularis, etiam Ordinis nostri, adscribere potest Christifideles Ss. Rosarii Confraternitati, nisi deputetur a Generali Magistro seu Vicario Ordinis. Constat ex Const. S. Pii V. Consueverunt.“[3])

---

1) Cap. Gen. Romae 1589, concess. 8., Venetiis 1592.

2) Cap. Gen. Venetiis 1592 habito, ord. 12.

3) Fontana Const. Ord. de soc. no. 12.

4) Idcirco quilibet presbyter legitime non deputatus rectoris munere fungi non potest. Legitima autem deputatio sacerdotibus Ordini extraneis confertur Instrumento erectionis. Ergo ex hoc Instrumento solvendae sunt sequentes quaestiones, scilicet

a) de legitimo rectore cuiuscumque Confraternitatis Ss. Rosarii,

b) de facultatibus eidem rectori concessis.

5) Facultates, quibus fruuntur rectores Confraternitatum rite ab Ordine institutarum, habes supra p. 130. De ceteris vero Ss. Rosarii Confraternitatibus exstant diversa decreta rectorum facultates limitantia v. gr.:

a) „Utrum sacerdos rector Sodalitatis B. M. V. de Rosario olim canonice erectae, sive per Patres Ordinis Praedicatorum, sive per indultum speciale Apostolicum, habeat eo ipso, quod sit rector dictae Sodalitatis, facultatem benedicendi Rosaria, et quidem pro omnibus Christifidelibus cum applicatione indulgentiarum, quas applicant dicti Patres Ordinis Praedicatorum?

Resp.: Negative, nisi in diplomate erectionis sive in indulto Apostolico addita sit facultas rectori pro tempore Rosaria benedicendi atque illis consuetas indulgentias applicandi.“[1])

b) „An Director Confraternitatis Ss. Rosarii ab Episcopo designatus eo ipso Rosaria cum applicatione indulgentiarum benedicere possit?

Resp.: Negative, nisi in huiusmodi concessionibus facta sit facultas rectori pro tempore benedicendi Rosaria, coronas etc.“[2])

c) Archiepiscopus Cameracensis quaerit:

1) S. C. I. d. 30. ian. 1839.
2) S. C. I. d. 18. nov. 1842.

„Utrum moderatores Sodalitatum B. M. V. de Rosario et de Monte Carmelo valeant benedicere Rosaria etc. cum applicatione indulgentiarum assuetarum eo ipso, quod ipsos dictos moderatores instituerimus in erigendo praelaudatas Sodalitates cum assuetis indulgentiis etc., Apostolica delegatione nobis concessa, etsi Breve nobis impertitum non mentionem faciat de indulta facultate moderatoribus ad effectum benedicendi huiusmodi Rosaria etc., et utrum pariter facultas concessa primo moderatori transeat ad eius successores in hoc munere?“

Resp.: „Consulendum Sanctissimo pro sanatione quoad praeteritum, et pro facultate Eminentissimo Archiepiscopo Cameracensi, ut per se vel per sacerdotes a se deputandos benedicat Rosaria etc. ad lucrandas indulgentias unicuique ex Confraternitatibus praedictis ab Apostolica Sede concessas.“*)

d) Archiepiscopus Auxiensis dubia, ut infra, solvenda proposuit:

„1. Utrum parochus seu moderator Confraternitatis cuiuscumque, sive legitime impeditus, sive non, possit licite et valide sibi vicarium vel alium presbyterum quemcumque approbatum subrogare ad recipiendum fideles Confraternitati adscribendos?

„2. Utrum vicarius vel alius presbyter ita subrogatus pro una vice, vel ad tempus, possint etc. coronas deprecatorias seu Rosaria benedicere cum applicatione indulgentiarum, non secus, ac ipsemet Parochus vel moderator Confraternitatis?

„3. Utrum haec omnia absque ullo fidelium Confraternitati adscribendorum seu adscriptorum detrimento fieri possint?“

*) S. C. I. d. 12. iul. 1847.

Sacra Congregatio respondit:

„Ad 1: Negative, nisi ei facta fuerit in concessione facultas subdelegandi vicarium vel alium presbyterum.

„Ad 2: Provisum in primo.

„Ad 3: Negative, deficiente in sacerdote adscribente seu benedicente legitima auctoritate.“*)

6) Praeter rectorem Confraternitatis gaudet iure recipiendi Fideles quilibet sacerdos, qui facultatibus personalibus ab Ordine Praedicatorum munitus est per hoc

INSTRUMENTUM:

„Auctoritate Apostolica concedimus ... facultatem, qua possit in locis, ubi non sunt Conventus seu Domus Ordinis Praedicatorum, Christifideles utriusque sexus ad Societatem Sanctissimi Rosarii adscribere, hac tamen lege, ut adscriptorum nomina mittat ad aliquem Conventum Ordinis nostri, vel ad aliquam Ecclesiam, ubi canonice erecta invenitur Societas Ss. Rosarii; coronas seu Rosaria, rosas, ac candelas benedicere, et Indulgentiam plenariam, iuxta formam a. s. m. Innocentio PP. XI. praescriptam, confratribus in articulo mortis constitutis impertiri. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Datum Romae in Conventu nostro S. Mariae supra Minervam die ... Mensis ... Anni ...

Fr. ... Magister Generalis Ord. Praed.

(L. S.) Conservus in Domino.

Fr. ... Magister et Socius.“

Sed hoc instrumento non conferuntur iura rectori Confraternitatis propria, inter quae inscriptio in librum Confraternitatis continetur. Potest igitur his facultatibus personalibus munitus quilibet sacerdos, rectore

*) S. C. I. d. 22. aug. 1842.

sive impedito sive non impedito, rite recipere Fideles in Confraternitatem et reliqua agere, quae in instrumento enumerantur, sed nomina a se receptorum rectori inscribenda tradere debet. Potest etiam ipse, consentiente rectore, illa nomina inscribere, si observantur ea, quae numeris 10. et 11. indicabuntur.

7) Facultates instrumento mox allato concessae, cum sint personales, valent pro semper et ubique et quidem pro omnibus Christifidelibus cum applicatione indulgentiarum, quas applicant Patres Ordinis Praedicatorum; nec requiritur pro earum exercitio licentia Episcopi, quod patet ex hoc responso:

„Utrum, qui obtinet diversas facultates ab Apostolica Sede, scilicet etc. benedicendi cruces, numismata etc., debeat exhibere dictas facultates Ordinario, etiamsi nulla mentio facta sit in concessionum Rescriptis?

Resp.: „Negative, nisi aliter disponatur in obtentis concessionibus.“[1])

Atqui in supradictis facultatibus auctoritate Apostolica concessis nulla fit mentio talis exhibitionis nec aliter disponitur.

8) Rector seu eius vicesgerens legitimus (cfr. no. 9) nomina et cognomina Christifidelium in eandem Societatem ingredi et recipi petentium in libro ad hoc specialiter constituto inscribere, psalteria seu coronas benedicere, sacri Rosarii mysteria reverenter exponere ac omnia et singula facere potest et debet, quae Fratres nostri in ecclesiis nostris ad hoc deputati facere possunt et rite consueverunt.[2])

9) Quando in Diplomate Erectionis „Parochus p. t. eiusque vices gerens“ deputatur tanquam rector Con-

1) S. C. I. d. 5. febr. 1841.

2) Dipl. Erect.

fraternitatis, tunc vices gerens intelligitur ille, qui Parochi aegroti, mortui, amoti vel longo tempore absentis officio fungitur in paroeciae administratione.[1])

10) Pro inscribendis illis, qui actu, sive solemni, sive simplici, rite iam sunt recepti, valet haec regula: „Inscriptio materialis a quocunque fieri potest, dummodo Christifidelis ab habente facultatem tantum sit rite receptus,“[2]) quod sic interpretandum est:

11) „Possunt quoque rectores suas vices pro inscribendis nominibus Sodalium Ss. Rosarii, Ss. Nominis Dei et Militiae Angelicae seu Cinguli Divi Thomae Aquinatis[3]) tot personis delegare, quot idoneas et sufficientes in Domino iudicaverint, reservata sibi tantum cura tales inscriptiones [mere materiales] authenticas [formales] efficiendi per proprii chirographi appositionem ad calcem cuiusque paginae librorum matricularium. Praesenti in perpetuum valituro, contrariis quibuscunque non obstantibus.“[4])

12) Sacerdotes, qui facultatem habent benedicendi Rosaria S. Dominici, „id solo signo crucis perficere non possunt, sed pro actus valore formula benedictionis Ordini Praedicatorum propria omnino est adhibenda. Quoad dispensationem, non expedire.“[5])

„Et deferant regulariter stolam albam ea benedicendo.“[6])

13) „Pro receptione et adscriptione aliquorum confratrum sive consororum in dicta Confraternitate nihil omnino temporale exigi debet, sed sponte oblata

1) Ex Resp. Mag. Gen. Ord. d. 20. febr. 1882.
2) S. C. I. d. 25. sept. 1845.
3) Quae sunt Sodalitia Ordinis Praed.
4) Approbante Pio IX. S. C. I. d. 7. iulii 1877.
5) S. C. I. d. 29. febr. 1864.
6) Ex lib. Facult. etc. curis Mag. Ord. 1882 edito.

dumtaxat recipi possunt,“[1]) „ne quamplurimi Christifideles propter excessum pecuniarum in admissione persolvendarum ab eadem Confraternitate retrahantur;“[2]) imo „auctoritate Apostolica per praesentes statuimus, quod nulli licitum existat etc., aliquid eidem Confraternitati pro illius ingressu seu alia quavis de causa persolvere.“[3])

Quod decretum quomodo intelligendum sit, patet ex dictis et ex regulis antiquis. Docet enim P. Cornelius Snekis († 1500), Praedicator Generalis Rosarii, haec: „Circa ingressum in Fraternitatem tria sunt necessaria: causa, modus, intentio.

a) Causa sit pure spiritualis, ad communicandum sibi ipsis bona opera, ut sunt missae, vigiliae, orationes.

b) Modus, ut volens intrare, petat ad illam recipi propter Deum et in fraterna charitate.

c) Intentio. Et in tali receptione tunc non debet fieri mentio de dando aliquo per obligationem, sed nude sit intentio ad salutem animae. Verum si *post* receptionem velit quis aliquid dare ad honorem Dei et Sanctorum, puta ad luminaria vel ad eleemosynas pauperum vel ad decorandum altaria aut huiusmodi, hoc non est prohibitum, sed magis commendabile et meritorium. Unde sicut unus potest inducere alium

1) Leo X. Pastoris aeterni d. 6. octob. 1520.

2) Clemens VII. Ineffabilis d. 23. mart. 1529.

3) Pius V. Inter desiderabilia d. 28. iunii 1569. Si vero nomina mittuntur ad aliquem Ordinis Conventum, qui pro inscribendis nominibus ceterisque Confraternitatis rebus secretarium saepius sustinere debet specialem, iustum et aequum est, adscribendos de hac circumstantia monere nominibusque eleemosynam adiicere. Quod certe non adversatur Constitutionibus citatis, quae respiciunt Confraternitates locales nec eo tendunt, ut auferatur illud Sacrae Scripturae: „Non alligabis os bovi trituranti!“ I. Tim. V. 18; Deut. 25. 4.

per eleemosynas corporales ad aliqua spiritualia opera exercenda, puta ad orandum Rosarium, ad dicendam Missam vel simile quid: ita etiam fratres Fraternitatis possunt se mutuo inducere ad dandum aliquid pro sustentandis et continuandis oneribus piis illius Fraternitatis."[1]) Ad hunc enim finem non solum parva, sed etiam magna dona offerri et recipi possunt: nam

14) „Ad id deputati confratres omnia et singula oblationes et legata seu donationes aut alias quovis modo, sive in testamento, sive in codicillis aut alia ultima, vel inter vivos voluntate, illis relicta et erogata quaecunque, quotcunque et quotiescunque, etiamsi speciali nota digna sint, percipere, exigere, levare et in Confraternitatis pios usus convertere, etiam Ordinarii loci aut cuiusvis alterius licentia desuper minime petita, libere et licite possunt."[2])

15) Saluberrimam Ss. Rosarii devotionem magno amore prosequi et inter Christifideles promovere tenentur rectores saeculares, ut ipsi Patres Ordinis Praedicatorum, quorum vices suis in locis gerunt. „Confratres enim ut se regant et gubernent iuxta capitula et ordinationes et statuta Archiconfraternitatis in ecclesia nostra S. Mariae supra Minervam erectae, una ex illis conditionibus est, sub quibus Ordo in locis, in quibus domicilium non habet, hanc Confraternitatem institui permittit."[3]) Unde praecipuas constitutiones Capitulorum Generalium Ordinis pro administratione Confraternitatis editas in hoc tractatu meminisse iuvabit.

---

1) Corn. Snekis sermo 5. de Ros. et Mich. ab Insulis: Quodlibet. materia 1. propos. 3.

2) Pius V. Consueverunt d. 17. sept. 1569 et fusius in Brevi: Salvatoris d. 5. mart. 1572.

3) Iustin. Miechoviensis O. Pr. Disc. Praed. Neapoli 1857 II. dis. 11.

16) Fidelibus ad suscipienda Sacramenta occasionem praestent amplam et ad benedicenda Rosaria, candelas, rosas (naturales); nec non ad fideles recipiendos et adscribendos rectores promptos se praebeant.[1])

17) Candelam pro Confraternitate benedictam semper habeant paratam, quia confratres, „qui cum cereo benedicto dictae Confraternitatis, illum in honorem eiusdem Virginis Mariae in manibus tenendo, ab hac luce migraverint et ante horam obitus dictum Rosarium seu Psalterium semel tantum recitaverint, remissionem et indulgentiam omnium peccatorum suorum in mortis articulo consequuntur."[2])

Quem textum referens Innocentius XI.[3]) hanc gratiam concedit confratribus „vere poenitentibus et confessis vel firmum propositum confitendi habentibus, qui etc. ut supra". Pius vero IX. in suo Summario[4]) omittit verba supra citata „ante horam obitus". — Unus igitur idemque cereus valet pro quibusvis moribundis, ut patet ex allatis.

18) „Priores et Praesides omnino curent, ut in suis ecclesiis a personis utriusque sexus Rosarium ter in hebdomade publice recitetur iuxta ritum et modum Romnae Provinciae sub poena absolutionis a suis officis."[5]) „Ubi vero viget consuetudo laudabilis, ut quotidie tertia pars Rosarii sic publice recitetur, sedulo retineatur talis usus."[6])

19) Conventuum Praesides tenentur interesse con-

1) Vde Rituale infra.

2) Adrianus VI. Illius qui d. 1. april. 1523. Clemens VII. Considerantes d. . april. 1524.

3) Nuper pro parte d. 31. iulii 1679 X. 2.

4) d. 8 sept. 1862.

5) Cap Gen. Ord. Romae 1628, Bononiae 1748.

6) Consit. Ord. Paris. 1872 p. 66.

gregationibus, quae fieri debent a confratribus harum Societatum saltem semel in mense eosque hortari ad opera pietatis exequenda.[1])

20) Prima Dominica cuiuslibet mensis concionem vel totam de Rosario habeant vel saltem illius mentionem faciant ad hoc, ut haec devotio tam praecipua et utilitati publicae adeo salutaris magis ac magis vigeat ac florescat.[2]) Iam Alexander IV. confratribus vere poenitentibus et confessis, qui „semel singulis[3]) mensibus secundum fervida, salubria ac provida Statuta huius Confraternitatis in ecclesia Fratrum Praedicatorum ad missarum solemnia et Dei verbum in commemoratione ipsius B. Virginis audienda convenerint reverenter, indulgentiam centum dierum" concessit.[4])

21) Eius mysteria christianae plebi accurate exponant doceantque, quanta vis huic precationi et ad Dei opem implorandam et ad vitia exstinguenda insit, narrationibus a probatis auctoribus traditis confirment et quibus laudibus pium hoc institutum Romani Pontifices extulerint, quibus privilegiis auxerint.[5])

22) „In qualibet nostri Ordinis ecclesia prima cuiuslibet mensis Dominica Ss. Rosarii processio fieri debet. Populos enim debitis indulgentiis, processiones intermittendo, privari non decet."[6])

---

1) Cap. Gen. Venetiis 1592.

2) Romae 1677.

3) „Notet lector antiquum morem et discat, etiam saeculo XIII. Institutis Societatis Sanctissimi Rosarii cautum esse, ut confratres semel singulis mensibus, prima scilicet Dominica cuiuslibet mensis, in ecclesia Fratrum Praedicatorum ad missarum solemnia et Dei verbum in commemorationem B. Mariae Virginis audienda convenerint." *Ex Bull Ord. Praed. tom. I. pag. 366, constit. CCXVII. not. 4.*

4) Splendor paternae d. 26. iunii 1258.

5) Romae 1777.

6) Romae 1571 et 1589. Pius IV. Cum sicut d. 28. febr. 1561.

„Magnopere probamus, Sodalitates a Rosario Virginis solemni pompa viatim per urbes, accepta a maioribus consuetudine, publicae religionis causa procedere.“[1])

Ita Leo XIII. gloriose regnans, qui „optat quoque, ut a sodalibus Sacratissimi Rosarii religiosae pompae, ubi id per leges civiles licet, publice ducantur“.[2])

23) „Publicam supplicationem Ss. Rosarii non a Confraternitatis confratribus, sed a Patribus Ordinis Praedicatorum ducendam esse, definiendum censuit servandumque mandavit Sacra Rituum Congregatio.“[3])

24) In processionibus saltem solemnioribus confratres et consorores omnes cum candelis cereis et, si pauperiores sint, saltem cum spirulis, si possint, seu globis aut libretis ex cera torta conglobatis accensis incedant, „quando secundum Statuta dictae Confraternitatis [scl. in festivitatibus eiusdem Beatissimae Virginis] ipsi confratres cum cereis accensis tenentur adesse.“[4])

„Accepimus, quod venerabilis Societas gloriosae Virginis Mariae de Rosario super Minervam singulis mensibus in prima Dominica mensis processionem solemnem confratrum dictae Societatis cum candelis et facibus accensis in dicta ecclesia in honorem B. M. Virginis celebret multasque candelas ad altare eiusdem gloriosae Virginis accendat multaque alia opera exerceat in fidei et devotionis Christifidelium Deiparae devotorum augmentum“ etc.[5])

Gregor. XIII. Cum incipit d. 3. ianuar. 1579. Paulus V. Piorum hominum d. 15. april. 1608.

1) Leo XIII. Supremi Ap. d. 1. sept. 1883.

2) Decr. Urbis et Orbis d. 20. augusti 1885.

3) die 25. sept. 1852.

4) Clemens VIII. Ineffabilis d. 12. febr. 1598. Innoc. XI. Nuper pro parte d. 31. iulii 1679.

5) Pius IV. Cum sicut d. 28. febr. 1561.

Primis Dominicis mensium et quibusdam solemnitatibus B. Mariae Virginis, quibus conceduntur indulgentiae speciales confratribus processioni assistentibus, in ecclesiis Ordinis Praedicatorum sequens observandus est

ORDO PROCESSIONIS SS. ROSARII.

25) „Qualibet Dominica prima mensis post Vesperas faciunt Fratres nostri in propriis ecclesiis processionem Ss. Rosarii, tamquam peculiare huius Ordinis patrimonium sibi a B. P. N. Dominico relictum, et fit cum magna populi frequentia. Quapropter acolythi, dum in Vesperis cantatur canticum *Magnificat,* a Choro discedant (vel prius, si fiat incensatio altaris) una cum hebdomadario vel alio sacerdote, cui cantor iniunxerit, qui superpelliceo, stola, pluviali albi coloris indutus e sacristia discedat procedens ad altare maius in ecclesia teneatque manibus Reliquias in processione deferendas; quem praecedant acolythi cum cruciferario pariter induti superpelliceo, illi cum cereis accensis, iste cum Cruce in medio illorum.

„Absolutis Vesperis cantor incipiat hymnum: '*Ave maris stella*' vel quid aliud*), ad cuius primam strophen sint omnes fratres genuflexi; deinde processionaliter e Choro egrediantur ad altare Ss. Rosarii, bini et bini, praecedentibus acolythis et post omnes fratres sacerdos cum Reliquia.

„Cum pervenerint ad altare, inclinent profunde et, deposita Reliquia super altare, sacerdos in primo gradu

*) In Statutis authenticis Confraternitatis Ss. Rosarii a Rmo Magistro Generali Ordinis Sixto Fabri Lucensi editis et promulgatis anno 1585 et recenter Romae impressis permittitur, ut loco hymni „Ave maris stella" cantetur quid aliud simile („o altra cosa simile") et loco Litaniarum aliqua antiphona B. Virginis („arrivati alla capella cantino le Litanie o qualche antifona della Vergine"). Ita in Caeremoniali Ordinis Mechliniae 1869 p. 512 nota 2.

genuflectat, acolythis hinc inde, versis ad se vultibus, pariter genuflexis ante imaginem B. Virginis.

„Tunc cantores incipiant Litanias B. Virginis vel aliquam antiphonam B. M. Virginis, choro respondente et omnibus processionaliter incedentibus per ecclesiam aut extra, iuxta locorum consuetudinem. Cum autem ad altare reversi fuerint, absolutis Litaniis, dicatur ab acolythis:

V. Regina Sacratissimi Rosarii, ora pro nobis,

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Sacerdos subiungat:

Oremus. Deus, cuius Unigenitus etc. ut infra.

„Deinde sacerdos populum cum Reliquia benedicat redeatque cum ministris in sacristiam, ut se sacris vestibus exuat, comitantibus, ut prius, officialibus Confraternitatis cum cereis accensis, cantando aliquem hymnum B. M. V.

„In pluribus Conventibus consuevit deferri imago Virginis gloriosae, et tunc pariter procedendum erit cum luminibus. Et si processio extra ecclesiam per civitatem fiat, erunt laeta cantica, ad Virginis laudem spectantia, cantanda cum tubarum clangore et aliorum instrumentorum melodia.

„Ubi vero alio tempore vel alio modo consuevit haec processio fieri, servetur approbata consuetudo.“*)

26) „Auctoritate Apostolica districtius inhibemus quibusvis, ne eosdem, Generalem seu deputandos, super erectione et institutione Societatum Rosarii, in quibuscunque civitatibus, terris et locis, factis et faciendis; neque eosdem confratres super exercitio piorum operum et profectu ad processiones seu incessu cum signo

*) Ex Processionario S. Ord. Praed. auctoritate Apostolica approbato. Mechliniae 1873 p 393.

eorum aut dicti signi delatione molestare, perturbare aut inquietare audeant nec debeant."[1])

„Confratribus, ut processiones, praesertim Dominica prima Octobris et die festo Annuntiationis B. Mariae Virginis, singulis annis per vias publicas in perpetuum facere necnon eleemosynas diebus festis publice quaerere, petere et recipere libere et licite valeant, auctoritate Apostolica licentiam et facultatem" impertitus est Clemens Papa VIII.[2])

27) „Inter solemnes Ecclesiae catholicae functiones non ultimum locum obtinent sacrae processiones, siquidem in eis supremus omnium Dominus publice et a pluribus colitur et honoratur, ferventiores ad ipsum Deum preces agminatim funduntur ac coetus ecclesiasticorum certo sub ordine in varias veluti castrorum acies distributi aeque fortem ac formosum componunt exercitum militantis Ecclesiae, quo Deo et Angelis iucundum exhibetur spectaculum, fidelibus ingens comparatur utilitas et non modicum terroris daemonibus incutitur. Est enim processio publica supplicatio facta Deo a communi coetu fidelium certo cum ordine disposito et procedente e loco sacro in sacrum."[3]) — Publicae sacraeque processiones continent magna et divina mysteria; et salutares christianae pietatis fructus eas pie exequentes a Deo consequuntur, de quibus fideles praemonere et erudire Parochorum officium est."[4])

28) Quoad processionis associationem accepimus hoc Rescriptum:

Quaesitum. A pluribus Confraternitatibus Ss. Ro-

---

1) Pius V. Inter desiderabilia d. 29. iulii 1569.
2) Decet Romanum d. 27. aug. 1597.
3) Quarti, Cler. Reg.: De processionibus. Coloniae Agrippinae 1672.
4) Rit. Rom. tit.: De process.

sarii processiones debitae fieri omnino non possunt, nec intra nec extra ecclesiam, propter locorum exiguitatem et angustiam. Cum autem non sit intentio S. Ecclesiae, ut confratres propter hanc inconvenientiam indulgentiis priventur, quaeritur, an sufficiat, si rector Confraternitatis cum clericis et cantoribus processionem concomitetur, ceteri vero sodales, locis suis devote adstantes, mente tantum sequantur?

Et quatenus: Negative, petitur, ut hic modus in tota fere Germania usitatus, concedatur et approbetur secundum decisionem S. C. I. d. 6. augusti 1757 in favorem Viae Crucis his verbis factam: „An in peragendo Viae Crucis exercitio, semper necessario requiratur localis motus de una statione ad aliam pro acquirendis indulgentiis concessis pium huiusmodi opus peragentibus?“ — S. Congregatio Indulgentiarum dicto die respondit: „Negative“, et subiunxit: „Pro publico exercitio Viae Crucis, quando perturbatio excitari potest, observetur methodus a P. Leonardo a Portu Mauritio proposita, ut videlicet unoquoque de populo locum tenente, sacerdos cum duobus clericis sive cantoribus circumeat“ etc.

„Ad quaestionem propositam respondetur: Affirmative, quando parvitas ecclesiae ac fidelium concursus impediunt processionis associationem, absque eo quod generetur confusio in ecclesia.

„Hanc sententiam tenet P. Morassi in opere: „Il Rosario“, editione 2a, pag. 383, nota 1.*) Licet enim

*) Ubi legitur: „Non ci venne fatto di trovare documento per istabilire qui con fermezza la qualità dell' *intervento*, che si ricerca per lucrare quest'indulgenza, quando la processione si fa soltanto dentro la chiesa. A noi pare però, che in tal caso si possa benissimo dire che v'intervengono anche tutti coloro, i quali, portatisi alla chiesa per essa, se ne stanno fermi nei banchi accompagnandone le prieghiere, disposti

fateatur, nullam se invenisse circa hoc authenticam declarationem, ac exprimat desiderium, ut provocetur, in sententiam tamen affirmativam descendit.

Insuper P. Pradel in opere: „Manuale del Ss. Rosario", uti habetur in italica versione[1]), Romae anno elapso typis edito, pag. 341 docet, quod in supradictis conditionibus, sicut declaratum est pro Via Crucis, fideles indulgentias lucrari possunt.

Romae, d. 10. sept. 1885.

Fr. Marcolinus Cicognani,

Proc. Glis et Vic. Magistri Ord. Praed."

29) Festum Ss. Rosarii i. e. dies Dominica prima Octobris, quotannis maxima qua possit solemnitate celebretur et processio omni cum pompa fiat, ut fideles accurrant et in consolationem et deliberationem animarum in purgatorio detentarum participes se reddant pretiosissimae Indulgentiae, quae Toties-quoties vocatur.[2])

„Anniversariis solemnibus huius festi plurima et maxima in populum christianum per Marialis Rosarii preces collata beneficia recoluntur."[3])

30) Festis Domini nostri Iesu Christi et B. Mariae V. Matris Dei, quibus Ss. Rosarii mysteria coluntur, specialis cultus attribuatur.[4])

Illa festa[5]) sunt Annuntiatio, Visitatio, Nativitas

---

veramente ad associarvisi eziandio corporalmente senza umani riguardi, quando lo potessero fare senza disordine e confusione. Una dichiarazione autorevole su di ciò sarebbe molto opportuna."

1) In originali habetur: „Cette assistance [à la procession du Rosaire] consiste à suivre la procession en faisant les prières traditionelles ou celles que l'on sait. Dans les églises trop petites, il suffit qu'un certain nombre de confrères suivent le clergé." Pradel: Manuel du très saint Rosaire; édit. 5. Mazères 1884. p. 125.

2) Gregorius XIII. Monet Apost. d. 1. april. 1573.

3) Leo XIII. Encycl. d. 1. sept. 1883.

4) Gregor. XIII, Pastoris aeterni d. 5. maii 1581.

5) Ex decr. S. C. I. d. 25. febr. 1877.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Domini, Purificatio, quibus quatuor prima mysteria, Compassio B. M. V. seu feria VI. post Dominicam Passionis, qua decimum, Dominica Paschae Resurrectionis et Ascensio Domini, Pentecostes, Assumptio B. M. V., Omnium Sanctorum, quibus quinque mysteria gloriosa celebrantur.*)

31) Festum S. Dominici, die 4. augusti, quod in Ordine celebratur sub ritu primae classis cum octava solemni, pro tota Ecclesia a Leone XIII. per Decretum S. C. R. d. 5. april. 1883 ad ritum duplicis maioris elevatum sancte a confratribus celebrandum est, saltem cultu antemeridiano, et confratres in divinis officiis ad laudem et gloriam tanti Patris Ducisque sui singulariter intentos esse decet. Per sanctissimum enim Patriarcham Dominicum Virgo gloriosa Rosarium hominibus donavit, donumque hoc pretiosissimum quamplurimis miraculis confirmare non desiit. Hic vir fuit ille, qui praeter sanctum et optime de universa Ecclesia meritum Praedicatorum Ordinem, quem instituit, etiam hanc eminentissimam Rosarii Confraternitatem fundavit multaque milia populorum beneficio huius Fraternitatis ad veram poenitentiam, ad Dei Beataeque Virginis cultum perduxit neque in dies magis perducere desistit. Quotidie illum grato corde venerari tenemur tamquam electum Virginis Mariae amicum, animarum nostrarum medicum, Patronum et intercessorem nostrum singularem; ad ipsum quotidie cum filiis suis pie clamemus: „O spem miram, quam dedisti mortis hora te flentibus,

*) In omnibus etiam antiquissimis libris, qui de Ss. Rosario tractant, usque ad emanationem huius decreti (p. 190) enumerantur ut festa quinti, sexti, septimi, octavi, noni et decimi mysterii festum Inventionis pueri Iesu in templo (Dom. I. post Epiphaniam), feria V. in Coena Domini, feria VI. in Parasceve, festum Coronae spineae Domini (24. april.), inventionis Crucis (7. mai.), exaltationis Crucis (14. sept.).

dum post mortem promisisti, te profuturum fratribus! Imple, Pater, quod dixisti, nos tuis iuvans precibus!“[1])

32) Iis annis, quibus festum S. Dominici non incidit in Dominicam, extrinseca ipsius solemnitas transferri potest in Dominicam immediate sequentem, ita „ut missae omnes esse valeant ut in festo S. Dominici, dummodo non occurrat duplex primae classis, quoad missam solemnem, duplex primae vel secundae classis quoad lectas, non omissa tamen parochiali de officio occurrente servatisque rubricis, contrariis non obstantibus quibuscunque.“[2])

Quae concessio facta est Confraternitati Ss. Rosarii oppidi d'Espoey, et insuper adnexa est haec indulgentia:

„Santissimus Dominus noster Gregorius PP. XVI. omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti, supradictam ecclesiam parochialem in festo S. Dominici, ibi de Ordinarii licentia celebrando, devote visitaverint ac per aliquod temporis spatium iuxta mentem Sanctitatis Suae oraverint, indulgentiam plenariam, incipientem a primis vesperis usque ad illius diei solis occasum benigne concessit. Praesenti in perpetuo valituro.“[3])

Privilegium hoc et indulgentia Confraternitati d'Espoey concessa valent propter privilegiorum etc. communicationem, de quibus infra, pro omnibus Ss. Rosarii Confraternitatibus. pag. 344.

„Pius IX. plenariam indulgentiam in Ordinis FF. Praedicatorum Belgicae Provinciae ecclesiis die festo S. Dominici elargitam ad totum eiusdem diei Octiduum

1) Ex Offic. S. P. N. Dominici Resp. IX.
2) S. R. C. d. 14. mart. 1842.
3) S. C. I. d. 16. mart. 1842.

extendit, incipiendum ab ipsius diei festi primis vesperis usque ad ultimum diei dicti Octidui solis occasum, pro unica tamen vice eorum dierum spatio acquirendam."[1])

33) Quotannis quatuor[2]) anniversaria[3]) in altari Rosarii celebrentur, scl. primis liberis diebus post festa B. M. Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis eiusque Virginis Nativitatis atque applicentur pro defunctis confratribus et sororibus.[4])

Praeterea missa solemnis pro vivis sodalibus die festum Rosarii insequente quotannis celebrari moris est.

34) Ad minimum semel in anno nomina fratrum defunctorum et sororum e cancellis intimari solent.[5])

35) Meminerint rectores, ut singulis annis mense Octobri RR. Patribus Ordinis Praedicatorum Promotoribus statum, progressum etc. Confraternitatum sibi commissarum exponant numerumque sodalium vivorum et ultimo anno mortuorum communicent.

De organisatione speciali, de virginibus dotandis, Rosario Perpetuo et Vivente vide infra.

---

1) S. C. I. d. 14. nov. 1853.

2) Quatuor haec anniversaria ab omnibus Confraternitatibus esse celebranda, Statutis Confraternitatis Ss. Rosarii Neapolitanae, a Gregorio XIII. (in specula d. 3. iunii 1579) specialiter approbatis, edocemur. Habetur enim in dicta bulla: „Fratres singulis annis celebrent unum anniversarium pro salute animarum confratrum dictae Confraternitatis defunctorum ultra quatuor anniversaria, quae celebrari debent."

3) „Circa hoc occurrit optandum, quod, ut est piissimum et tanto Ordine dignum institutum, ab internisque confratribus eiusdem Ordinis et Religiosis pro sua parte servatum, ita simili cura et studio externi confratres exequerentur, frequentando scilicet dicta anniversaria cum candelis cereis." *Navarrus, Miscell. 12.*

4) Regula Coloniensis anno 1576 a S. Sede approbata.

5) Regula Colon.

Rituale Archiconfraternitatis Ss. Rosarii.

I.

RITUS RECIPIENDI
SOLEMNITER IN CONFRATERNITATE SS. ROSARII.

Qui recipiendi sunt solemniter, habeant Rosarium et cereum et versus altare Ss. Rosarii accedentes, genua flectant. Sacerdos vero indutus stola albi coloris, verso vultu ad recipiendos, dicat.

V. Adiutorium nostrum in nomine Domini,
R. Qui fecit coelum et terram.
V. Domine, exaudi orationem meam,
R. Et clamor meus ad te veniat.
V. Dominus vobiscum,
R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui per mortem Unigeniti Filii tui mundum collapsum restaurare dignatus es, ut nos a morte aeterna liberares et ad gaudia regni coelestis perduceres; respice, quaesumus, super hos famulos tuos, qui inter filios et confratres Societatis Beatissimae Virginis Sacratissimi Rosarii connumerari desiderant, et per merita eiusdem Genitricis Dei effunde super illos benedictionem tuam, quatenus benedicti sic in hoc saeculo vivant, ut inter oves dexterae tuae in perpetuum collocari mereantur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Si cerei vel Rosaria etc. non fuerint adhuc benedicta, tunc benedicantur. (Vide infra.) Deinde subiungit Sacerdos:

Auctoritate, qua fungor, et mihi a Reverendissimo Patre Magistro Generali Ordinis Praedicatorum tradita, ego admitto vos Confraternitati Sanctissimi Rosarii et recipio ad participationem Indulgentiarum eius, quae per Sanctam Sedem Apostolicam concessae fuerunt; item participes vos facio omnium bonorum spiritualium totius sacri Ordinis Fratrum Praedicatorum, sicut et omnium aliorum bonorum spiritualium et operum, quae passim cooperante Dei gratia a fratribus et sororibus Societatis Sacratissimi Rosarii per universum mundum peraguntur. In nomine † Patris, et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Aspergantur recepti aqua benedicta; quo facto Sacerdos tradat singulorum manibus Rosarium benedictum, dicens:

Accipite signum Dei viventis ab ipsa Sanctissima Virgine sic nuncupatum; ut sit vobis in pignus et medium ad vitam aeternam promerendam.

R. Amen.

Deinde singulis osculandam porrigat extremitatem stolae vel sui scapularis, et versus ad altare dicat:

V. Adiutorium nostrum in nomine Domini,

R. Qui fecit coelum et terram.

Receptorum nomina scribantur in libro ad hoc constituto.

II.

BENEDICTIO ROSARIORUM.

(cfr. p. 180 no. 12.)

V. Adiutorium nostrum in nomine Domini,

R. Qui fecit coelum et terram.

V. Domine, exaudi orationem meam,

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum,

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens et misericors Deus, qui propter eximiam charitatem tuam, qua dilexisti nos, Filium tuum Unigenitum Dominum nostrum Iesum Christum de coelis in terram descendere, et de Beatissimae Virginis Mariae Dominae nostrae utero sacratissimo, Angelo nuntiante, carnem suscipere, Crucemque ac mortem subire, et tertia die gloriose a mortuis resurgere voluisti, ut nos eriperes de potestate diaboli: obsecramus immensam clementiam tuam, ut haec signa Rosarii in honorem, et laudem eiusdem Genitricis Filii tui, ab Ecclesia tua fideli dicata, bene † dicas et sancti † fices, eisque tantam infundas virtutem Spiritus Sancti, ut quicunque horum quodlibet secum portaverit, atque in domo sua reverenter tenuerit, et in eis ad te, secundum eiusdem sanctae Societatis instituta, divina contemplando mysteria, devote oraverit, salubri et perseveranti devotione abundet, sitque consors et particeps omnium gratiarum, privilegiorum et indulgentiarum, quae eidem Societati per Sanctam Sedem Apostolicam concessa fuerunt; ab omni hoste visibili et invisibili, semper et ubique in hoc saeculo liberetur, et in exitu suo, ab ipsa Beatissima Virgine Maria Dei Genitrice tibi, plenus bonis operibus, praesentari mereatur. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit etc.

Aspergantur aqua benedicta.

III.

BENEDICTIO CANDELARUM [1]) SOCIETATIS SS. ROSARII.

V. Adiutorium nostrum etc. ut supra.

Oremus.

Domine Iesu Christe, Lux vera, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, effunde per intercessionem Virginis Mariae Matris tuae, et per quindecim eius Rosarii mysteria, bene † dictionem tuam super hos Cereos et Candelas, et sanctifica eas lumine tuae gratiae: et concede propitius, ut sicut haec luminaria igne visibili accensa, nocturnas depellunt tenebras, ita corda nostra invisibili igne, ac Spiritus Sancti splendore illustrata, omnium vitiorum caecitate careant, ut puro mentis oculo cernere semper possimus, quae tibi placita sunt et nostrae saluti utilia: quatenus post huius saeculi caliginosa discrimina, ad lucem indeficientem pervenire mereamur. Qui vivis etc.

Aspergantur aqua benedicta.

IV.

BENEDICTIO ROSARUM. [2])

V. Adiutorium nostrum etc. ut supra.

Oremus.

Deus, Creator et Conservator generis humani, dator gratiae spiritualis et largitor aeternae salutis, benedictione tua sancta bene † dic has Rosas, quas pro gratiis tibi exsolvendis cum devotione ac veneratione Beatae semperque Virginis Mariae Rosarii, hodie tibi praesentamus, et petimus benedici et infundi in eis

1) Confectarum ex cera alba.

2) Sub nomine Rosarum intelligendae sunt rosae naturales „ad odoris suavitatem et repellendas infirmitates humano usui tributae," non arte factae. Quarum foliola in pulverem redacta per modum medicinae sumuntur contra quascunque infirmitates. Plurima miracula earum applicatione facta attestantur scriptores.

per virtutem sanctae Crucis † benedictionem coelestem, ut qui eas ad odoris suavitatem et repellendas infirmitates humano usui tribuisti, talem signaculo sanctae Crucis † benedictionem accipiant, ut quibuscunque in infirmitatibus appositae fuerint, seu qui eas in domibus suis vel locis cum devotione habuerint aut portaverint, ab infirmitate sanentur, discedant diaboli, contremiscant et fugiant pavidi cum suis ministris de habitationibus illis nec amplius tibi servientes inquietare praesumant. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

V.

ABSOLUTIO SEU INDULGENTIAE IMPERTIENDAE CONFRATRIBUS ROSARII IN ARTICULO MORTIS.

Dicto Confiteor etc. *Sacerdos dicat* Misereatur etc., Indulgentiam etc.

Dominus noster Iesus Christus, Filius Dei vivi, qui beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi atque solvendi, per suam piissimam misericordiam recipiat confessionem tuam et remittat tibi omnia peccata, quaecunque et quomodocunque in toto vitae decursu commisisti, de quibus corde contritus et ore confessus es, restituens tibi stolam primam, quam in baptismate recepisti. Et per Indulgentiam plenariam a Summis Pontificibus Innocentio Octavo*) [et Pio Quinto] Confratribus Sanctissimi Rosarii in articulo mortis constitutis concessam, liberet te a praesentis ac futurae

*) Quae formula desumpta est ex Summ. Innoc. XI. c. XII. no. 3. „Utrum in forma, ut vocant absolutionis, seu modo impertiendae indulgentiae confratribus Ss. Rosarii in articulo mortis dicendum sit: „Et per indulgentiam plenariam a Summo Pontifice Innocentio VIII. confratribus Ss. Rosarii in articulo mortis constitutis concessam," ut legitur in capite XII. Summarii Indulgentiarum Ss. Rosarii ab Innocentio XI. adprobati in suo Brevi „Nuper pro parte," vel dicendum sit: „Et per indulgentiam

vitae poenis, dignetur purgatorii cruciatus remittere, portas inferi claudere, Paradisi ianuam aperire, teque ad gaudia sempiterna perducere, per sacratissima suae Vitae, Passionis et Glorificationis mysteria Sanctissimo Rosario comprehensa. Qui cum Patre et Spiritu Sancto Deus unus vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

VI.

BENEDICTIO IMAGINUM SS. ROSARII.[1])

V. Adiutorium nostrum etc. ut supra.

Oremus.

Omnipotens, sempiterne Deus, qui Sanctorum tuorum imagines sive effigies sculpi aut pingi non reprobas, ut quoties illas oculis corporis intuemur, toties eorum actus et sanctitatem ad imitandum memoriae oculis meditemur; hanc, quaesumus, imaginem in honorem et memoriam Beatissimae Virginis Mariae Rosarii necnon et Beati Dominici Confessoris[2]) adaptatam bene † dicere et sanctificare digneris, et praesta, ut quicunque coram illa Beatissimam Virginem Mariam Rosarii necnon et Beatum Dominicum Confessorem suppliciter colere et honorare studuerit, illorum meritis et obtentu a te gratiam in praesenti et aeternam gloriam obtineat in futuro. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

---

plenariam a Summis Pontificibus Innocentio VIII. et Pio V. confratribus Ss. Rosarii in articulo mortis concessam," ut legitur in libellis manualibus Ss. Rosarii? Resp. S. C. I. d. 25. febr. 1877.: „Utraque forma est legitima."

1) Hanc benedictionem potest quilibet Sacerdos *privatim* impertiri et mutatis nominibus pro iconibus et imaginibus quibuscunque; *public* vero cum permissione Episcopi, quae pro imagine capellae Confraternitatis concessa supponitur ipso assensu ab Ordinario loci ad Confraternitatem erigendam praebito.

2) Et S. Catharinae Senensis etc.

De sodalibus recipiendis.

1) Qui in numerum sodalium huius Confraternitatis adscisci desiderat, nomen illi dare debet cum firmo saltem proposito recitandi singulis hebdomadibus Psalterium B. Mariae Virginis, quo quindecim Angelicarum Salutationum decades, Oratione Dominica post decimum quodque Ave interiecta, pronuntiantur et ad earum singulas totidem nostrae reparationis mysteria pia meditatione recoluntur. Utendum tamen est Rosario benedicto.[1])

2) Huic Confraternitati adscribi, est professio quaedam specialissimae devotionis erga Beatam Mariam Virginem, quam „si interpellat assidue pro nobis apud coelestis curiae Regem, eo ferventius salutare decet, ut apud eum, quem genuit ac sacris suis uberibus lactavit, intercedat, ut tandem per eius merita in aeterna coelorum regna conscribi mereamur et confratres eiusdem Filii esse dicamur.“[2])

3) Qui recepti, non vero inscripti sunt, bonorum operum totius Ordinis Praedicatorum participes non fiunt, quia Ven. Humbertus, quintus Magister Generalis[3]), ad illam participationem adscriptos solummodo et adscribendos admittit et Capitulum Generale anno 1600 Neapoli habitum declarat: „Debebunt tamen fra-

1) Videsis Dipl. supra p. 130 et quae infra sequuntur de Rosariis.
2) Innoc. VIII. Splendor pat. d. 26. febr. 1491.
3) Litt. d. 25. maii 1255.

trum nomina, si volunt privilegiis Confraternitatum Ss. Nominis Dei et Sanctissimi Rosarii frui, in libro deputato ab habente auctoritatem describi."

Recepti a sacerdote facultate munito et privatim adscripti cum intentione, ut infra annum in libro alicuius Confraternitatis canonice existentis scribantur, ex hodierna praxi a Magistro Generali approbata privilegio illo non privari videntur.

Idem valet de indulgentiis, quae plerumque expresse solis adscriptis vel adscribendis concessae sunt, ut patet ex Bullis originalibus.

4) Valide fieri potest nec receptio haec nec adscriptio nisi per Patrem aliquem Ordinis vel alium sacerdotem a Rmo Magistro Generali huius Ordinis ad hoc delegatum.[1])

5) „Recipere" „admittere" „adscribere" distinguuntur, quamvis promiscue adhibeantur in Diplomatibus Apostolicis, perficientur autem solo actu inscriptionis, qui absolute necessarius et sufficiens est: „Unum tantum requiritur, ut in Album seu Matriculam Fraternitatis suum quisque nomen det ad inscribendum, qui vitam in ea degere, sub Almae Virginis patrocinio, constituit"[2]), vel „ut inscribantur illius Fratres tamquam speciales Iesu et Mariae Psaltae ac ministri."[3])

6) „Possunt in hanc Confraternitatem recipi quivis quocunque loco degentes Christifideles."[4]) „Christifideles extra dictum oppidum[5]) habitantes ac dictam Confraternitatem ingredi volentes, in illius confratres,

1) Vide supra p. 175.

2) Coppenstein. Coloniae 1630 p. 393.

3) Regula Coloniensis a S. Sede approbata anno 1475 apud Leon. Fossaeum, De Ros. Frib. 1640 p. 16.

4) Reg. Col. loc. cit. no. III.

5) De Victoria.

etiam absque consensu aliorum confratrum Confraternitatis huiusmodi recipi possunt."[1])

7) Pueri quoque salubriter adscribuntur et sic sub speciali B. Mariae V. tutela ponuntur. Matres vero curent, ut specialem devotionem erga Reginam Ss. Rosarii illis instillent cum illisque quotidie portiunculam etiamsi minimam Psalterii Mariani recitent. A prima iuventute hoc modo assueti progrediente aetate huic devotioni sincere fideles erunt et permanebunt. „Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem."[2]) „Oratio humiliantis se penetrabit nubes."[3]) „Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea."[4]) Sequitur etiam ex sequentibus. „Parvulis rationis usum nondum adeptis valide imponitur S. Scapulare; et cum ad usum rationis perveniunt, fruuntur indulgentiis aliisque privilegiis illud gestantibus concessis, dummodo impleant conditiones."[5])

8) Haec Confraternitas etiam mortuos admittit et facit participes bonorum omnium praedictorum; legitur enim: „Confraternitati Ss. Rosarii possunt adscribi etiam fideles defuncti, qui sic plenariam poenae remissionem consequi valeant.[6]) Et quid iudicat hac in re B. Alanus noster? „Veniant pueri, ac mortui quoque inscribantur, et eorum vel cognatus aut amicus aut alius quicunque pius in dies aliquid, etsi nec quam unum Pater

---

1) Adrianus VI. Illius qui d. 1. april. 1523, confirm. a Clemente VII. Considerantes d. 4. april. 1524.

2) Ps. 8. 3.

3) Eccli. 35, 21.

4) Prov. 22. 6.

5) S. C. I. d. 29. aug. 1864; confer. etiam num. sequentem.

6) Ex Constit. Alexandri VI. Illius qui, 13. iunii 1495; vide Bullar. Ord. IV. 115. Fontana Const. Ord. 1862 etc. De Soc. 29. — Iust. Miechoviensis: Disc. Praedicab. anno 1660 et Neapoli 1857 tom. II. p. 254 no. 8. — Thomas Leonardi Ord. Praed.: Thesaurus Ss. Ros. Lovanii 1646. — Reg. Col.

noster aut Ave plus comprecetur pro iis ad modum suffragii; faciantve eleemosynam etc. nomine Confraternitatis.“ Et alio loco haec habet: „Pro infantibus autem, infirmis aliterve impeditis quotidie unum Pater noster, a quocunque licet, offeratur; et tantundem pro defunctis, quos qui dederit inscribendos, sic per modum suffragii participaturis.“[1])

9) Elapsis post obitum Alani viginti iam annis, memorata Alexandri VI. Bulla, quam, ut infra ostendetur. Sixtus V. et Benedictus XIII. ratam habebant, confirmatur adscriptio haec defunctorum hoc modo: „Auctoritate Apostolica decernimus, quod omnes et singuli confratres et consorores, animabus suorum parentum vel aliorum defunctorum in purgatorio existentium succurrere volentes, singulariter nomina suorum parentum vel aliorum defunctorum in purgatorio existentium exarent vel exarare faciant. Si vero pro singulari anima, interventione devota, manus porrexerint adiutrices, iuxta eorum posse et facultatem, tandem poenam, quam in purgatorio pati debuerint etc., relaxamus.“ Pium istum usum inde ad dies nostros in Ordine Praedicatorum exercetur.[2]) Unde quaestio moveri potest solummodo de precibus quotidie solvendis ab illis, qui defunctos inscribi fecerunt.

10) Dico: Alanus et Leonardi supra citati eorumque asseclae, qui affirmant, pro iis, qui post mortem huic Confraternitati sint adscripti, quotidie esse orandum ratione admissionis, hanc sententiam probare debent; nullum enim auctorem adducunt. Idem valet

1) Alanus Redivivus opere cit. p. 32 et p. 105.

2) Vide pag. praec. no. 8. Decreta nova, quae vetant, ne defuncti sodalitatibus adscribantur, pro Confraternitate nostra nullius sunt valoris, ut habebis infra, ubi de indulgentiis et privilegiis non revocandis agetur.

de propositione Patris Chéry Ord. Praed.[1]), qui nullo teste invocato sequitur Leonardum. Horum opiniones satis refutantur ab Alexandro VI. et Fontana, ex quorum verbis allatis clare patet, nullam omnino obligationem ex hac adscriptione oriri pro eo, qui hoc charitatis opus erga parentes aliosque defunctos posuerit. Recte ergo P. Andreas Pradel[2]) Ord. Praed. docet: „A cette condition [scl. adscriptionis] ces derniers [defuncti] participent aux avantages de l'autel privilégié[3]) comme à tous les autres de la confrérie.“ Quod convenit cum sententiis Patrum Ord. Praed. Ant. Garces[4]), Guis. V. Morassi[5]), M. C. B. Moulaert[6]), Ludovicus Maria [Ianssen][7]) etc. etc.

11) Possuntne absentes huic Confraternitati adscribi? „Volentes ingredi Rosarii Sodalitatem non debent necessario personaliter comparere, sed per litteras vel internuntium admissionem licet expetere, ut constat ex antiqua et moderna praxi.“[8])

Praxis illa ubique terrarum ab omnibus Societatibus cuiuscunque nominis usitata, decreto S. C. I. d. 13. aprilis 1878 interdicta et reprobata fuit secundum decisionem eiusdem S. Congregationis d. 28. aprilis

---

1) Le Rosaire et les Congregations romaines. Paris. 1868. p. 16. V. quam sententiam tamen auctor ipse in recentiore opere: La théologie du Rosaire (Paris. 1869) II. p. 71 expresse revocat.

2) Manuel du très saint Rosaire 4. édit. Mazères 1880. p. 72. et in eius versione a Decano Ferd. Meurin procurata: Rosenkranzbüchlein 2. Aufl. p. 32. Trier. 1885.

3) Quod quidem etiam pro non adscriptis valet; vide infra Summarium Pii IX. cap. XII. 2.

4) Summario y Diario de las indulgencias de la cofradía del Rosario p. 28. Madrid 1782.

5) Il Rosario etc. p. 319. Casal-Monferrato 1872.

6) Nouveau Manuel du très saint Rosaire p. 77. Gand. 1856.

7) Volledig Handboek etc. van de Rozenkrans p. 28. s'Bosch 1873.

8) P. Thom. Leonardi: Thesaur. grat. Ss. Ros. 1647.

1761: „Americana novi Regni.“ Fuit autem tunc temporis decretum, quod sequitur:

„*a*) An absentes admitti possint in confratres?

Et quatenus Negative,

b) An supplicandum sit SSmo pro eorum admissione, vel ad minus pro admissione incolarum praedicti novi Regni Hispanici [Guadalupensis]? — quemadmodum nonnullis Confraternitatibus Europaeis clementer indultum est.

Sac. Congregatio d. 28. april. 1761 respondit: Negative in omnibus.“

12) Inopinata renovatio huius decreti in Europa vix cogniti et ubique saltem diu oblitterati adeo fidelium animos movit, ut ad sedandam hanc commotionem die 26. novembris 1880 secuta sit: „Declaratio decreti diei 13. aprilis 1878 de absentibus non adscribendis ad pias sodalitates,“ ex qua in favorem nostrae Confraternitatis deprompsimus haec:

13) „IV. Pro sodalitatibus etiam, piis unionibus, piis operibus et cuiuscunque sint nominis, societatibus, quae nullam habent pro adscriptione sodalium formam ac caeremoniam inter praesentes, decretum quoad *absentes*, quantum fieri potest, rite servetur; etc. Sed cum id nec semper nec ubique fieri possit nec plane sufficiat, Apostolica benignitate indulgendum esse videtur, ut, qui *praesentes* commode nequeunt, non omnino excludantur, sed quamvis *absentes* per litteras vel interpositas personas, quae eos repraesentant, adscribi discrete valeant, vitando simul abusus, quibus maxime praecavendis adscribendorum praesentia exigitur.

„Itaque quum plurium diversi nominis sodalitatum ac piorum operum vis et utilitas maxime sit in fide-

lium *numero,* qui ad varia pietatis et charitatis exercitia consociantur, ne praesentiae conditio impedimento sit felicibus societatum incrementis, ac ne plurimi fideles bonae voluntatis ab inscriptionis beneficio contra decreti mentem praepediantur, Sacra Congregatio, attentis plurium sodalitatum et maxime Episcoporum postulationibus, praesenti hac dispositiva declaratione per amplam a littera legis exceptionem Apostolica auctoritate declarat, etiam *absentes* ad huiusmodi pias associationes adscribi posse, servata tamen decreti mente, spiritu ac scopo, ut scilicet non solum augeatur numerus, sed etiam adscribendorum devotioni consulatur, non temere, leviter ac turmatim collectis nominibus, sed discrete, ne alii, quantum fieri potest, inscribantur, nisi qui absentes quidem corpore, sed praesentes spiritu, scientes et volentes piae societati adscribi, iniuncta opera adimplere et indulgentias lucrari intendunt.

„V. Porro exceptiones speciales vel ob probata quarundam sodalitatum statuta, quae absentium etiam inscriptionem includere aut supponere aut flagitare videntur vel ob privilegia vel ob singularem fidelium devotionem sua directe mittendi nomina ad insignia quaedam Sanctuaria, sodalitatum centra, vel denique ob varia sodalitatum, personarum, locorum ac temporum adiuncta etc. generali hac decreti benigna interpretatione et dispositiva declaratione simul omnes comprehenduntur, ratae habentur, confirmantur atque ampliantur.

„Hanc vero etc. declarationem SSmus D. N. Leo PP. XIII. etc. benigne approbavit et promulgari mandavit ac sanatis prius, si quae factae fuerint, irritis absentium adscriptionibus, decretum diei 13. aprilis 1878

in posterum iuxta praesentem benignam interpretationem etc. observari praecepit."[1])

14) Ex applicatione huius decreti ad Confraternitatem Ss. Rosarii sequitur:

a) quod adscriptiones absentium ab emanatione alterius decreti anni 1878 resp. 1761 forsan irrite factae anno 1880 sanatae sunt;

b) quod absentes per litteras vel interpositas personas repraesentati adscribi rite possunt.[2])

Confraternitates enim Ss. Rosarii, cuius vis et utilitas maxime sita est in fidelium numero etc., ut supra, habet quidem certam aliquam formam cum aliqua solemnitate ac ritu pro sodalium receptione (vide p. 194); quae tamen forma nusquam invenitur praescripta ideoque sine ullo scrupulo omitti potest. Imo in „Caeremoniali iuxta ritum S. Ordinis Praedicatorum, Rmi P. Fr. Alex. Vinc. Iandel Generalis Magistri iussu edito"[3]), num. 1821 expresse declaratur: „Cum autem occasione institutionis Confraternitatis vel alia opportunitate fideles recipiendi erunt solemniter etc., sequens ritus *poterit* observari." Insuper in libris, qui aevis praeteritis sunt editi, talis forma frustra quaeritur.

Quia vero „ceremoniis, ut ait Bona, ecclesiasticis pietas nutritur, devotio firmatur, charitas colitur, cultus divinus augetur," haec forma pro maiori solemnitate singulis primis Dominicis pro iis adhibeatur, qui decursu mensis elapsi sunt adscripti.

c) Ad mentem denique huius Declarationis fideles recipiendi in paroeciis, ubi Confraternitas canonice

---

1) S. C. I. d. 26. nov. 1880.

2) Hoc a fortiori valet pro Rosario Perpetuo, quod est simplex associatio, et pro Rosario Vivente, quod inscriptionem proprie non habet.

3) Mechliniae apud Dessain 1869.

erecta vel sacerdos facultatibus personalibus munitus existit, se praesentare debent rectori vel memorato sacerdoti, si hoc commode possunt. Sed et hoc in casu illis concessum est, ut exceptionibus specialibus § V. indicatis utentes, nomina directe mittant ad quaedam Sanctuaria Confraternitatis centra, praesertim cum Statuta hoc includere aut supponere videntur, ut patet ex allatis p. 102 seqq.

15) „Haec ergo Confraternitas nullos cuiuscunque status aut conditionis excludit, sed eo laetius, nedum magnos et divites, sed caecos et claudos, pauperes et debiles, religiosos et saeculares, iuvenes et senes, vivos et mortuos recipit, quo orationes eorum facilius a Deo, teste Scriptura, novit audiri.“[1]) Quapropter et ii, qui aliis sodalitatibus nomen suum iam dederunt vel dare intendunt, Confraternitati nostrae adscribi se faciant. Id iam antiquitus observatum est in sodalitate Mariae Annuntiatae seu Congregatione Mariana a Patribus Iesuitis instituta. In approbatione enim eiusdem sodalitatis, anno Domini 1576, Casparus Gropperus Legatus Apostolicus, disertis verbis praescribit: „Nemo in hanc sodalitatem admittitur, nisi prius emiserit professionem fidei editam in Concilio Tridentino, nomenque suum dederit Confraternitati Rosarii apud Praedicatores, cuius membrum quoddam hanc sodalitatem esse cupimus.“ Quam approbationem Gropperianam, quae tantum provincialis erat, universalem fecit Gregorius XIII., et approbavit multisque indulgentiis auxit pro scholaribus dumtaxat annis Domini 1577 et 1581 et 1584. Deinde Sixtus V. anno Domini 1585 eandem sodalitatem Annuntiatae ad quoscunque masculini sexus extendit.[2])

1) Reg. Col. apud Leonardi § 11.
2) Iust. Miechov. Disc. Praed. II. disc. 312.

Plurimorum precibus moti composuimus librum nominibus confratrum et sororum inscribendis destinatum, qui magno folio et pulcherrime confectus prodiit ex Typographia A. Laumann, Dülmen Guestfalorum, ibique prostat pretio 12—15 marcarum. Inscriptus est hic liber:

„Liber Confraternitatis Sacratissimi Rosarii Beatae Mariae Virginis in Ecclesia parochiali ad . . . in . . . die . . . Anni Salutis . . . canonice erectae.

Deinde sequitur:

p. 3. Copia Diplomatis Erectionis in Archivio conservati.

p. 5. Processus Verbalis.

p. 7. Statuta Confraternitatis ab Episcopo Ordinario loci approbata.

Sub hac et duabus sequentibus rubricis conscribantur Statuta (vide supra p. 135), postquam ab Ordinario sunt approbata etc.

p. 9. Historia Confraternitatis iam prius erectae et nunc renovatae.

Si Confraternitas nova sit, verba „iam prius etc.“ ponantur in [—] et hic notentur recentiora, quae sint memoria digna.

p. 11. Series Rectorum Confraternitatis huius.

Quae series incipiat a nomine Rectoris, qui Confraternitati nunc praeest.

p. 13. Rituale Confraternitatis Ss. Rosarii.

p. 17—300 denique pro nominibus destinatae sunt. Paginae singulae inscriptae sunt:

18 † . .

Sodales Archiconfraternitatis Ss. Rosarii.

Cum quinque rubricis, scilicet:

a) Num. curr.,
b) Datum receptionis,
c) Nomina et cognomina,
d) Status,
e) Loc. nativitatis.

Unaquaeque pagina continet viginti quinque lineas pro totidem nominibus.

Posuimus locum nativitatis, quia pater et filius, mater et filia, saepius eodem vocantur nomine sicque in adscriptione

minus distincti recognoscuntur. Distinctiones supra factae observentur etiam pro Religiosis.

Necessitatem librum hoc modo ordinandi experientia docuit docebitque. Unum tantummodo hic notare sufficiat. Rectoris defuncti, amoti etc. successor documenta, Statuta etc. omnia hoc in libro collecta invenit, ita ut, quid sui muneris sit, statim cognoscere et sine haesitatione exequi possit.

De confratribus et sororibus Confraternitatum Ss. Rosarii.

1) Sodales adscripti Psalterium Marianum fideliter persolvere tenentur singulis hebdomadibus „ad honorem B. Mariae Virginis iuxta ipsius Confraternitatis instituta“[1]).

2) Usque ad annum 1534 confratres vel quotidie vel saltem tribus hebdomadae diebus Psalterium integrum recitare debuerunt. „Sed quoniam Sixtus in litteris praedictis[2]), quas hic pro expressis haberi volumus, instituendo confirmavit, quod dicti Rosarii confratres et sorores ad consequendas, adipiscendas et indulgentias praedictas integraliter obtinendas et pro earum totali assecutione tenerentur et obligarentur, semel in die ad honorem Virginis integrum Psalterium B. Mariae Virginis perfecisse, propter quod nonnulli

1) Sixtus IV. Pastoris d. 30. maii 1478.

2) In litteris autem praedictis Sixtus IV.: „Cuius, ait, confratres et consorores tribus diebus cuiuslibet hebdomadae Orationem Dominicalem quindecim et Angelicam Salutationem centum et quinquaginta vicibus omnibus tribus diebus eiusdem hebdomadae ad honorem eiusdem B. Mariae Virginis iuxta ipsius Confraternitatis instituta dicere consueverunt.“ Pastoris aeterni d. 30. maii 1478; et in alio Brevi: „Quilibet volens eo modo orare, dicet qualibet die ad honorem Dei et Beatissimae Virginis Mariae et contra imminentia mundi pericula toties Angelicam Salutationem Ave Maria, quot sunt Psalmi in Psalterio Davidico, scilicet centies et quinquagies, singulis decem Salutationibus huiusmodi Orationem Dominicam semel praeponendo. Et iste ritus seu modus orandi, Psalterium Virginis Mariae vulgariter nuncupatur.“ Ea quae d. 12. maii 1479.

multitudine ac negotiorum varietate impediti hoc sibi difficillimum fore putantes, ab huiusmodi saepius retrahebantur et in amore ac eorum devotione tepescebant: ad aperiendum igitur coelorum semitas et ut ferventius inducantur, quo exinde facilius animarum suarum salutem consequi speraverint, volumus et ordinamus, quod spatium unius diei ad spatium integrae hebdomadae amplietur et dilatetur, et quod in una die et una vice fortasse tenebantur, pro die dies, pro vice vices assignamus, et nihilominus illud idem consequantur ac si ritus antiquus integraliter servaretur."[1])

3) Unde nunc temporis tenentur singuli sodales „iuxta ipsius Confraternitatis instituta" hebdomadatim totum persolvere Psalterium Marianum ad indulgentias integraliter adipiscendas, nec non ad hoc, ut „in omnibus bonis, quae fiunt et fient in perpetuum per omnes fratres et sorores Ordinis Praedicatorum, participes fiant."[2])

4) Ad indulgentias integraliter adipiscendas requiritur etiam, ut sodales utantur Rosariis benedictis ab Ordine Praedicatorum. „Requiritur, ut Rosarium fuerit de more benedictum a Fratribus Ordinis Praedicatorum,"[3]) „vel per alium sacerdotem, qui a Rmo Ordinis Magistro Generali facultatem Rosaria benedicendi obtinuerit."[4])

---

1) Clemens VII. Etsi temporalium d. 8. maii 1534. Paulus III. Rationi d. 3. novembris 1534.

2) Innocentius VIII. Sacer Praedicatorum d. 26. iulii 1486, Capitulum Generale Ordinis anni 1487 confirmatum a Leone X. Pastoris d. 6. octob. 1520.

3) S. C. I. d. 13. april. 1726. — Rosaria a Patribus Ordinis Praedicatorum sunt omnino benedicenda. S. C. I. d. 15. ianuarii 1839.

4) S. C. I. d. 2. febr. 1878.

„Fidelibus descriptis et describendis in Confraternitate B. Mariae de Rosario, qui Psalterium, quod ter quinquagies Angelicam Salutationem et ter quinquies Dominicam Orationem continet, cum Rosariis benedictis etc. devote recitaverint etc. centum annos etc. relaxamus.“[1])

5) Insuper hanc benedictionem maxime congruere, nemo non videt. Vocatur enim Rosarium benedictum „signum Dei viventis, ab ipsa Sanctissima Virgine sic nuncupatum; accipe illud, ut sit tibi in pignus et medium ad vitam aeternam promerendam“.[2]) Vocatur „flagellum diaboli“ ab Adriano VI., „arbor vitae, mortuos suscitans, infirmos sanans, vivos conservans“ a Nicolao V. et ab Ecclesia constanter „Sanctissimum vel Sacratissimum Rosarium“. Ipsius solummodo tactu plurima miracula patrata esse historia contestatur.

Rosarium est signum quoddam proprium, quod Catholicos ab haereticis distinguit interque ipsos Catholicos est indubitata ipsius fidei orthodoxae professio, qua se quis cultorem gloriosissimae Virginis et coelorum Reginae exhibet devotum et specialem. Quapropter Rosarium confratrum, quod talibus encomiis celebratur, tam sanctos effectus producit, tantarumque rerum signum et professio est, profecto debet sancta benedictione consecratum esse.[3])

6) „Utrum recitatio Rosarii integri in qualibet

---

1) Aegidius Card. Legatus Leonis X. in Resc. d. 25. maii 1519; item Gregorius XIII. In specula, d. 3. iunii 1579.

2) Vide supra p. 194 formulam et ritum recipiendi ab Ecclesia approbatum.

3) Singuli sodales habeant etiam cereum benedictum, qui suspensus super lectulum eos in memoriam mortis continuo revocet et in processionibus accensus portetur. Item rosas benedictas sibi conservent. Vide form. benedictionum p. 197.

hebdomada requiratur ad consequendas indulgentias Archiconfraternitati Romae erectae concessas tam pro dicti Rosarii recitatione, quam pro aliis operibus, ita ut omissio Rosarii integri in hebdomada officiat consecutioni indulgentiarum pro aliis quibuslibet operibus piis concessarum, nempe: pro Communione in ecclesia Confraternitatis in prima Dominica cuiuslibet mensis, pro comitatu processionis Ss. Rosarii tam in praefata. Dominica, quam in septem festis B. M. V., pro visitatione capellae seu altaris B. M. V. in Dominica prima cuiuslibet mensis, in quinque praecipuis festis B. M. V. ac aliis diebus et ceteris similibus piis operibus. Vel recitatio Rosarii integri in hebdomada requiratur tantum ad assequendas indulgentias recitationi Rosarii adnexas (minime vero ad lucrandas indulgentias pro aliis piis operibus concessas)?

Resp.: Negative ad primam partem,
Affirmative ad secundam."[1])

7) „Si quis ergo dimittit preces istas in totum aut in partem, non ideo peccat, sed eam tantum incurrit poenam, quod pro illa vice non participat aliorum fratrum preces Rosarianas seu Marianas, quamvis ceterorum participatione bonorum minime privatur [videas tamen supra no. 3]; nec vero etiam supplere neglecta tenetur, nisi forte alias voverit, neque confiteri, nisi omiserit ex protervia, contemptu aut irrisione, quod de se non vacat culpa."[2]) „Nulla enim est hic obligatio culpae, sed dumtaxat illius poenae, quod qui in aliqua hebdomada hoc omittit, privetur participatione aliorum Rosariorum, quae in hebdomada

1) S. C. I. d. 25. febr. 1877.

2) Reg. Col. Alan. Rediv.: De Ortu. cap. XVII. III. 5. Coppenstein: De Fraternitate II. c. 18.

ab aliis confratribus dicuntur."[1]) „Qui vero infirmitate pressus aut necessitate aut gravi aliqua occupatione tales Psalterii preces intermitteret, suppleret autem postea, is nihilominus dicta fratrum participatione gauderet."[2])

8) „Utrum ad Ss. Rosarii B. M. V. Sodalitatis lucrandas indulgentias necessaria sit quotidiana eius recitatio? num vero sufficiat, ut totum in unaquaque hebdomada recitetur, v. gr. tres decades die Dominica, duae decades in reliquis hebdomadae diebus, ut in vicinis dioecesibus assolet?

Resp.: Ad acquirendas indulgentias Confraternitatis, de qua in precibus, requiritur recitatio per singulas hebdomadas integri Rosarii, vel hoc fiat a sodalibus unico contextu vel dividatur in tres partes iuxta praxim Ecclesiae."[3])

9) Die tamen 14. decembris 1857 eadem S. Congregatio decrevit iuxta votum consultoris in propositione sequenti:

„An pro lubitu vel commodo dividi possit Rosarium B. Mariae Virginis, ita ut acquirantur tum indulgentiae generales adnexae recitationi quotidianae unius coronae, dummodo intra diei spatium, licet non uno tractu, sed diversis temporibus recitentur quinque denaria, tum indulgentiae speciales Sodalitatis Sanctissimi Rosarii, dummodo intra hebdomadam quindecim denaria recitentur, licet in plures quam tres partes dividantur?

Resp.: Negative, exceptis confratribus, quod attinet ad indulgentias ipsis concessas pro recitatione integri

1) Leonardi loc. cit. p. 49.
2) Reg. Col.
3) S. C. I. d. 23. augusti 1835.

Rosarii intra hebdomadam."[1]) Membra ergo Confraternitatis valide possunt dividere Palterium intra hebdomadam persolvendum secundum decades in quindecim partes.

10) Non dividitur Rosarium, si singulae decades canticis vel orationibns ad respectiva mysteria profundius consideranda coniunguntur, nec etiam si recitans decade persoluta per aliquod tempus contemplationi mysterii insistere perseverat piisque iaculatoriis cordis ardori satisfacit. Unitas enim moralis hoc modo non interrumpitur.

11) „Psalterium suum dicere possunt confratres, quando, quo loco et pro quibus voluerint, tam pro vivis quam pro defunctis, modo referant intentionem actu vel habitu ad omnes, qui de hac sunt Confraternitate et similia faciunt."[2])

a. Quando? Omni tempore, modo in fine uniuscuiusque hebdomadae Psalterium integrum persolverint.

b. Quo loco? Etsi Rosarium convenientius in ecclesia aut coram pia imagine dicatur, nil obstat, quominus in via vel campo aut quocunque alio loco persolvatur. „In omni loco oculi Domini."[3])

c. Pro quibus? „Pensum illud hebdomadale persolvere potest unus pro alio, puta parentes pro filiis, sani pro aegrotis etc. ac vice versa, quo in casu hi, quorum loco preces illae fiunt, aeque ac si pro se ipsi fecissent, aliorum bonorum participes redduntur."[4]) Satisfacit etiam qui cum socio Rosarium recitat.[5])

12) „Persolvere potes hoc Psalterium genibus

1) Approbatum a Pio IX. d. 22. ianuarii 1858.
2) Reg. Col.
3) III. Reg. 20.
4) Reg. Col.
5) Ita Navarrus: Miscell. 32. et infra p. 248.

flexis, in signum humilitatis; vel stando, in signum erectae ad superna mentis; vel te humi prosternens prone, in signum timoris gehennae, vel supine in signum recogitationis mortis; sedens in signum pacis; ambulans in signum progressus de virtute in virtutem et sollicitudinis ad consequendam aeternam gloriam. Vel potest sic tam varie dici in signum Christi adgeniculantis in horto — stantis coram iudice — prostrati humiliter in oratione — iacentis in sepulchro — sedentis et prae fatigatione quiescentis — pro salute animarum huc illucque ambulantis etc.“[1])

13) „Praeter istas orationes poterit unusquisque huic thesauro tantae Confraternitatis superaddere Rosaria. orationes alias, missas aliave opera prout Spiritus Sanctus dederit et Virgo ipsa inspiraverit. Unde quidam recitant omni die tertiam partem Rosarii, alii Psalterium integrum, alii certas orationes vel opera superaddunt, quae distributor bonorum omnium cum Virgine Matre unicuique de Fraternitate, prout opus est, elargitur.“[2])

14) Praeclarissima enim Ss. Rosarii Confraternitas a prima sua institutione „in sola bonorum spiritualium communicatione fundata est.“[3]) Unde fratres et sorores, quotquot toto mundo sunt, omnia bona sua opera ad totam communitatem sive ad communem Fraternitatis thesaurum intentione generali referre consueverunt, ut prosint singulis iuxta dispensationem divinae Voluntatis, quae singulis distribuit, prout cuique opus esse prospicit. Ex quo thesauro is, qui plus addit, plus quoque recipit. Unde qui plus recipere intendit,

1) Fossaeus: De Ros. p. 118.
2) Leonardi p. 54 in declar. Reg. Col.
3) Iulius II. Ineffabilia d. 4. maii 1504 et alii.

curet ante omnia, ut Psalterium suum seu pensum hebdomadale debite i. e. in gloriam Dei, in honorem Verbi Incarnati, in laudem B. Mariae Virginis adque salutem vivorum et defunctorum tam confratrum quam non adscriptorum devote persolvat. Cui intentioni generali annectere potest quisque intentiones suas speciales qualescunque, non vero ad proprium tantum meritum aut satisfactionem personalem, sed per mutuam et reciprocam communicationem aliis impendat sua.[1]) Quo modo Confraternitas nostra effecta est societas sancta, omni charitate redolens, quae vere „communia propriis, non propria communibus anteponit“[2]), communitas perfecta, unitati primitivae Ecclesiae quam simillima! „Omnia mea tua sunt.“[3]) Quare „date et dabitur vobis.“[4]) „Et centuplum accipietis et vitam aeternam possidebitis.“[5])

15) Ut sodales maiore cum fervore hanc divinam devotionem colant et prosequantur, ad publicas Ss. Rosarii Reginae laudes confluant, processionibus et anniversariis adstent, ut festa Confraternitatis, imprimis festum Ss. Rosarii et S. Dominici, debita solemnitate celebrent etc. etc., Summi Pontifices illis largas indulgentias concesserunt, ut patet ex Summariis Indulgentiarum infra exhibendis.

---

1) Reg. Colon. Alanus Redivivus, Fossaeus et alii, qui diffuse hanc tractant materiam.

2) Ex regula S. Augustini.

3) Lucas 15, 31.

4) Luc. 6, 38.

5) Matth. 19, 29.

De organisatione speciali Confraternitatis.

Praeter istam generalem organisationem, quam supra exposuimus, habetur ad Confraternitatem melius dirigendam et administrandam etiam specialis quaedam organisatio, de qua pauca.

Specialis illa organisatio a Pio V.[1]), a Gregorio XIII.[2]), a Sixto V.[3]) aliisque Summis Pontificibus approbata, praeteritis saeculis ubique usitata erat.

Iudicare, an expediat Confraternitatem sibi commissam speciali ista organisatione munire aut saltem aliqua eiusdem parte, prudentiae Rectoris relinquendum est.

1) *De Confraternitatis gubernatoribus.*

Specialiter autem gubernatur Confraternitas a Rectore cum Consiliariis et Dignitariis, qui „Officiales et Ministri" a Sixto V. in Brevi citato et „Gubernatores" a Gregorio XIII. appellantur.

Consilium componitur ex certo membrorum numero, qui variatur pro diversitate locorum. Romanae Congregationis Matris v. gr. consilium sedecim consiliarios habet. Ad hoc eligendi sunt tales, qui ratione dignitatis et auctoritatis, praecipue vero ratione zeli et boni exempli maxime sunt idonei ad propagandam et promovendam Confraternitatem.

---

1) Consueverunt d. 17. sept. 1569, Salvatoris d. 27. aug. 1570.
2) In specula d. 3. iunii 1579.
3) Dum ineffabilia d. 30. ianuarii 1586.

Dignitarii Consilii sunt: Praesidens, Vice-praesidens, Secretarius, Thesaurarius, Sacrista, Visitator infirmorum.

Ad Praesidentem pertinet in ecclesia invigilare officiis, caeremoniis, processionibus, officiis defunctorum, ut omnia fiant secundum regulas.

Secretarius debet asservare scripturas, indices, inventaria, omnia denique Acta Consilii, scilicet: deliberationes, decreta, electiones, contractus, titulos etc.

Thesaurarius tenetur asservare clavem gazophylacii seu trunci, qui pro immittendis oblationibus in capella Ss. Rosarii ponitur, accipere dona a Confratribus oblata, quorum rationem reddet in libro speciali.

Sacrista curare debet ea omnia, quae ad cultum divinum pertinent; conservat ea, quae ad processiones adhibentur, curam habet supellectilis, ornamentorum, linteaminum, florum, lampadum, candelarum renovat mappas, ornat pro diversitate festorum altare Confraternitatis et capellam.

Visitator infirmorum procurat infirmis secundum arbitrium Rectoris bona tam spiritualia quam temporalia, quae iis sunt necessaria devotosque confratres et consorores ad visitandos infirmos inducit.

Consilium sive statutis diebus sive secundum Rectoris arbitrium convocatur.

2) *Preces recitandae:*

a) ante Consilium.

Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium et tui amoris in eis ignem accende, qui per diversitatem linguarum multarum gentes in unitate fidei congregasti.

V. Kyrie eleison;

R. Christe eleison;
Kyrie eleison.
Pater noster . . .
V. Et ne nos inducas in tentationem,
R. Sed libera nos a malo.
V. Memor esto congregationis tuae,
R. Quam possedisti ab initio.
V. Domine, exaudi orationem meam,
R. Et clamor meus ad te veniat.
V. Dominus vobiscum,
R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Mentes nostras, quaesumus, Domine, lumine tuae claritatis illustra, ut videre possimus, quae agenda sunt, et quae recta sunt, agere valeamus.

Per Dominum etc.
V. Regina Sacratissimi Rosarii,
R. Ora pro nobis.
V. Sancte Pater Dominice, omnes Sancti et Sanctae Dei,
R. Intercedite pro nobis.

b) post Consilium.

Sub tuum praesidium confugimus, Sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta!

V. Kyrie eleison;
R. Christe eleison;
V. Kyrie eleison.
Pater noster . . .
V. Et ne nos inducas in tentationem,
R. Sed libera nos a malo.

V. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis,
R. A templo sancto tuo, quod est in Ierusalem.
V. Domine, exaudi orationem meam,
R. Et clamor meus ad te veniat!
V. Dominus vobiscum,
R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Praesta nobis, quaesumus, Domine, auxilium gratiae tuae, ut quae te auctore facienda cognovimus, te operante impleamus. Per Dominum etc.

Benedictio Dei omnipotentis, Patris † et Filii et Spiritus Sancti, per intercessionem Reginae Sacratissimi Rosarii descendat super nos (vos) et maneat semper. Amen.

3) *In Consilio tractantur et examinantur cum alia tum haec:*

1. Observatio Statutorum et regularum, denuntiatio infractionum, media evitandi et tollendi abusus, quaecunque demum sunt apta ad promovendam gloriam Dei et B. V. Mariae et ad propagandam Confraternitatem.

2. Exornatio capellae et altaris Ss. Rosarii.

3. Cura agonizantium, infirmorum, pauperum, dotum, omnia charitatis opera, quae pertinent ad Confraternitatem.

4. Redditus et expensae.

Nihil omnino exigendum est pro receptione ad Confraternitatem neque taxa pro singulis annis confratribus imponatur. Attamen invitari possunt confratres, ut aliquid ad expensas necessarias contribuant. Quoties confratres conveniunt, oblationes colligi possunt. Pro expensis extraordinariis conscriptio inter sodales fiat. Sed neque expensae extraordinariae neque subscriptiones fieri possunt sine consensu Consilii.

4) *De electione Consiliariorum Confraternitatis.*

Electio ista fieri potest sive directe per Rectorem sive per modum suffragii ex parte membrorum Confraternitatis.

Electio, quae fit per modum suffragii, praeferenda videtur, cum nonnihil ad augendum vigorem et zelum Confraternitatis contribuat. In ipsa confratres vocem activam, scl. ius eligendi, non habent nisi certo tempore post receptionem elapso, e. gr. post duos vel tres annos. Vocem passivam non habent i. e. eligi non possunt nisi post tempus duplo maius, scl. post quatuor vel sex annos.

5) *De electione Dignitariorum Confraternitatis.*

Per modum suffragii solus Praesidens eligitur. Electus a Rectore confirmari debet, qui ex rationabili causa electionem cassare potest. Quae electio fit singulis annis vel, si placet, rarius. Praesidens vero circumacto officii tempore idem non reeligatur nisi uno aliove anno elapso.

Ceteri Dignitarii sive per Rectorem sive per Praesidentem cum consensu Rectoris eliguntur.

Confraternitas hoc modo administrata utitur proprio sigillo cum imagine Reginae Ss. Rosarii et circumscriptione: „Sigillum Confraternitatis Ss. Rosarii NN.“

6) *De divisione Confraternitatis in Sectiones.*

Confraternitas Ss. Rosarii dividi potest in diversas sectiones, quarum prima complectitur parvulos ad primam sacram Communionem nondum admissos. Quantum haec puerorum sodalitas ad fovendum in teneris cordibus amorem erga B. Mariam V. et ad primam Ss. Communionem digne suscipiendam conferre possit,

nemo non videt. Secunda est sectio virginum, tertia iuvenum, quarta mulierum, quinta virorum. Singulae sectiones tam in ecclesia quam in processionibus suum habent locum, quo maiore ordine omnia fiant.

7) *Exemplum antiquum Coloniense subiungi placebit.*

„Uniuscuiusque loci Fraternitas duos habebit Praefectos, Quindecimviros deinde pro numero scilicet decadum Psalterii, et unum Ministrum seu Viatorem. Hisce nequaquam permissum est, quicquam ex aerario Fraternitatis in suum aliquod symposium vertere.

„Praefectorum munus erit:

1. Nihil extra scitum et consensum Patris sui Spiritualis decernere aut instituere;

2. Attendere, ut priscae Ordinationes Fraternitatis observatae in vigore permaneant;

3. Videre, ne quid detrimenti Fraternitas accipiat aut quisquam det scandalum; qui talis, fraterne privatim aut forte etiam coram Quindecimviris monendus foret;

4. Capere consilium cum suis Quindecimviris de rebus ad Dei honorem et cultum, ad aedificationem proximi, laudem Fraternitatis, gubernationem ac salutem pertinentibus;

5. Deducere cum taedis [faculis] ac latera cingere sacerdotis Venerabile Sacramentum in processionibus suis circumferentis.

6. Quotannis officii rationem coram Quindecimviris reddere. Atque tum simul prior eorum decedit praefectura et alter succedit; huicque continuo socius adlegitur; simul decedentibus quinque ex Quindecimviris alii quinque adsciscuntur ac sufficiuntur.

„Denique omnes fraternae charitatis vinculo esse

invicem coniuncti debent et omni studio in hoc incumbere, ut concordia, pax, piae multitudinis unitas ac Fraternitas conservetur, quo omnes in solidis virtutibus christianis crescant ac meritis. Huc non parum contulerit, congregationes assidue frequentare, pia Fraternitatis exercitia sedulo obire, suspecta loca et societates devitare cavereque quidquid Fraternitatis odori bono ac nomini officere queat, studere autem morum integritati solidae, ut digni esse cognoscantur, qui sub patrocinio Reginae coeli Virginis Deiparae in illiusque Confraternitate Rosarii vitam degant."[1])

Deinde sequitur ritus ac modus creandi Praefecti et surrogandorum Quinquevirorum nec non consultandi ratio. Quae omnia Coloniae stricte observata esse inde a temporibus saltem Patris Coppenstein usque ad annum circiter 1830, documenta probant.

Adiungamus ea, quae Acta S. Sedis[2]) ex resolutione S. C. Concilii die 15. iunii 1878 facta, colligunt, scilicet:

I. In Confraternitatibus electionem officialium ad confratres pertinere.

II. Electionem, ut libera et legitima dici possit, requirere:
   1. Ut intimatio confratribus rite facta sit;
   2. Ut confratres electionem per secreta suffragia perficiant;
   3. Ut is renuntietur electus, qui maiorem partem suffragiorum confratrum praesentium retulit.

III. Hoc secundum ius commune: posse tamen ex statutis vel ex consuetudine hanc electionis for-

1) Coppenstein. De Ortu etc. Lib. III. cap. XI. Statuta Confrat. X—XII.
2) Vol. XII. p. 26.

mam modificari vel etiam novam formam induci, dummodo libertas electionis sarta tectaque maneat.

IV. Episcopo facultatem concedi visitandi pia sodalitia, vigilandi super bonorum administratione, ne causa pia aliquid detrimenti capiat, assistendi per se vel per suum delegatum conventibus, quibus electio fit officialium; non tamen posse sese ingerere in administratione aut novitates intentare, quae praesertim iura confratrum vel minuant vel tollant.

V. Hinc in casu potuisse per provisionale decretum suspendere electos officiales, vel potius eos ab administratione removere, non potuisse tamen novos confratres in perpetuo constituere.

VI. A decreto interlocutorio vel provisionali, ordinarie appellationem non admitti, nisi vel habeat vim sententiae definitivae vel gravamen inferat, quod in definitiva reparari non possit.

VII. In casu vero S. Congregationem appellationem excepisse, in parte enim episcopale decretum ut validum recognovit; in parte, qua nempe perpetuo confratres constituuntur, infirmavit.

VIII. Ex quo haud inepte concludi potest, ipsam reputasse decretum provisorium, quatenus electos officiales ab administratione Confraternitatis prohiberet; definitivum, quatenus novos consodales sine ceterorum suffragio admitteret. Ideoque

IX. Gravibus ex causis Episcopum posse electos officiales provisorie suspendere, novosque sufficere, ne causa pia detrimentum capiat, non posse tamen novos confratres aut officiales definitive constituere, licet ius habeat, rite electos officiales confirmandi, antequam administrationem suscipiant.

De charitatis operibus.

Charitatis opera, quibus sodales secundum mentem Confraternitatis imprimis summo zelo insistant, sunt:

1) Visitabunt pauperes et infirmos iisque procurabunt, in quantum possunt, quaecunque iis necessaria sunt ad salutem animae et corporis.

2) Quando aliquis ex Confraternitate obierit, exequiis assistent, expensas pro sepultura pauperum solvent, pro defunctis sodalibus suo tempore missas celebrari facient.

3) Libenter aliquid contribuant, quo boni libri, imagines piae, rosaria etc. emantur et inter confratres vel in scholis vel in familiis distribuantur.

Specialiter agendum erit:

DE CONSORORIBUS DOTANDIS.

Confraternitates multis in locis v. gr. Romae, Coloniae, Neapoli, Tolosae, Limae etc. olim specialem adhibebant curam miserrimis illis puellis, quae ob paupertatem nec nubere nec sacrarum virginum coetui nomen dare poterant, ideoque in summo animae periculo versabantur. Romae et Coloniae singulis annis festo Annuntiationis B. Mariae V. inter puellas eligebantur complures maxime dignae, quarum paupertati subveniretur. Hoc praeclarum charitatis opus etiam nostris temporibus Confraternitatibus summopere est commendandum.

Qua de re scribit P. Leonardus Fossaeus Ord. Praed.[1]): „Hic notandum, quod festum Annuntiationis Beatissimae Virginis Mariae est omnium eiusdem festorum quoad Rosarii Fraternitatem maximum et praecipuum[2]), imo Rosarii fere proprium etc. Celeberrime tamen in Urbe orbis capite in Conventu Praedicatorum S. Mariae supra Minervam celebratur, ubi praesente Summo Pontifice cum solemnissimo cultu multae virgines pauperes, quae ducentae quandoque sunt, post processionem longo ordine peractam ad Basilicam S. Mariae dictam, confratribus gravibus eas ac primoribus matronis deducentibus, Sacro ab uno ex Cardinalibus peracto, dotem a Pontifice recipiunt, scutata quidem octoginta eae, quae viris se matrimonio iungere, centum vero eae, quae Deo se desponsare volunt. Cuius piissimi instituti auctor Ioannes de Turrecremata, Hispanus, Cardinalis [† 1468] ex Ordine Praedicatorum fuit, qui ad id census perpetuos attribuit.“

Usus iste dotandi filias per totam Italiam etiamnunc vulgaris communisque est. Confraternitas Ss. Rosarii in ecclesia Fratrum Praedicatorum ad S. Mariam supra Minervam eligit singulis annis centenas[3]) circiter filias, quae dotem e manibus ipsius Sanctissimi Patris die 25. martii in illa ecclesia recipiunt.

Summi profecto momenti talis institutio censenda

1) De Rosario. Friburgi 1640 p. 136.

2) Fuit festum principale Confraternitatis usque ad institutionem festi Rosarii, Dominica prima octobris quotanniś celebrandi ex Constit. Gregorii XIII. Monet Apostolus d. 1. april. 1573.

3) „Annuntiationis festo Summus Pontifex, Eminentissimi Cardinales ceterique praesules amplissimi sua praesentia cohonestant supplicationem, quam amplius tercentae virgines habent in aedibus sacris S. Mariae supra Minervam, cum scilicet tot illis virginibus dos a praefata Confraternitate B. Mariae Annuntiatae distribuitur.“ Bull. Ord. Praed. tom. IV. p. 574 not. 3.

est praesertim pro iuventute religiose et sancte educanda. Unde cuilibet rectori, qui usuris explentibus summam octogies vel centies centum scutatorum pro centum filiabus dotandis minime gaudet, quid obstat, quin eleemosynas per confratres et consorores Confraternitatis colligat collectasque pro una vel pluribus dotibus secundum exemplar Romanum constituat? Res est optima, honestissima, saluberrima, qua qui operam dant, muros quosdam inexpugnabiles infidelitati morumque dissolutioni opponunt. Propugnacula haec vivis ex lapidibus, assidua scilicet oratione, fuga peccati, virtutis stabilitate et progressu aedificantur a virginibus istis earumque familiis et sponsis necnon a tota parochia. Posita enim una tantum dote et hac parva, plures semper erunt competitrices, quae spe honestae et honorificae remunerationis ductae, se et alios a multis praeservabunt malis. Respicientes autem ceteri parochiani suas ipsorum nuptias iam factas vel faciendas, resipiscent hac occasione, ita ut ad talem dotem libentissime contribuant. Virgines etenim ditiores et iuvenes, ut divina gratia portum matrimonii feliciter capiant coniugioque felici fruantur, parvam eleemosynam dare non recusabunt. Matrimonio iuncti, qui bene sciunt, quibus impensis ad familiam condendam et sustentandam opus sit, eo maiora dona afferunt, quo magis cognoscunt peccata, si forte in iuventute commiserint, sibi expianda esse desiderantque Dei favorem sibi ac suis mereri. Ubique inveniuntur coniugati, quibus nec filiae nec filii, sed divitiae tantum sunt, qui, ut pluries, legata non adscribunt, quia res necessarias aut utiles ipsorum voluntati et studio convenientes explorare non valent et facilius ad dotes ecclesiasticis caeremoniis distribuendas inclinantur. Col-

lationes igitur sine difficultate creari possunt; unde restat, ut statuantur quaedam

REGULAE DE DOTATIONE VIRGINUM.

I. Gregorius XIII.*) haec statuit pro Confraternitate Neapolitana:

„Omnia legata eidem capellae Sanctissimi Rosarii pro maritandis puellis relinquenda, per dictos gubernatores distribuantur, ac testatorum voluntates adimpleantur, nuptui tradendo puellas consorores, seu filias consororum, aut confratrum descriptorum in dicta Confraternitate, quarum dos eis assignetur iuxta quantitatem legatorum huiusmodi.

„Et si tot puellae nuptui traderentur, quod Prior seu vices gerens [scl. Rector Confraternitatis], et singuli gubernatores praefati, ac eorum quilibet unam nominare possint, quilibet eorum uni puellae ex sua regione nominandae dotem assignare, ita quod Prior seu eius locum tenens, quam velit ex puellis dotandis cuiuscunque regionis eligere possit,

„dummodo omnes tamen sint legitimae et naturales, et bonae famae, nec alicui inserviant [servitute in sensu stricto], sed pauperes existant, etiamsi aliquid aliud pro earum dote obtinerent.

„Ac de et super assignatione dotis huiusmodi scriptura authentica fiat, et aliqua ex eis sine haeredibus ab humanis decedente, tunc dos per eam habita restituatur, et quod omnis illa quantitas, quae pro tempore Priori et gubernatoribus praefatis restituetur, in dotes aliarum puellarum, ut praefertur, qualificatarum, convertatur.

„Et si tot non fuerint puellae, quot gubernatores,

*) In specula d. 3. iunii 1579.

nomina regionum, gubernatorum, ac Prioris praefati imbussulari, ac primi ex illis ex bussula extracti dotem puellis suae regionis assignent.

„Reliqui vero in alium annum suo ordine ab eadem bussula extrahendi remanere debeant.

„Necnon quoad omnia legata et alia relicta, ac dictae capellae Sanctissimi Rosarii, exceptis modo et forma praemissis, relinquenda, dempta medietate, quae eisdem Priori, et Fratribus*) elargiatur, alia medietas fabricae praefatae, et aliis rebus necessariis eidem capellae Sanctissimi Rosarii, assignetur, et in subsidium dotum consororum pauperum dictae Confraternitatis modo, quantitate et forma eisdem gubernatoribus bene visis, ac etiam in eleemosynas, et subsidia pauperibus confratribus, et consororibus in eadem Confraternitate descriptis, elargiri, iuxta cuiuslibet necessitatem, et paupertatem, praevia desuper informatione diligenti, erogetur.

„Etiamsi gubernatores praefati ex dicta medietate aliquas puellas pro suo arbitrio maritare vellent, illis modo praemisso per urnam iuxta formam electionis gubernatorum supradictam dos assignetur, absque interventu dicti Prioris, qui tamen imbussulationi adesse possit Missamque de Sancto Spiritu celebret vel celebrari faciat.

„Et quod festivitas praedictae Confraternitatis tempore a Sanctitate Sua statuto cum maxima solemnitate celebretur.

„Et dicti fratres per octo dies festivitatem huiusmodi praecedentes singulis diebus de sero campanam

*) Ord. Praed., non vero rectoribus saecularibus, quibus haec divisio non est permissa.

pulsari faciant, et dictam ecclesiam melioribus paramentis in dicta domo existentibus parare.

„Ideoque Prior seu locum tenens Missam ac primas et secundas vesperas eadem die festivitatis in huiusmodi capella Sanctissimi Rosarii celebrare teneatur.

„Et gubernatores praefati ex tunc in antea toto anno, tempore perpetuo, dictam capellam Sanctissimi Rosarii, oleo, cera, et aliis necessariis manuteneant, et quicquid finita dicta festivitate, et suppeditatis omnibus rebus necessariis superesset, ad dictos gubernatores ratione Confraternitatis praefatae pertineat, et omnis candelarum quantitas, quae per manus dictorum confratrum porrigeretur, ad ipsos Fratres pertineat, nisi ab eisdem magistris redimatur etc.“*)

II. Cui fundamento innixa statuta hoc fere modo componi possunt:

1) Virgines dotandae selegantur ex iis, quae in parochia, ubi invenitur Ss. Rosarii Confraternitas, natae sunt.

2) Debent esse saltem per tres annos huius Confraternitatis sodales.

3) Requiritur, ut honeste et christiane semper vixerint, unde si alio loco aliquando domicilium habuerint, testimonia scripta afferre tenentur.

4) Non est necesse, ut ipsae rectori se sistant, sed sufficit, si ab aliis rectori commendentur, qui deinde ipsas examinet.

5) Minime requiritur, ut dotandae in stricta penuria versentur; satis est, si vix aliquid habeant super ea, quae in servitio sive famulatu aut quacunque pro-

*) Cfr. etiam Pius IV.: Unigenti d. 25. sept. 1563; Gregor. XIII.: Desiderantes d. 22. mart. 1580; Innocent. XI.: Nuper pro parte d. 30. iul. 1679 cap. VII.

fessione honesta sibi acquisierunt. Praeferendae sane sunt ceteris paribus eae, quae parentes alere tenentur aut alio modo sine culpa levitatis acquisita amiserunt.

6) Publice declarandum est, talem dotationem esse primario remunerationem honorificam virtutis et laudabilis conditionis et secundario sublevationem bene meritam.

7) Singulis primis mensium Dominicis post devotionem vespertinam parochianis omnibus praebeatur occasio dotibus contribuendi.

8) Ad indagandas virgines vere dignas, quae plerumque ex verecundia seipsas non offerunt, rector consilium quindecim aut quinque matronarum congregat, quae sunt sodales Confraternitatis Ss. Rosarii et in diversis paroeciae partibus habitant.

9) Consilium illud a rectore infra octavam Epiphaniae convocatum instruatur, ut de virginibus in proximo nubendis serio deliberet et singulae matronae in sessione prima feria post festum Purificationis B. Mariae Virginis habenda quinque nomina dotandarum in scriptis afferant.

10) Consilio mense februario cum invocatione Spiritus Sancti inito, nomina allata una cum votis a matronis consultricibus datis conscribuntur; deinde de singulis virginibus serio deliberatur.

11) Quae, consultatione facta, dimidiam partem suffragiorum obtinent, in numero aspirantium habendae sunt.

12) Rector, consilii praesidens, a voto abstineat.

13) Ante 15. martii concilium iterum convocetur, ut dubia, si forsan de aliqua seu de aliquibus orta sint, dirimantur, nomina electarum singulatim in chartis

scribantur, chartae complicentur et in capsula clausa rectori tradantur, qui eas asservet.

14) De his omnibus strictissimum silentium observandum est, excepto, quod matrona illa, quae a rectore specialiter ad hoc deputabitur, pridie ante festum Annuntiationis singulas electas moneat, ut tali hora solemnitati intersint et prope sacellum Rosarii adstent.

15) Festo Annuntiationis B. Mariae Virginis Missa solemnis celebretur. Hora destinata capsula illa ad altare Confraternitatis apponatur; deinde Rosarium cum Litaniis Lauretaniis solemniter recitetur. Post haec cantetur: 'Veni Creator Spiritus' cum Oratione, qua finita duae puellae albis vestibus indutae aperiant capsulam extrahantque tot chartas, quot sunt virgines hac vice dotandae. Statim a rectore nomina publicentur et virgines vocatae ad altare accedant. Quibus congregatis rector vel parochus vel alius sacerdos ad maiorem solemnitatem accersitus gratulatur de dote parva quidem, sed bona voluntate a tota parochia contributa et cum invocatione Spiritus Sancti iis distributa; adhortetur eas, ut caute iis utantur et ante omnia magis necessaria, pauca et solida, in quantum fieri potest, sibi emant, ut semper fideles servae Reginae Ss. Rosarii permaneant et hoc modo benefactoribus suis continuo gratias agant.

Deinde annuntiatur, dotem prima bannorum proclamatione facta illis a rectore traditum iri. Si vero sponsalia solvantur, ius ad dotem amittitur dosque sequenti anno de novo sorte distribuenda est. Finitur solemnitas cantico 'Te Deum' et Sacramentali benedictione.

De nominibus Ss. Rosarii.

1) Est Rosarium sive Psalterium sacra quaedam formula precandi Deum in honorem Beatae Mariae, qua per quindecim Salutationes Angelicae decades, interiecta singulis Oratione Dominica, quindecim praecipua Redemptionis humanae mysteria piis meditationibus percensentur.[1])

2) Rosarium, Psalterium Marianum, Capelletum, Corona, Pater noster, Quinquagena, tres Quinquagenae sunt synonyma, quae tum modum orandi, tum filum seu catenam significant, cui tot grana seu globuli inseruntur, quot Pater et Ave sunt recitanda. Legimus enim:

„Et iste ritus seu modus orandi Psalterium Virginis Mariae vulgariter nuncupatur.“[2])

„Psalterium, quod de Beata Virgine sive Rosario nuncupatur et his, qui de Confraternitate Psalterii nuncupantur.“[3])

„Devotissimam Confraternitatem de Rosario seu Capelleto nuncupatam.“[4])

„Confraternitatum de Rosario vulgariter nuncupatarum.“[5])

---

1) Ex Brev. Ord. Praed. festo Ss. Ros. lect. V. Pius V. Consueverunt d. 17. sept. 1569.

2) Sixtus IV. Ea quae d. 12. mai. 1479.

3) Innoc. VIII. Sacer Ordo d. 26. iunii 1486.

4) Innoc. VIII. Splendor paternae d. 26. febr. 1491.

5) Iulius II. Ineffabilia d. 5. maii 1504.

„Unam laudabilem Confraternitatem utriusque sexus Christianorum sub invocatione eiusdem B. Mariae Virginis de Pietate et Rosario sive Capelleto et Psalterio nuncupatorum.“[1])

„Unam quinquagenam Rosarii seu Psalterii nuncupatam.“[2])

„Rosaria et coronae [i. e. quindecim et quinque decades] promiscue accipiendae sunt in benedictione.“[3])

3) Nomine Rosarii utitur Sersius Palentinus in testamento suo d. 9. febr. 1221.[4]) Item Wadding testatur, ex antiquis scriptoribus se de B. Francisco Fabrianensi Ord. Min. cum alia permulta, tum hoc etiam accepisse, mulierem quandam, antequam pii sanctique viri corpus sepulchro anno 1321 inferretur, Rosarium ei suum admovisse.[5]) „B. Claram Gambacorti († 1419) nunc Dei laudes secum cantare, nunc flexis genibus Rosarium dicere solitam“, referunt Bollandistae.“[6])

4) „Quotidie tres dictas Quinquagenas in salutationibus exsolverat,“ scribit Thomas Cantipratanus († 1263).[7]) — Item „Soror Béli de Lütisbach Ord. Praed. persolvebat quotidie tribus vicibus quinquaginta Ave Maria“.[8])

5) „Dominicus est Apostolus ille Psalterii, de quo alma Dei Genitrix Virgo non semel ei facta revelatione

1) Leo X. Ad sacram d. 14. sept. 1514.

2) Adrianus VI. Illius qui d. 1. aprilis 1523.

3) S. C. I. d. 20. sept. 1775.

4) Vide p. 54. not. 3.

5) Annales Minorum ad annum 1322 no. XIV. edit. Rom. 1733.

6) Acta Sanctorum. April. tom. II. p. 507.

7) Bon. Univ. de apibus, lib. II. cap. 29.

8) Liber asceticus et vitae Monialium in Toesz, M. S. Biblioth. S. Galli, in quo inveniuntur fol. 129. et 130. verba haec: „Und las ir gewonlich alle tag III fünfzig Ave Maria“ et „Du sprichest mir alle tag III funfzig Ave Maria“. Codex ille saeculo decimo quarto scriptus est.

mandatum formamque dedit eiusdem praedicandi et vere praedicavit etc. Verum enimvero, proh dolor abhinc annis 70 vel 80 Psalterium illud fuit detruncatum et ad solam Quinquagenam redactum.“[1])

6) Etiamsi supradicta nomina promiscue adhibentur, tamen idem sub diverso respectu significant. Rosarium enim et Psalterium ordinarie quindecim, Capelletum vero et Corona quinque solummodo decades indicant. Quod patet ex usu moderno, quo Francogalli inter „Rosaire et chapelet,“ Itali et Hispani inter „Rosario et corona seu coroncina“, Angli inter „Rosary et Beads“, Poloni inter „Różaniec et Korónka“, Hollandi inter „Rozenkrans et Rozenhoedje“, Germani inter „Psalter et Rosenkranz“ discernunt.

7) In supramemorato cap. 8. epistolae ad Ferricum missae Alanus scribit etiam, quod sequitur: „Quinquagenae, quarum tres sic oratae, Psalterium Christi Iesu et Mariae constituunt etc. Gens imprimis Anglicana Psalterium Marianum hoc amore et honore complexa est, ut passim in ecclesiis essent suspensa fixaque Oraria complura, publicum ad usum omnibusque communem; sed et ipsa demum labentibus annis usuque trita et deperdita in publico, ut vocabant, Patriloquia, tandem in oblivionem sunt adducta“ et: „neque pene est natio usquam Fidelium, ubi non virorum innumerorum ac mulierum antiqua Patriloquia versantur numerumque disposita et collecta.“ — Et S. Coelestinus Papa V. († 1296) „dedit Rainaldo cruculam ligneam cum duobus osseis ex serto precatorio granis de collo infirmae suspendendam, quo facto, subito redintegrata fuit ruptura illius.“[2])

1) B. Alanus de Rupe ad Ferricum Episc. Tornac. cap. 8.
2) Acta Sanctorum Maii, tom. IV. p. 517.

8) In vitis S. Catharinae Senensis (no. 383) et St. Agnetis de Montepolitiano (c. 9. no. 78) descriptis a B. Raymundo Capuano († 1399) legimus: „Parentes puellae phthisi laborantis etc. fecerunt eam tangere velum vel Pater-noster, quae Virginis [Catharinae] corpus tetigerant. Mira res, cum de salute puellae quodammodo desperassent, cum tetegit res praedictas, absque intervallo quocunque, simpliciter est curata et sanitati pristinae restituta.“[1])

„Post felicem transitum almae Virginis Agnetis de Montepolitiano, circumstantibus filiabus orbatis Matris lectulum et sua damna deflentibus, una earum ex devota Matris recordatione, sua, ut ita dicam, Pater-noster filo inserta, in proprias manus accipiens et devote deosculans, tantum subito sensit odorem, quod statim luctus et dolor in admirationem et gaudium sunt conversi. Cumque aliis consororibus ipsum Pater-noster porrigeret, ut viderent, si eundem sentirent odorem, omnes eandem fragantiam perceperunt.“[2])

9) In Manuscripto Regiom. anni 1241 invenitur copia processus anno 1404, canonizationis Ven. Agathae Swartze causa, in urbe Marienwerder acti, in qua p. 187 habetur „quod cum tanta assiduitate dicta Agatha solebat orare, quod lapides Pater noster, quod solebat tenere in manibus pro computacione oracionum, sibi carnem et cutem pollicis et indicis dexterae manus suae ex continuo tactu concavaverunt seu foveunculas in praedictis digitis et eciam lapillis ipsius Pater noster dimiserunt“. Item Episcopus Ioannes Moench se continuo usu Zonae Oratoriae vel Pater noster creatas duas fossas seu concavitates pollicis et indicis vidisse

1) Acta Sanctorum, April. tom. III. p. 948.
2) Acta Sanctorum, April. tom. II. p. 809.

testatur.[1]) Item in Actis B. Christinae Stumbulensis narratur, Nicolaum Dacium Ord. Praed. anno 1270 eidem Christinae dedisse „suum Pater noster, quod personaliter quatuor annis portaverat.“[2])

10) Adiungamus extractum computi Ioannis de Ponciaco ab anno 1333 usque 1336, in quo legitur: „Pro duobus filis de Paternostris de Ambro et duobus filis de Paternostris de Corallo et duobus filis de Paternostris de Vitro et una [I]cona [medaille] de plumbo . . . unc. 1. taren VIII, gran. XVIII. Item pro quatuor filis de Paternostris de Chrystallo . . . taren IV.[3])

11) Gedani [Danzig], quae est civitas Borussorum, anno 1449 fila de Paternostris ex chorallis pro 60 marc. vendita sunt, ibique iam anno 1350 via quaedam „Paternosterstrasse“ vocabatur ex eo, quod collegium artificum talium filorum inibi residebat. Isti „Paternostermacher“ etiam „Bernsteindreher“ nominabantur, quia maior pars Rosariorum ex lapide sucino confecta erant.[4])

12) Propter votum paupertatis interdicitur Monialibus Conventus Ss. Salvatoris, ne „devotiones, quae Patrenostres vulgariter nuncupantur, ad collum portent“.[5])

13) Unde colliges, sub nomine Paternoster, quod etiamnum in Anglia, Flandria aliisque locis usitatum est, filum seu catenam Rosarii materialis intelligendum esse, quod luculenter confirmatum est confratribus, „qui Rosarium dixerint et in singulare insigne Fraternitatis Pater noster apud se portaverint,“ a Ioanne Episcopo Cicensi, per litteras: Licet orthodoxae.“[6])

1) Ms. Regiom. p. 146 et 303.
2) Ex Bolland. tom. IV. Iunii p. 314.
3) Monelia in op. citato. Quétif et Echard: Scriptores Ord. Praed. I. 852.
4) Hirsch, Danzig's Handelsgeschichte. Leipzig. 1858. p. 323.
5) Muratorius, tom. XVI. p. 808.
6) Dat. Wratislaviae d. 29. martii 1481.

De Rosariis benedicendis et benedictis.

1) „Rosaria benedicenda debent omnino quinque vel decem vel quindecim denariis coalescere.“[1])

2) Unde patet, Rosaria, ex uno vel duobus solummodo vel ex sex etc. decadibus composita, pro Confraternitate benedici non posse.

„Ex quibus infero, illam sex decadum constructionem, quam hodie quidam circumferunt et nunc coronam, nunc Rosarium Beatae Virginis subreptitio nomine appellant, immerito tam ab aliquibus exaltari tantique fieri, ut Rosario proprie dicto id pene praeferant. Dum enim, postposita vera et genuina quinque decadum corona seu Rosario, per manus Beatissimae Virginis e coelis tradito, et tot retro saeculis ab Ecclesiae recepto et probato, illi sex decadum compositioni populus assuescit, infinitum[2]) prope indulgentiarum lucrum, quo alias per aptissimam et per brevem illam quinque decadum coronulam potiri possit, amittit: fitque, ut qui obtinere longiori orationis serie plus nititur, tandem minus habens inveniatur. Quibus proinde merito dici potest illud Aggaei Prophetae c. 1: „Respexistis ad amplius et ecce factum est minus.“[3])

3) Indulgentiae, coronis Birgittinis propriae, Rosariis ordinariis annexae sunt:

---

1) Ex libello: Facultates etc. Confrat. Ss. Ros. curis Rmi P. Fr. Ios. M. Larroca, Ord. Praed. Magistri Generalis, editae. Romae 1885, p. 7, not.

2) Cfr. formulam benedictionis, p. 196.

3) Fossaeus: De Rosario, Friburg. 1640, p. 312.

a) „dummodo fuerint de more benedicta a Fratribus Ordinis Praedicatorum, vel per alium sacerdotem, qui a Rmo Magistro Generali Ordinis Praedicatorum facultatem Rosaria benedicendi obtinuerit.“[1]) Unde in Summario Indulgentiarum Confraternitatis Ss. Rosarii c. VII. no. 4 sic habetur: „Quae sunt indulgentiae ipsae iam coronis S. Birgittae concessae, sicut in Summario earundem 4. decembris 1714 in Bullario Clementis XI.“[2]);

b) vel „sint benedicta ab habentibus facultatem cum indulgentiis divae Birgittae nuncupatis.“[3])

4) Idem declaratum fuit hoc decreto:

a) „An bene faciant [sacerdotes] benedicendo coronas ordinarias quinque decadum cum applicatione indulgentiarum divae Birgittae nuncupatarum?

Resp.: Negative, nisi sacerdotes peculiares habeant facultates ab Apostolica Sede impetratas, quaeque in concessionibus exprimuntur per illa verba aut similia, 'ac etiam applicandi indulgentias Sanctae Birgittae nuncupatas'; per ista enim verba aut similia non datur facultas benedicendi coronas Birgittinas (quae sex decadibus constant totidemque Orationibus Dominicis et Apostolicis Symbolis atque in fine una alia Oratione Dominica tribusque Salutationibus Angelicis), sed traditur potestas benedicendi coronas communes (id est quinque vel quindecim decadum) cum Indulgentiis quoque, quae propriae sunt coronarum divae Birgittae. — Ita S. C. I. in Atrebatensi d. 25. sept. 1841; in Rothomagensi 24. ian. 1842 et iterum 28. eiusdem mensis.

1) Benedictus XIII. Sanctissimus, decr. S. C. I. d. 13. april. 1726 et 2. febr. 1878.

2) Pius IX. D. S. C. I. d. 8. sept. 1862.

3) S. C. I. d. 25. sept. 1841.

b) „An fideles illas coronas sic benedictas recitando, re vera indulgentias Birgittinas lucrentur?

Resp.: Satis responsum in primo. S. C. I. die 28. ianuarii 1842.“*)

5) Rosaria, ab Ordine Praedicatorum iam benedicta, quibus superadditur benedictio a sacerdote, habente facultatem applicandi indulgentias S. Birgittae nuncupatas, hac altera benedictione novis indulgentiis non ditantur. Hoc patet ex voto Consultoris S. C. Ind. anno 1726 his verbis prolato:

„Iure merito Summi Pontifices, ut haec [Ss. Rosarii] devotio a Christifidelibus prae aliis frequentaretur, spiritualibus favoribus eam cumularunt, et praecipue recitantibus Rosarium plures gratias et indulgentias elargiti sunt.

„Quia vero novitate ducti fideles, relicta recitatione Rosarii, videntur devolvi ad alias preces, et praecipue ad recitationem coronae dictae de S. Birgitta, Ss. D. N. Benedictus XIII. devotione, qua fervet erga Ss. Virginem Rosarii, demandavit huic S. Congregationi Indulgentiarum, ut inveniretur expediens, ne fideles tepescerent, imo potius inflammarentur ad recitationem Rosarii.

„Obtemperans ergo iussis huius S. Congregationis, collatis ad invicem Summariis indulgentiarum Rosarii et coronarum S. Birgittae, inveni in Bulla Innocentii XI. confirmante Summarium Rosarii die 31. iulii 1679, quae incipit ‘Nuper’, capite tertio et quarto sequentes indulgentias, concessas pro recitantibus Rosarium. [Indulgentias has vide infra in dicto Summ. c. III. et IV.]

„In Summario vero coronarum S. Birgittae, con-

*) P. Schneider S. I. Die Ablässe. 7. von der Ablasscongregation approbirte Auflage, p. 194.

firmato ab hac Sacra Congregatione die 4. dec. 1714, conceditur recitantibus Rosarium vel coronam S. Birgittae:

I. Centum dierum per singulos Pater noster, Ave Maria et Credo.

II. Septem annorum et totidem quadragenarum recitantibus Rosarium aut coronam quindecim decadum.

III. Indulgentia plenaria semel in anno lucrifacienda a recitantibus quotidie dictam coronam, ad minus quinque decadum.

„Ex his colligere est, inter indulgentias, quas Summi Pontifices concessere Rosario, non reperiri indulgentiam illam centum dierum pro quolibet Pater noster et pro quolibet Ave Maria, nec indulgentiam plenariam recitantibus quotidie semel in anno, sicut conceditur coronis S. Birgittae, ac proinde, ut fideles magis ac magis accendantur ad recitationem Rosarii, exemplo Clementis IX., qui concessit recitantibus Rosarium indulgentias concessas coronis Beatissimae Virginis, possent, si Sacrae Congregationi videbitur, concedi Rosario eaedem indulgentiae, quae coronis S. Birgittae concessae sunt.“*)

6) Quo voto audito Benedictus XIII. annuit et promulgare praecepit, quod sequitur:

Decretum.

Sanctissimus Dominus noster Benedictus Papa XIII. summa devotione motus, qua fervet erga Rosarium Beatae Mariae Virginis, ut adeo Ecclesiae utilis Deoque accepta devotio in cuncto christiano populo magis magisque augeatur et propagetur; audito voto Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis prae-

*) Bull. Ord. Praed. tom. VI. p. 586.

positae, omnibus utriusque sexus Christifidelibus Rosarium vel saltem tertiam partem eiusdem devote recitantibus, pro qualibet Oratione Dominica et pro qualibet Salutatione Angelica indulgentiam centum dierum concessit. Recitantibus vero quotidie per integrum annum idem Rosarium vel pariter saltem eius tertiam partem, si confessi ac S. Communione refecti fuerint et pro Christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione ac S. M. Ecclesiae exaltatione oraverint, semel in anno, die ab unoquoque eligenda, insuper concessit indulgentiam plenariam, etiam cum facultate applicandi defunctis. Declaravit tamen Sanctitas Sua, ut ad effectum lucrandi praedictas indulgentias requiratur, ut Rosarium fuerit de more benedictum a Fratribus Ordinis Pradicatorum.[1])

Datum die 13. aprilis 1726.

L. Cardinalis Picus, Praefectus.

Raphael Cosmus de Hieronymis, Secret.

7) „Qui obtinuit facultatem benedicendi cruces, sacra numismata et coronas precatorias cum applicatione indulgentiarum, potestne ea facultate legitime uti publice, v. gr. in ecclesia vel oratorio coram fidelibus inibi congregatis et res benedicendas manu tenentibus, si in indulto facultatis sit clausula: 'Privatim'?

Resp.: Negative."[2]) Atqui haec clausula facultatibus ab Ordine Praedicatorum concessis addita non invenitur.

1) Ex fine huius concessionis exposito per Consultoris votum clare patet, non esse probabilem sententiam illorum, qui affirmant, Rosaria debere ad hunc finem assequendum benedici ab ipsis Patribus Ord. Praed., nec sufficere benedictionem collatam a sacerdote saeculari per Magistrum Ordinis eiusdem delegato. Insuper Sacra Congr. Ind. decreto de 2. febr. 1878 hanc sententiam reiecit

2) S. C. I. d. 7. ian. 1843.

8) „Enixis precibus Verdunensis Episcopus huic Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae exposuerat, quod hactenus coronae deprecatoriae, numismata sacra et cruces, antequam tali vel tali personae distribuantur, in globo benedicantur cum applicatione indulgentiarum a sacerdotibus, qui huiusmodi facultatem a S. Sede impetraverunt; et exinde quaerebat, utrum valida sit benedictio, ita ut indulgentias praedictas adnexas possit quisque lucrari. Proposito itaque dubio in generali EE. Patrum conventu etc. S. C. respondit: Affirmative."[1])

9) In facultate concessa benedicendi coronas, Rosaria, cruces, numismata etc. et iisdem applicandi indulgentias, expresse dicitur, quod „ab huiusmodi benedictione Sanctitas Sua reiicit imagines sive impressas sive depictas, necnon cruces, crucifixos, parvas statuas, numismata, vulgo 'medaglie' nuncupata, quae ex ferro, stanno, plumbo vel ex fragili materia facilisque consumptionis conficiuntur". Hinc propositis dubiis huic Sacrae Congregationi Indulgentiarum Sacrarumque Reliquiarum:

a) An ab huiusmodi benedictione reiiciantur etiam coronae seu Rosaria, quae ex ferro, stanno, plumbo, vel ex fragili materia facilisque consumptionis conficiantur?

b) Specialiter, an possint applicari indulgentiae coronis ex vitro seu cristallo confectis?

Resp. ad *a*): Negative;

ad *b*): Affirmative, dummodo globuli sint ex vitro solido atque compacto.[2])

---

1) S. C. I. d. 5. mart. 1855, confirm. a SSmo d. 12. eiusdem mensis.
2) S. C. I. d. 29. febr. 1820.

10) Utrum indulgentiae applicari possint coronis precatoriis ex chalibe polito (acciajo polimentato) factis?

Resp.: Affirmative."[1])

11) „Possuntne applicari indulgentiae coronis seu annulis argenteis vel aureis, in quibus sculpti sunt globuli decem ad recitandum Rosarium vel tertiam partem?

Resp.: Negative pro indulgentiis Rosarii recitationi concessis."[2])

12) Rosaria fidelium, qui nec Confraternitati sunt adscripti nec nomen dederunt sodalitati Rosarii Viventis, benedicuntur eodem modo eademque formula ac Rosaria Confraternitatis. Hoc patet ex Summariis Indulgentiarum cum Confraternitatis tum Rosarii Viventis approbatis.[3]) Etenim in altero numerus 4. c. VII. incipit his verbis: „Omnes Christifideles", non igitur solum sodales, indulgentias consequentur; in altero habetur no. 4: „Indulgentias omnibus fidelibus" etc., et in utroque conditio est eadem: „dummodo scilicet Rosaria a Patribus Ordinis Praedicatorum etc. fuerint de more benedicta." Patres vero Ordinis Praedicatorum unam tantum formulam habent praescriptam et applicabilem.

13) „An uni et eidem rei, puta uni coronae, possint applicari indulgentiae diversae, v. gr. indulgentiae dictae Apostolicae et indulgentiae dictae S. Birgittae?

Resp.: Affirmative, dummodo ad eas lucrandas renoventur opera iniuncta iterabilia."[4])

---

1) S. C. I. d. 22. mart. 1839.

2) S. C. I. d. 20. iunii 1836.

3) S. C. I. d. 8. sept. 1862 et 2. febr. 1878.

4) S. C. I. d. 29. febr. 1820. Leo vero XIII. in Elencho Ind. Apostolicarum die 23. febr. 1878 a S. Congregatione Indulg. edito, expresse declarat, indulgentias Apostolicas simul cum indulgentiis S. Birgittae etc. acquiri posse.

14) *Rosaria benedicta amittunt indulgentias,*

a) si alicui donantur, vel „quoties non dantur immediate vel mediate a persona facultatem habente eas distribuendi“;

b) morte domini, quia indulgentiae non transeunt personam prioris domini;

c) si amico praestantur seu commodantur eo fine, ut indulgentias lucretur.[1])

d) „An, qui emit cruces, numismata etc., ut ea distribuat, postquam benedicta fuerint cum applicatione indulgentiarum, possit horum petere pretium ab accipientibus sine culpa vel sine periculo indulgentias amittendi? An amittantur tantum, quando quis sibi eas res proprias fecerit et usus fuerit cum intentione lucrandi indulgentias?

Resp.: Negative ad primam partem; ad secundam non indigere responsione.“[2])

15) *Rosaria benedicta non amittunt indulgentias,*

a) si rumpitur filum sive voluntarie, ut globuli catenis nectantur, sive involuntarie et fortuito id acciderit, dummodo coronae eaedem perseverent quoad formam moralem;

b) si globuli quatuor vel quinque deperduntur, ex eadem ratione;

c) si amico praestantur seu commodantur ad coronam simpliciter recitandam, non vero ad indulgentias lucrandas. Ut enim pereant indulgentiae coronis aliisque rebus mobilibus affixae, requiritur finis dandi vel praestandi pro communicatione indulgentiarum,

---

1) Vide D. S. C. I. d. 10. ianuar. 1839 apud Chéry II. p. 383.
2) S. C. I. d. 12. febr. 1847.

sicuti expresse legitur in Elencho Indulgentiarum typis impresso et a sacra Congregatione approbato.[1])

Hoc consonat cum sequenti responso: „An, vi decreti de non commodandis coronis, indulgentiae concessae coronis S. Birgittae nuncupatis, adhuc durent, si dictae coronae commodentur dumtaxat ad enumerandos calculos seu ad recitationem orationum?

Resp.: Affirmative.“[2])

16) „An recitans alternatim cum socio orationem, cui applicatae sunt indulgentiae, v. g. corónam vel Salutationem Angelicam, dictam Angelus Domini, possit lucrari indulgentias huic orationi applicatas?

Resp.: Affirmative.“[3])

Subinde tamen, quantum ad hanc declarationem et Rosarium, dubium exortum est ratione sequentis decisionis:

„An, quando possessor coronae Domini vel crucis, cui applicatae sunt indulgentiae Viae Crucis, preces praescriptas recitat una cum aliis, qui sibi non habent sive coronam sive crucem tali privilegio ditatam, possent adstantes et simul recitantes easdem indulgentias lucrari, quas lucratur possessor coronae seu crucis?

Resp.: Negative absque speciali facultate.“[4])

Qua de causa: „Porrectis his precibus a P. Procuratore Ordinis Praedicatorum S. Congregationi Ind., EE. Patribus in generalibus comitiis, apud Vaticanas Aedes die 4. dec. 1857 habitis, propositum fuit dubium dirimendum:

„An consulendum sit Sanctissimo, ut concedere

1) Vide D. S. C. I. d. 10. ianuar. 1839 apud Chéry II. p. 383.
2) S. C. I. d. 9. febr. 1745.
3) S. C. I. d. 29. febr. 1820.
4) S. C. I. d. 20. maii 1841.

dignetur, ut omnes utriusque sexus Christifideles Rosarium vel tertiam saltem eiusdem partem in communi recitantes, lucrentur indulgentias a fel. rec. Benedicto XIII. concessas, licet manu non teneant Rosarium benedictum, ac sufficere, ut una tantum persona, quaecunque ea sit, ex communitate illud [Rosarium benedictum] manu teneat eoque in recitatione de more utatur?

Resp.: Affirmative. — Facta itaque per me infrascriptum S. C. Secretarium SSmo D. N. Pio PP. IX. relatione fideli in audientia diei 22. ian. 1858 Sanctitas Sua precibus eiusdem Patris Procuratoris Generalis inclinata necnon votum S. C. approbans benigne annuit, addita tamen expressa conditione, quod fideles omnes, ceteris curis semotis, se componant pro oratione facienda una cum persona, quae tenet coronam, ut Rosarii indulgentias lucrari queant."

F. Card. Asquinius Praef. — A. Colombo Secret.*)

Unde sequitur, pluribus Rosarium S. Dominici authenticum simul recitantibus, sufficere, si una tantum persona ex communitate Rosarium habeat rite benedictum, illud manu teneat eoque in recitatione de more utatur. In recitatione vero privata requiritur, ut persona recitans Rosarium, suum benedictum manu terat et utatur. Item valet quoad alias coronas ita, ut si plures simul orant, personae recitantes coronam, ipsae singulae suas habere debeant coronas benedictas illisque de more utantur.

Praeter indulgentias Ordinibus Praedicatorum et S. Birgittae concessas Rosariis applicari possunt etiam indulgentiae Apostolicae, Hierosolymitanae, Crucigerorum, de quibus hic agendum restat.

---

*) S. C. I. d. 22. ian. 1858.

I.

DE ROSARIIS A SUMMO PONTIFICE BENEDICTIS.

Rosaria ab ipso Summo Pontifice vel a sacerdote per Summum Pontificem delegato benedicta speciales indulgentias easque minores iis, quae sacerdotibus Ordinis Praedicatorum concedendae reservatae sunt, annexas habent.

In restauratione Basilicae Lateranensis numismata plurima, diversis in locis recondita, ex auro purissimo obryzo confecta, in quibus ex una parte salutiferae Crucis signum, ex altera effigies diversorum Imperatorum Catholicorum expressae erant, reperta sunt. Quae numismata Sixtus Papa V. transmisit ad Imperatorem, Reges, Principes, Cardinales etc. tamquam „singulare paterni nostri amoris erga ipsos pignus, ut ad similem virtutis et Religionis laudem excitentur et se Ecclesiae Romanae filios, Catholicorum principum successores et Crucis Christi defensores esse crebrius reminiscantur; veteres in hoc quidem Sanctos Pontifices, Praedecessores nostros, praesertim eundem B. Gregorium Papam imitati, qui Regibus et Principibus ac primariis viris aureas cruces et claves parvulas, quae claves B. Petri dicebantur, mittere consueverat, quaeque collo appensae et religiose gestatae, miraculis coruscabant. Quaedam vero alia ex eisdem numismatibus dedimus ven. Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, reliqua vero eodem modo piis et praestantissimis viris iam distribuimus.

„Ut autem ab omnibus et singulis Christifidelibus, quibus a nobis tradita iam sunt, devotius et religiosius et cum spirituali animarum fructu gestentur, decrevimus, ad Ss. Crucis honorem et gloriosam memo-

riam Imperatorum, eadem numismata praecipuis gratiis et indulgentiis amplissimis ex nostra Apostolica benignitate insignire."*)

Deinde Summi Pontifices non solum numismata, sed etiam cruces, crucifixos, Rosaria, coronas etc. hac eadem intentione benedicebant atque iisdem indulgentiis ornabant.

Ex dictis patet, has indulgentias esse adnexas ipsis Rosariis, eodem modo ac numismatibus, non vero recitationi Rosarii. Ad eas lucrandas requiritur solummodo

1) ut possessor tale Rosarium secum habeat aut apud se retineat, vel in cubiculo vel alio decenti loco suae habitationis;

2) ut coram eo respectivas preces recitet et pia opera impleat, quae sunt conditiones pro indulgentiarum consecutione. Rosarium igitur tunc solummodo persolvi debet, quando eius recitatio est praescripta.

Haec omnia patent ex Summario Indulgentiarum Apostolicarum, quod infra, ubi de indulgentiis tractabitur, in extenso habebis.

Hic sufficiat notare ex hoc Summario, concessione praefatarum indulgentiarum nullo modo derogari indulgentiis, quae ab aliis Summis Pontificibus pro nonnullis ex indicatis piis operibus iam sunt concessae, easque concessiones in suo robore permanere; unde eadem Rosarii recitatione fideles lucrari possunt indulgentias annexas Rosariis et ab Ordine Praedicatorum et ab Ordine S. Birgittae et a Summo Pontifice benedictis.

---

*) Sixtus V. Laudemus viros d. 1. dec. 1587.

DE ROSARIIS HIEROSOLYMITANIS.

Rosaria, coronae et cruces, quae ex Palaestina veniunt et loca sancta et sacras Reliquias ibi existentes tetigerunt, solo hoc tactu sanctificata considerantur eodem modo, ac si ab ipso Summo Pontifice essent benedicta. Qua de causa illis absque ulla benedictione annexae sunt indulgentiae omnes, quibus fruuntur possessores Rosariorum Apostolicorum.[1])

„Cum vero S. Congregationi Indulgentiarum et Sacrarum Reliquiarum delatum fuerit, nonnullos turpis lucri cupidos non sine magno fidelium scandalo cruces et coronas, quae loca Terrae Sanctae et Sacras Reliquias ibi existentes tetigerunt, publice vendere aut mercibus commutare ausu temerario non erubescere: ideo stricte prohibuit, ne in posterum publice aut secreto vendantur vel quomodocunque commutentur, addita etiam declaratione, quod non transeant personam illorum, quibus prima vice distribuuntur, et quod neque commodari aut precario dari possint: et quod aliqua re ex praedictis deperdita, pro ea subrogari altera non valeat. Quodsi secus fiat, supradictae cruces et coronae careant indulgentiis iam concessis.“[2])

DE ROSARIIS PER CRUCIGEROS BENEDICTIS.

Cum nostris diebus indulgentia quingentorum dierum, adnexa calculis Rosarii per Crucigeros (Cruciferos) benedicti, frequentius a Christifidelibus expetatur, pauca de ista indulgentia inserenda putavimus.

---

1) Innocentius XI. Unigeniti d. 28. ian. 1688, cfr. Raccolt. p. 397. Decr. S. C. I. d. 5. iun. 1721.

2) S. C. I. d. 11. mart. 1721 et 11. febr. 1722; vide Ferraris: Prompta Bibliotheca: De Indulg. art. V. no. 63, 64.

Magistro Generali Canonicorum Regularium Sancti Augustini, Ordinis Sanctae Crucis in Hollandia, Leo X. per Litteras in forma Brevis*) expeditas privilegium, de quo agitur, concessisse perhibetur his verbis:

„Christifidelibus in Rosariis Beatae Mariae nuncupatis per te et successores tuos pro tempore benedictis Orationem Dominicam vel Salutationem Angelicam devote dicentibus, quotiens id fecerint, indulgentiam quingentorum dierum misericorditer in Domino concedimus et elargimur."

Cum vero dubium exortum esset de authenticitate istius indulgentiae, quia autographum Litterarum Leonis X. nusquam existit, in processu a S. Congregatione Indulgentiarum et SS. Reliquiarum, die 18. iulii 1883 habito, indulgentia illa tamquam authentica declarata est. Ex decisionibus igitur S. Congregationis ista die editis, necnon ex concessionibus iam antea a Summis Pontificibus Gregorio XVI. et Pio IX. factis de Rosariis, a Crucigeris benedictis, haec sunt animadvertenda:

1) Solus Magister Generalis Crucigerorum eiusdemque in Ordine Fratres, ab eo ad id specialiter deputati, facultate gaudent, calculis Rosariorum B. M. V. indulgentiam quingentorum dierum applicandi. — Nullus vero sacerdos sive regularis sive saecularis, extra hunc Ordinem positus, istam obtinere potest facultatem.

Crucigerorum autem Ordo nunc quatuor tantum habet Conventus scilicet: monasterium Udense (Udem) et S. Agathae (S. Agatha bij Cuijk) in Hollandia, Mosacense (Maeseijck) et Diesthemense (Diest) in Belgio. Rosaria igitur, quibus praefatam indulgentiam quis

*) Regularem vitam d. 20. aug. 1516. Apographum exstat in Bibl. Seminarii Leodiensis.

adnexam esse velit, nunc temporis ad unum ex illis quatuor monasteriis sunt mittenda.

2) Rosaria, a Crucigeris benedicenda, sunt ordinaria, quae ex quinque vel quindecim decadibus coalescunt.

3) Crucigerorum benedictio non ipsis Rosariis, sed singulis Rosariorum calculis applicatur; unde ad lucrandas indulgentias non requiritur, ut Rosarium recitetur, sed Pater vel Ave tantum absque ulla relatione ad preces Rosarianas, nec requiritur meditatio, quae est essentialis pars devotionis Ss. Rosarii. Unde quoties quis unum solummodo Pater vel Ave recitat, simul tangendo globulos Rosarii a Crucigeris benedicti, toties lucratur indulgentiam quingentorum dierum.

4) Idem Rosarium diversis benedictionibus ditari potest, ab Ordine scilicet Praedicatorum, ab Ordine S. Birgittae, a Summo Pontifice, a Crucigeris.[1]) Sed quia „preces Rosarianae iterari possunt ac solent“[2]), Christifideles, quorum Rosaria quatuor istis benedictionibus gaudent, una eademque Rosarii recitatione non omnes has simul lucrantur indulgentias, sed secundum cuiusque intentionem aut 1) indulgentias Ordinibus Praedicatorum et Sanctae Birgittae[3]) concessas nec non Apostolicas[4]), aut 2) indulgentias Crucigerorum et Apostolicas. Pro Crucigerorum igitur indulgentiis lucrandis necessaria est separata intentio et recitatio.

Haec igitur de Rosariis per Crucigeros benedictis.

Quodsi conferre libet Rosarium S. Dominici cum

---

1) S. C. I. d. 1. mart. 1820.
2) S. C. I. d. 12. ian. 1878.
3) Cfr. Summ. Pii IX. cap. VII. no. 4.
4) Vide supra p. 251.

Rosario a Crucigeris benedicto, inspiciantur Acta processus supradicti, ubi Consultor inter alia plurima dicit: „Devotio erga Rosarium S. Dominici principem semper ob peculiares causas locum habebit“ etc. Rosarium enim S. Dominici Christifideles inducit ad frequentem ac piam meditationem vitae Domini nostri Iesu Christi, quae meditatio procul dubio omnibus virtutibus christianis quam maximum praebet incrementum. Et quod ipsas indulgentias attinet, ex Summariis Indulgentiarum infra adducendis facile patet, Rosarium S. Dominici gratiis multo amplioribus esse dotatum, etiam pro iis, qui Confraternitati Ss. Rosarii non sunt adscripti.

Crucigerorum enim indulgentia quingentis diebus pro singulis Pater et Ave tota absolvitur, nec ullas alias Rosaria a Crucigeris benedicta habent annexas indulgentias neque partiales neque plenarias.

Sodales vero Confraternitatis, qui v. gr. contriti secum deferunt Rosarium, pro hac sola portatione quotidie centum annos et totidem quadragenas indulgentiarum, item pro singulis Ave quinque annos et quinque quadragenas lucrantur ex sola concessione Innocentii VIII.*) etc. etc. Permultis insuper gaudent indulgentiis plenariis, quibus Crucigerorum benedictio omnino caret, ac plurimas ex istis indulgentiis plenariis lucrari possunt omnes Christifideles, etiam Confraternitati Ss. Rosarii non adscripti.

Istis vero praecipue Crucigerorum indulgentia magno potest esse usui, qui singulis diebus certum numerum Pater vel Ave extra Rosarium, sive ex officio,

*) Splendor paternae, d. 28. febr. 1488. — Quae indulgentiae duplicatae sunt ex concessione Alexandri VI., ut infra probabimus.

sive ex devotione, recitare solent, quia dum istas preces persolvunt, simul tangendo Rosarium a Crucigeris benedictum, etiam sine ulla meditatione, pro singulis Pater vel Ave quingentorum dierum indulgentiam lucrantur.

De coronis Domini, septem dolorum, quinque vulnerum, Immaculatae Conceptionis, Angelicis etc. etc., quae ab Ecclesia nunquam vocantur Rosaria, hic sermo esse non potest.

De precibus Ss. Rosarii vocalibus.

1) Preces Ss. Rosarii vocales sunt centum quinquaginta Ave Maria et post decimum quodque Ave singula Pater Noster interposita.[1])

2) Patet ex dictis, consuetudinem vigentem, qua Rosario praemittuntur Symbolum Apostolicum, unum Pater et tres Ave, ad augendas tres virtutes theologicas, et inseritur Gloria Patri post singulas decades, esse pium et laudabilem usum, non vero praeceptum.[2])

3) „An fideles, qui non intendunt recitare coronam precatoriam, recitant quasdam preces, manu tenentes coronam Domini sive Beatae Virginis et grana volvunt, lucrantur pro unoquoque Pater vel Ave vel Credo vel alia oratione easdem indulgentias, quas ipsi lucrarentur pro iisdem precibus, si recitarent coronam precatoriam [i. e. Rosarium]. Resp.: Negative."[3])

4) „Oratio Dominica perfectissima est, quia, sicut Augustinus dicit, si recte et congruenter oramus, nihil

1) Ex diversis Summ. Pontif. declarationibus iam allatis.

2) Confirmatum a Mag. Gen. Ord. Praed. P. Jandel: Manuel du Tiers-Ordre 8. édit. p. 552. Paris 1879, ubi habetur: „Bien des personnes se croient obligées de commencer le Rosaire par un *Credo*, un *Pater*, trois *Ave* et un *Gloria*. C'est une erreur; ces prières n'entrent aucunement dans la formule du Rosaire, qui se compose exclusivement de la récitation des quinze dizaines avec la méditation des mystères correspondants. Toutes les autres prières sont de pieux usages, mais ne sont jamais de rigueur."

3) S. C. I. d. 29. maii 1841.

aliud dicere possumus, quam quod in ista Oratione Dominica positum est'.

„In Oratione Dominica non solum petuntur omnia, quae recte desiderare possumus, sed etiam eo ordine, quo desideranda sunt: ut sic haec oratio non solum instruat postulare, sed etiam sit informativa totius nostri affectus.

„Primo cadit in desiderio nostro finis, deinde ea, quae sunt ad finem. Finis autem noster Deus est, in quem noster affectus tendit dupliciter: uno modo prout volumus gloriam Dei; alio modo secundum quod volumus frui gloria eius. Quorum primum pertinet ad dilectionem, qua Deum in seipso diligimus; secundum vero pertinet ad dilectionem, qua diligimus nos in Deo. Et ideo prima petitio ponitur: 'Sanctificetur nomen Tuum', per quam petimus gloriam Dei, secunda: „Adveniat regnum Tuum", per quam petimus ad gloriam Dei et regni eius pervenire.

„Ad finem praedictum nos ordinat aliquid per se, primo directe et principaliter, scilicet meritum, quo beatitudinem meremur, obediendo Deo; et quantum ad hoc ponitur: „Fiat voluntas Tua, sicut in coelo et in terra"; secundo instrumentaliter et quasi coadiuvans nos ad merendum; et ad hoc pertinet, quod dicitur: „Panem nostrum quotidianum da nobis hodie," sive hoc intelligatur de pane sacramentali, cuius quotidianus usus proficit homini, in quo etiam intelliguntur omnia alia Sacramenta; sive etiam intelligatur de pane corporali, ut per panem intelligatur omnis sufficientia victus.

„Per accidens ordinamur in beatitudinem per remotionem prohibentis. Tria autem sunt, quae nos a beatitudine prohibent. Primo peccatum, quod directe

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

excludit a regno, secundum illud 1. ad Corinth. 5: „Neque fornicarii, neque idolis servientes etc. regnum Dei possidebunt"; et ad hoc pertinet, quod dicitur: „Dimitte nobis debita nostra." Secundo tentatio, quae nos impedit ab observantia divinae voluntatis; et ad hoc pertinet, quod dicitur: „Et ne nos inducas in tentationem", per quod non petimus, ut non tentemur, sed ut a tentatione non vincamur, quod est in tentationem induci. Tertio poenalitas praesens, ut quae impedit sufficientiam vitae: et quantum ad hoc dicitur: 'Libera nos a malo.'"*)

5) Orationi Dominicae Angelicam Salutationem subiici oportet:

a) Quia congruum est, ut postquam per Christum adoptionis filios nos esse declaravimus et ea, quae ad bona comparanda malaque depellenda a Patre nostro coelesti in Oratione Dominica precati sumus, continuo ad sacrosanctae illius Virginis memoriam descendamus, quae nobis et mundi Redemptorem peperit et nostrae salutis ac omnium bonorum quodammodo fundamenta iecit.

b) Necesse est, ut ea, quae a Patre coelesti petimus per Christum, mediatorem ac Redemptorem nostrum, impetremus. Cum vero Salutationem Angelicam recitamus, statim benedictus ille ventris Virginei fructus Iesus Christus sese nobis offert, nostramque tum ad orandum, tum ad obtinendum fiduciam vehementer auget.

c) Ut eo magis admoneamur, quod, quemadmodum ad lapsum humani generis sexus uterque con-

*) Div. Thomae 2. 2. q. 83, 9; vide etiam Angelici Doctoris opusculum V: In Orat. Domin. et opusc. VI: In Salutationem Angelicam, vulgo Ave Maria, expositio.

currit et communis mortalium perditio ex Adam et Eva profluxit: ita virum et feminam, puta Christum et Mariam, Deus in salutem nostram coniunxit. Quod ergo ille pro negotio salutis nostrae peragendo coniunxit, hoc nos in precando coniungimus, ut citius et securius divinam misericordiam impetremus.

d) Quoniam pro beneficio Incarnationis perpetuas et immensas Redemptori nostro gratias agere debemus, commode gratitudinem nostram in hac Salutatione testamur, ubi nedum Mariam Virginem, huius mysterii administram, salutamus; sed et Deum ipsum, tanti beneficii auctorem, celebramus, qui Sanctissimam Virginem omnium coelestium donorum munere cumulavit eamque nobis perditis alteram Evam, hoc est vitae parentem, donavit.

e) Cur in singulis decadibus decem Ave et unum solummodo Pater noster dicantur, explicabimus infra in art: 'De sacro numero'.

6) „Esse tolerandum usum recitandi Ss. Rosarium cum Litaniis B. M. V., nempe si in dicendo Ave Maria, per modum continuationis replicetur: 'Iesus[1]) Sancta Maria'. Et si in fine Litaniarum dicatur: *Regina sacratissimi Rosarii,* non posse prohiberi."[2])

Quae invocatio in fine Litaniarum, a Leone XIII. die 10. decembris 1883 omnibus Fidelibus praescripta[3]), a sodalibus Confraternitatis Ss. Rosarii iam saeculo decimo sexto adhibita est; Rms autem Mag. Gen. Alex. Vinc. Iandel bis eam invocationem fieri voluit.[4])

1) Vide infra *Summ. Innoc. XI. c. III. no. 2 not.*, ubi ostenditur, hanc replicationem: „ventris tui, Iesus – Iesus, Sancta Maria" ex errore aliquibus locis creatam esse.

2) S. R. C. d. 13. iulii 1675.

3) Vide pp. 16 et 20.

4) In suo Manuel du Tiers-Ordre, 8. édit. p. 554.

De mentali Ss. Rosarii oratione.

1) Oratio mentalis Rosarii consistit in meditatione quindecim principaliorum Redemptionis nostrae mysteriorum, quae sunt:

I. *Quinque Gaudiosa.*

1. Annuntiatio Dominicae Incarnationis.
2. Visitatio Sanctae Elisabeth.
3. Nativitas Christi Salvatoris in Bethlehem.
4. Oblatio Christi in templo.
5. Inventio pueri Iesu in templo.

II. *Quinque Dolorosa.*

6. Agonia Domini in horto.
7. Crudelis flagellatio.
8. Coronatio spinarum acerbissima.
9. Baiulatio crucis ad Calvariam.
10. Crucifixio et mors in ligno.

III. *Quinque Gloriosa.*

11. Resurrectio Christi a mortuis.
12. Ascensio eius in coelum.
13. Adventus Spiritus Sancti in discipulos.
14. Assumptio B. Mariae V. in coelum.
15. Coronatio Virginis in coelo.

2) Quae mysteria in Breviario Ordinis Praedicatorum die prima Dominica Octobris his carminibus celebrantur:

AD PRIMAS VESPERAS.

1. Coelestis aulae Nuntius
Arcana pandens Numinis,
Plenam salutat gratia
Dei Parentem Virginem.

2. Virgo propinquam sanguine
Matrem Ioannis visitat,
Qui clausus alvo gestiens
Adesse Christum nuntiat.

3. Verbum, quod ante saecula
E mente Patris prodiit,
E Matris alvo Virginis
Mortalis Infans nascitur.

4. Templo puellus sistitur,
Legique paret Legifer;
Hic se Redemptor paupere
Pretio redemptus immolat.

5. Quem iam dolebat perditum
Mox laeta Mater invenit,
Ignota doctis mentibus
Edisserentem Filium.

Sit Trinitati gloria,
Quae sacra per mysteria
Orantibus det gratiam,
Qua consequantur gloriam.

AD MATUTINUM.

6. In monte olivis consito
Redemptor orans procidit,
Moeret, pavescit, deficit,
Sudore manans sanguinis.

7. A proditore traditus
Raptatur in poenas Deus,
Durisque vinctus nexibus,
Flagris cruentis caeditur.

8. Intexta acutis sentibus,
Corona contumeliae,
Squallenti amictum purpura
Regem coronat gloriae.

9. Molis crucem ter arduae,
Sudans, anhelans, concidens,
Ad montis usque verticem
Gestare vi compellitur.

10. Confixus atro stipite,
Inter scelestos innocens,
Orando pro tortoribus
Exanguis efflat spiritum.

Sit Trinitati etc.

AD LAUDES.

11. Iam morte victor obruta
Ab inferis Christus redit,
Fractisque culpae vinculis
Coeli recludit vincula.

12. Visus satis mortalibus
Ascendit ad coelestia
Dextraeque Patris assidet
Consors Paternae gloriae.

13. Quem iam suis promiserat,
Sanctum daturus Spiritum,
Linguis amoris igneis
Moestis alumnis impluit.

14. Soluta carnis pondere
Ad astra Virgo tollitur,
Excepta coeli iubilo
Et Angelorum canticis.

15. Bis sena cingunt sidera
Almae Parentis verticem,
Throno propinqua Filii
Cunctis creatis imperat.

Sit Trinitati etc.

AD SECUNDAS VESPERAS.

1. Te gestientem gaudiis,
Te sauciam doloribus,
Te iugi amictam gloria,
O Virgo Mater, pangimus.

2. Ave, redundans gaudio,
Dum concipis, dum visitas,
Et edis, offers, invenis,
Mater beata, Filium.

3. Ave, dolens, et intimo
In corde agonem, verbera,
Spinas crucemque Filii
Perpessa, princeps Martyrum.

4. Ave, in triumphis Filii,
In ignibus Paraclyti,
In regni honore et lumine,
Regina fulgens gloria.

5. Venite, gentes, carpite
Ex his rosas mysteriis,
Et pulchri amoris inclytae
Matri coronas nectite.
Sit Trinitati etc.

Simili modo per antiphonas*) mysteria Ss. Rosarii illo die coluntur:

IN MATUTINIS ET LAUDIBUS.

1. Angelus Gabriel nuntiavit Mariae et concepit de Spiritu Sancto.

2. Intravit Maria in domum Zachariae et salutavit Elisabeth.

3. Peperit Filium suum primogenitum et reclinavit eum in praesepio.

4. Cum inducerent Iesum parentes eius, ut siste-

*) Quae antiphonae vix discrepant ab illis, quae in Officio approbato et praescripto pro tota Ecclesia per Benedictum XIII. inveniuntur. Vide illud *in Bullario Ordinis Praedicatorum tom. VII. p. 504 ss.*, ubi in fine legitur:

Urbis et Orbis.

Ad confovendam, immo etiam augendam Fidelium devotionem erga Bmam V. M. eiusque cultum ferventius promovendum Smus D. N. Benedictus XIII. P. M. supra impressum Officium Sacratissimi Rosarii eiusdem Bmae V. ab Emo et Rmo D. Cardinali Ludovico Belluga de ordine Sanctitatis Suae diligenter revisum ac recognitum approbavit atque *ab omnibus Christifidelibus tam Saecularibus* quam Regularibus utriusque sexus, *qui ad Horas Canonicas tenentur,* sub ritu duplici maiori pro Dominica prima Octobris *quotannis in posterum recitari mandavit.* Die 17. sept. 1726. C. Card. Marinus Praef.

Loco † Sigilli. — N. M. Archiep. Apamen. Sacr. R. C. S.

Mirum est, quod decretum hoc executioni nunquam mandatum fuit.

rent eum Domino, Simeon accepit eum in ulnas suas et benedixit Deum.

5. Requirentes Iesum parentes eius, invenerunt illum post triduum in medio doctorum.

6. Coepit contristari et factus est sudor eius in horto sicut guttae sanguinis.

7. Apprehendit Pilatus Iesum et flagellavit.

8. Milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt super caput eius.

9. (et 10.) Crucis imperium super humerum eius: regnavit a ligno Deus.

11. Laetare Virgo Mater, alleluia. Surrexit Christus de sepulchro, alleluia.

12. Ascendit Deus in iubilatione, et Dominus in voce tubae, alleluia.

13. Spiritus Domini replevit orbem terrarum, alleluia.

14. Assumpta est Maria in coelum: gaudent Angeli, laudantes benedicunt Dominum.

15. Exaltata est Virgo Maria super choros Angelorum, et in capite eius corona stellarum duodecim, alleluia.

3) In Ss. Rosario mysteria salutis, licet ad haec quindecim principaliora sint redacta, omnia tamen pie recensentur secundum affinitatem aut connexionem, quam habent cum praedictis.

Mysterium v. g. primum ponit ante oculos nostros B. Mariam Virginem in illa perfectione, qua Angelus eam invenit, i. e. conceptam immaculate et natam ab omni prorsus peccati tam originalis quam personalis culpa liberam, Deo sacratam et in templo aliquando praesentatam, a Ss. Trinitate ab aeterno ad hoc praecise creatam, ut Eva in Ave transmutetur,

gratia plenam, benedictam inter mulieres, ut concipiat benedictum Dei Filium, omni specie et pulchritudine, omni virtute et sanctitate decoratam, nullo nec minimo defectu deformatam etc. En tot primae Ss. Rosarii decadis meditationes, quot sunt puncta, quorum singulis vicibus unum breviter perpendere sufficit in ordine ad mysterium Annuntiationis et Incarnationis D. N. Iesu Christi.

Haec Virgo Immaculata, de qua S. Ecclesia canit: „Nihil inquinatum in eam incurrit; candor est lucis aeternae et speculum sine macula"; — est enim haec „speciosior sole, et luce comparata invenitur purior. Tota pulchra es, Maria! vernans in floribus rosarum et liliis convallium," — haec „Rosa mystica" nobis in sequentibus mysteriis omnibus Ss. Rosarii proponitur sub diversis speciebus tamquam Mater Dei et nostra. Unde in secundo Rosarii mysterio consideramus eam mundi Salvatorem portantem ad Elisabeth etc.

In tertio Ss. Rosarii mysterio adoramus Iesum natum ex Virgine, a Magis adoratum etc.

In quarto Iesum oblatum in templo, ab Herode ad mortem quaesitum, per Innocentes martyres glorificatum, in Aegyptum fugientem, ibi commorantem, inde revertentem etc.

In quinto veneramur Iesum Hierosolymam ascendentem, in templo docentem, inter doctores inventum, cum parentibus descendentem, per decem rursus et octo annos illis subditum se exhibentem, sapientia et aetate et gratia apud Deum et homines proficientem, deinde per tres annos doctrina, miraculis et signis, omnibus ubique benefaciendo, Patrem glorificantem usque ad institutionem Ss. Eucharistiae Sacramenti, ab anno scilicet aetatis suae duodecimo usque ad Passionem

suam verbo et opere docentem eaque implentem, quae inventus in templo Ipse docuit: „In his quae Patris mei sunt, oportet me esse.“ Luc. 2. 49.

Et sic in aliis considerantur cetera mysteria catholicae religionis, mysteria scilicet omnia vitae Iesu et Mariae. Ubi Iesus, ibi et Maria.

4) Quibus praemissis in singulis decadibus tria sunt praestanda.

a) Primum est, revocare in memoriam mysterium aut punctum quodlibet eius, meditando et perpendendo breviter excellentias ipsius Christi Domini et Sanctissimae eius Matris, et quid ibi faciant aut patiantur, et gaudium, dolorem aut gloriam, quam in eo habeant; heroicas item virtutes, quas exerceant; grandia illa bona, quae inde ad omnes homines deriventur et nominatim ad — meipsum. Considerando etiam particulares causas, quas ego habeo, gaudendi, dolendi, exultandi ob ea, quae in his mysteriis proponuntur. Et in huiusmodi meditatione licebit plus aut minus haerere iuxta devotionem, quam sensero, aut tempus, quod ad immorandum mihi suppetet, studendo semper transire ad

b) Secundum, quae pars potior in meditatione est, scilicet ad excitandam voluntatem, ut affectus gaudii, doloris, exultationis ex mysterio considerato provocatos exerceat et colloquia instituat benevola, iam cum Christo Domino, iam cum eius Matre, cum Angelis Sanctisque cooperantibus, immo cum Trinitate Sanctissima.

c) Tertium est sibi firmiter proponere, Beatae Virginis virtutes heroicas singulis decadibus correspondentes serio imitari. In primo igitur mysterio heroicos actus, quos ipsa Virgo circa castitatem, humilitatem, prudentiam, silentium posuit, meditamur, admirando

tantas virtutes, gaudendo de illis, Deum glorificando, qui easdem illi dederit, exultando ob redditum ei pro talibus actibus praemium, dolendo de defectibus nostris contrariis et serio proponendo, Ss. Virginem in illis virtutum actibus imitari, aliqua interim singulari virtute ad id designata, cuius actus exerceam, magna recreatus spe, quod auxilio et intercessione piissimae huius Matris eos possim exequi. Et in ceteris mysteriis similiter fiat.

5) Meditatio de his mysteriis facienda est una et eodem tempore cum precibus Rosarii vocalibus.[1])

6) „An qui Sanctissimum Rosarium B. M. V. recitant, omissa consueta meditatione mysteriorum humanae reparationis et illorum vice mortem aut cetera novissima vel alia pia ac religiosa meditantur, indulgentias a Summis Pontificibus concessas pro recitatione Rosarii lucrentur?

Resp.: Non lucrari; quam S. Congr. declarationem Sanctitas Sua benigne approbavit.“[2])

7) „*a*) Quando coronis B. M. V. de licentia S. Sedis Apostolicae applicata fuit benedictio cum indulgentiis divae Birgittae nuncupatis, fideles illas coronas recitantes tenenturne meditari quindecim mysteria D. N. I. C., ut indulgentias percipere valeant?

b) Daturne eadem obligatio mysteria meditandi, quando coronis applicata fuit benedictio cum indulgentiis ordinariis?

c) Si ‘Affirmative’ respondeatur, oblatio specialis mysteriorum debetne fieri, antequam singulae decades recitentur?

---

1) Patet ex diversis Summorum Pontificum declarationibus, v. gr. Pii V.: Consueverunt, et ex Decreto S. C. infra no. 7 ad *d*.

2) S. C. I. d. 13. aug. 1726.

d) Debetne fieri mentio specialis mysterii in recitatione Salutationis Angelicae, dicendo v. gr. post haec verba: 'ventris tui, Iesus' haec alia: 'quem concepisti' vel 'quem visitando Elisabeth portasti' etc. vel 'quem peperisti' etc.?[1])

Resp.: Ad *a*) Negative.

Ad *b*) Negative, si benedictio respiciat indulgentias consuetas, quae citantur ut in elencho ex typographia Rev. Cam. Apost. anno 1831 edito. Affirmative, si coronae benedicantur cum indulgentiis pro recitatione Rosarii.

Ad *c*) Negative.

Ad *d*) Negative, quia quando requiritur meditatio mysteriorum pro acquirendis indulgentiis, sufficit meditatio mentalis eodem tempore, quo recitantur Oratio Dominicalis et Angelicae Salutationes, ut ex decreto Sacrae huius Congregationis diei 13. aug. 1726 a Benedicto XIII. approbato patet."[2])

Ex decisis sequitur:

a) ut ad lucrandas indulgentias Ss. Rosario concessas requiratur meditatio, non vero ad lucrandas indulgentias coronae Divae Birgittae donatas;

b) ut in recitatione Rosarii mysteria meditanda verbis exprimi necesse non sit. Idem declaratur decreto sequenti.

8) „*a*. An ad lucrandas istas indulgentias meditandum sit in singulis decadibus super uno ex quindecim mysteriis laetis videlicet, dolorosis et gloriosis?

1) Hic modus iam invenitur in MS. apud monasterium S. Galli (St. Gallen) in Helvetia asservato. Illud compositum esse annis 1454—1458 probat P. Danzas in opere suo laudato: Etudes sur les temps primitifs de l'Ordre de St. Dominique tom. IV. p. 380, ubi p. 419 modum ipsum adducit.

2) S. C. I. d. 1. iulii 1839.

„*b*. An sufficiat ad hanc meditationem praemittere sequentes aut similes formulas, in prima decade: ‘In hoc primo mysterio laeto considerabimus, ut Angelus Gabriel nuntiavit B. Mariae illam concepturam et parituram Dominum nostrum Iesum Christum’; in secunda decade: ‘In secundo mysterio laeto considerabimus, ut B. Virgo audito, suam cognatam Sanctam Elisabeth esse praegnantem, statim ad illam profecta est et ad illam mansit tribus mensibus’, et sic in caeteris?

Resp.: Ad *a*) Affirmative, et iuxta Decretum S. C. diei 13. augusti 1726 (vide supra no. 6).

Ad *b*) Affirmative, et iuxta Constit. sac. mem. Benedicti XIII., quae incipit ‘Pretiosus’, sub die 26. maii 1727. Animadvertendum autem est, quod pro personis idiotis, quibus nulla est capacitas talia mysteria meditandi, satis est Rosarium devote tantum recitare.“*)

9) In dicta autem Constitutione habetur § 4 in fine: „Ad consolationem personarum vere rudium ac divinis meditandis Mysteriis in S. Rosario comprehensis minus idonearum, praeterea declarantes, easdem devota ac pia eiusdem Rosarii recitatione praedictas indulgentias, mysteria illa meditantibus tantummodo concessas, etiam lucrari posse: tametsi plane volumus, ut iisdem reparationis nostrae mysteriis sacratissimis meditandis iuxta Rosarii institutum assuefiant.“

10) Etiamsi in recitatione Ss. Rosarii specialis mysteriorum mentio nulla omnino requiritur ore facienda, tamen fieri potest et fiat praesertim in oratione communi et publica. Congregatio enim S. Officii ad dubium ei propositum, num modo supra no. 7, *d* indicato et in tota Germania usitato Rosarii ritus mutaretur, ita ut indulgentiae amitterentur, et quid

*) S. C. I. d. 28. ian. 1842.

in casu faciendum, respondit anno 1878, non quidem in scriptis: „Non esse interloquendum.“[1])

Extra Germaniam fere ubique in recitatione communi singulis decadibus[2]) praemittuntur verba: ‘In hoc primo mysterio considerabimus Iesum, quem Virgo de Spiritu Sancto concepisti’ aut brevius: ‘Annuntiatio’ tantummodo, et similiter in ceteris.

11) „Estne libera electio mysteriorum, quae recoli debent in recitandis coronis B. M. V., aut danturne dies stricte determinati pro tali vel tali genere mysteriorum recolendo, ita ut tali die determinato recoli debeant mysteria gaudiosa, tali die dolorosa, tali die gloriosa?

Resp.: Affirmative quoad primam partem; quoad vero secundam invaluit consuetudo, ut per gyrum cuiuslibet hebdomadae singula mysteria ita recolantur,

---

1) Ermländer Pastoralblatt 1878 p. 87 not. 29. August.

2) Antiqui auctores, qui de Ss. Rosario tractant, non solum singulis mysteriis, sed etiam singulis Ave novum meditationis praemittunt punctum, quam methodum ab ipso Patre Dominico introductam fuisse contendunt. Proponunt v. gr. haec: Primum Mysterium.

Mysterium Incarnationis D. N. I. C.

Pater noster etc.

1. Maria in Sacra Scriptura proposita. Ave Maria etc.
2. Maria a Prophetis praevisa. Ave.
3. Maria sine labe originali concepta. Ave.
4. Maria gloriose nata. Ave.
5. Maria in templo praesentata. Ave.
6. Maria sancte vivens in domo paterna. Ave.
7. Maria templo inserviens. Ave.
8. Maria desponsata Ioseph. Ave.
9. Maria electa Mater Dei. Ave.
10. Annuntiatio Salvatoris. Ave.

Gloria Patri etc.

Simili modo alia mysteria explicantur, ita ut Rosarium fiat vera instructio fidelium, Sacra Scriptura popularis et practica, Breviarium laicorum. Cfr. P. Albertum Castellanum, Ord. Praed.: Rosario della gloriosa Vergine Maria. Venetiis 1521.

nempe gaudiosa in secunda et quinta feria, dolorosa in tertia et sexta, gloriosa tandem in Dominica, quarta feria et sabbato.“*)

12) Pro persolvendo penso hebdomadario confratribus, ex rationabili causa, ordinis mysteriorum inversio permissa est eodem modo, quo permittitur inversio horarum Breviarii. Rosarium enim est laicorum Breviarium, pro utroque eadem militat ratio. Unde, si Rosario gaudioso nondum persoluto, venias ad ecclesiam, ubi dolorosum recitatur, potes pergere cum devotis et postea dicere gaudiosum. Item, si Rosario in ecclesia iam incepto te adiungas pio coetui, potes pergere cum aliis et postea, quae omissa sunt, supplere. Obligationi tuae absque dubio satisfecisti; an vero quinque decadibus inversis indulgentias pro tertia parte Rosarii recitata concessas lucratus sis, controverti potest.

13) Cum in Rosario meditanda sint quindecim recensita mysteria, quaeritur, quomodo idem Rosarium persolvitur in honorem Ss. Cordis Iesu, purissimi Cordis B. Mariae V., Sanctissimi Sacramenti, Sanguinis Domini, pro animabus in purgatorio degentibus etc. etc.

Respondeo: Rosarium in honorem Ss. Cordis Iesu recitatur modo indicato absque ulla variatione et additione, sed meditatio tantum dirigitur ad Ss. Cor Iesu a Spiritu Sancto concepti, visitantis, nati, in templo oblati, inventi etc. Orationes Rosarii vocales semper eaedem manere debent, meditationes autem intra singula mysteria ad diversa se extendere possunt. Quare dulcissimum Cor B. Mariae V. in Rosario veneraris eo, quod consideras gaudia huius Cordis in Filii

*) S. C. I. d. 1. iulii 1839.

Dei conceptione, visitatione, nativitate etc., dolores in Filii Passione, glorias in eius resurrectione etc.

Qui adorat Rosario Ss. Eucharistiam, profitetur fidem, qua credit, in hoc Sacramento esse Iesum Deum ipsum pro nobis aliquando conceptum, natum etc., qui Matrem suam in coelis coronavit.

In Rosario persolvendo ad venerandum pretiosissimum Sanguinem proponitur tibi Iesus in horto sudans, flagellatus, coronatus, crucem baiulans, cruci affixus.

Quando Rosarium pro animabus in purgatorio detentis persolvere quaeris, offeras mente mysteria exhibita Deo Patri, ut merita Filii sui nati et passi et Virginis compatientis in satisfactionem accipiat atque animas a poenis liberet, et ne obliviscaris ditissimas indulgentias, quibus Rosarium rite persolutum fruitur, illis applicare.

Qui certis diebus vel occasionibus unum mysterium prae ceteris colere intendit, diutius et ferventius in eius meditatione perseveret. In festo Nativitatis Domini eiusque Octiduo v. gr. post exhortationem vel piam lectionem insistat meditationi tertii mysterii. Qui Quinque Domini Vulnera specialiter venerari vult, meditetur mysterium decimum, in singulorum Vulnerum honorem duo decadis Ave persolvendo.

Ex his lucide perspicitur, in Rosario uno omnia esse contenta et coronulas diversas, nostro tempore procreatas et a devotis, qui haud raro devotionis causa quinque et plura „Rosaria“ diversa secum ferunt, assidue cultas, non esse necessarias, imprimis cum neque loquantur ad cor neque, ut infra videbimus, ditioribus gaudeant indulgentiis et gratiis.

Modus recitandi Ss. Rosarium[1]) in Ordine Praedicatorum consuetus.

V. Deus † in adiutorium meum intende[2]),
R. Domine, ad adiuvandum me festina.
V. Gloria Patri etc. R. Sicut erat etc.
Salve Regina, Mater misericordiae etc.[3])
V. Dignare me laudare te, Virgo sacrata,
R. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Oremus.

Deus, cuius Unigenitus per vitam, mortem et resurrectionem suam nobis salutis aeternae praemia comparavit, concede quaesumus, ut haec mysteria Sanctissimo Rosario Beatae Mariae Virginis recolentes et imitemur, quod continent, et quod promittunt, assequamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Recitemus devote tertiam Ss. Rosarii partem cum intentione lucrandi Indulgentias a Summis Pontificibus

1) Cfr. p. 257 no. 2.

2) In qualche luogo come in Roma e in Ferrara [e in Germania] si dice prima: „In nomine † Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen." V. Somm. delle Indulgenze del Ss. Ros. Ferrara 1845. — Il Rosario di Maria Santissima. Roma 1854. *P. Morassi Ord. Praed.: Il Rosario. Casal-Monferrato ediz. 2a 1872. p. 404.*

3) In molte parti, come in Francia, in Savoia, nella Polonia, [Germania] ecc. invece della *Salve* si dice il *Credo* e questo molto convenientemento come dimostra il P. Giustino Miecov. nella sua *Rosa mistica* Disc. 92. V. pure Venturini T. I. Disc. 7. e S. Franc. Sales: Sacre Reliquie, cap. 3. — *P. Morassi ibid.*

concessas, meditando quinque mysteria gaudiosa (dolorosa, gloriosa).

I. MYSTERIA GAUDIOSA.

1. *In primo* mysterio gaudioso consideremus:
   Iesum, quem Virgo a Spiritu Sancto concepit.
   Pater Noster, decem Ave, Gloria Patri.[1])
2. *In secundo:* Quem Virgo visitando Elisabeth portavit;
3. *In tertio:* Quem Virgo genuit;
4. *In quarto:* Quem Virgo in templo praesentavit;
5. *In quinto:* Quem Virgo in templo invenit.

II. MYSTERIA DOLOROSA.

6. *In sexto:* Qui pro nobis sanguinem sudavit;
7. *In septimo:* Qui pro nobis flagellatus est;
8. *In octavo:* Qui pro nobis spinis coronatus est;
9. *In nono:* Qui pro nobis Crucem baiulavit;
10. *In decimo:* Qui pro nobis crucifixus est.

III. MYSTERIA GLORIOSA.

11. *In undecimo:* Qui resurrexit a mortuis;
12. *In duodecimo:* Qui in coelum ascendit;
13. *In decimo tertio:* Qui Spiritum Sanctum misit;
14. *In decimo quarto:* Qui Virginem in coelum assumpsit;
15. *In decimo quinto:* Qui Virginem in coelo coronavit.

Agimus tibi gratias, omnipotens Deus, pro universis beneficiis tuis, qui vivis et regnas per omnia saecula saeculorum. Amen.

Sequuntur Litaniae Lauretanae, *in quibus ultimo loco adiungatur bis*[2]*):*

Regina Sacratissimi Rosarii, ora pro nobis.
Sub tuum praesidium confugimus etc.

---

1) Et sic in ceteris.
2) Vide p. 260 no. 6.

Magne Pater, Sancte Dominice, mortis hora nos tecum suscipe et hic semper nos pie respice.

V. Post partum, Virgo, inviolata permansisti,

R. Dei Genitrix, intercede pro nobis.

V. Ora pro nobis, Beate Pater Dominice,

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

V. Dominus vobiscum,*)

R. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Supplicationem servorum tuorum, Deus miserator, exaudi, ut qui in Societate Sacratissimi Rosarii Dei Genitricis et Virginis congregamur, eius intercessionibus a te de instantibus periculis eruamur.

Deus, qui Ecclesiam tuam Beati Dominici, Confessoris tui, Patris nostri, illuminare dignatus es meritis et doctrinis, concede, ut eius intercessione temporalibus non destituatur auxiliis et spiritualibus semper proficiat incrementis. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Addi potest psalmus: De profundis etc. *cum oratione:* Fidelium, Deus etc.

Regina Sacratissimi Rosarii, ora pro nobis *(ter repetitur).*

V. Nos cum Prole pia

R. Benedicat Virgo Maria.

Benedictio Dei omnipotentis † Patris et Filii et Spiritus Sancti per intercessionem Reginae Sacratissimi Rosarii descendat super nos et maneat semper.

R. Amen.

*) Qui sacerdos aut diaconus non est, dicat:
V. Domine, exaudi orationem meam,
R. Et clamor meus ad te veniat.

De excellentia Ss. Rosarii.

Ss. Rosarii duplici tam externa quam interna indole mature perpensa patet, Psalterium Marianum alias quascunque devotiones vel continere vel suppeditare. Ex plurimis afferantur sequentes.

1) *Devotio erga Sanctissimam Trinitatem,*
ad cuius honorem Rosarium praecipue institutum est adeo, ut in priori quinquagena Pater, mittens Salvatorem, in altera Filius, Redemptor mundi, in tertia Spiritus Sanctus Sanctificator honoretur, honore tamen neutiquam distincto aut diviso; quamvis enim singulae quinquagenae singulis tribuantur Personis, qualibet tamen ipsarum tribus redditur honos unus. Ideo sicut Ss. Trinitas una est in essentia et trina in Personis, ita hoc Psalterium unum est in se et trinum quinquagenis. In Consistorio Ss. Trinitatis confecta est Angelica illa Salutatio, nec non Oratio Dominica, quam Filius nostra carne assumpta nos edocuit. Unde Rosarium recitantes Deum trinum et unum modo sibi maxime acceptabili laudamus Eiusque opera ad salvandas animas cernui adoramus.

2) *Devotio ad Spiritum Sanctum,*
quem in singulis Ave colimus, quia Christi Incarnatio per Salutationem Angelicam annuntiata Ei singulariter attribuitur, licet tota Trinitas ipsam operata sit. In-

super in primo et decimo tertio mysterio expresse illum adoramus: „Conceptus de Spiritu Sancto"; „Spiritus Sanctus missus in discipulos." — Christus „qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo"[1]), „ex voluntate Patris cooperante Spiritu Sancto mundum vivificavit"[2]).

3) *Devotio Ss. Nominis Jesu,*

quod in singulis Ave una vice devote invocamus.

4) *Devotio Ss. Nominis Mariae,*

quod in unaquaque Salutatione Angelica duabus vicibus pio ore prosequimur.

5) *Devotiones SS. Cordium Jesu et Mariae,*

quorum ardentissimas in Deum et in nos amoris flammas per quindecim mysteria intelligimus ac sentimus, iisque flammis et nos ipsi ad redamandum Deum vehementissime accendimur ac denique conformes SS. Cordibus Iesu et Mariae fieri studemus secundum diversas virtutes per singula mysteria nobis exhibitas.

6) *Devotio in honorem Gaudiorum Jesu et Mariae,*

in prima quinquagena,

7) *Dolorum in secunda,*

gloriae Ipsorum in tertia continetur.

8) *Devotio S. Infantiae D. N. J. Christi*

fit in prima quinquagena.

9) *Devotio erga Ss. Eucharistiam,*

in qua rursum descendit Christus ad terras, Patri pro salute mundi se offert, interpellat pro nobis, ut Sanctissimus Pontifex arae Crucis, gaudet maiestate et potentia Regni; insuper nobis ipsis se exhibens panem

1) Hebr. 9. 14.
2) Can. Miss.

vitae, quo omnium eius mysteriorum participes fiamus. Quae meditamur, si Rosarium ante tabernaculum Ss. Sacramenti vel corporibus vel animis tantum praesentes devote recitamus.

10) *Devotio Viae Crucis*

repraesentatur Rosario doloroso.

11) *Devotio Quinque Vulnerum*

in mysterio decimo.

12) *Devotio Vulneris scapularis*

in mysterio nono, et sic de ceteris.

13) *Devotio pretiosissimi Sanguinis*

in Rosario doloroso,

14) *Devotio ad B. Mariae immaculatam Conceptionem, Puritatem, Maternitatem*

fit continuo per verba: benedicta tu in mulieribus etc. et „Sancta Maria, Mater Dei".

15) *Devotio septem Gaudiorum B. M. V.*

in prima et tertia, et

16) *Devotio septem Dolorum B. M. V.*

in prima et secunda quinquagena habetur.

17) *Devotiones omnes pro singulis anni temporibus et festivitatibus Jesu et Mariae*

in Rosario per suam quinquagenam aut suo mysterio exercentur secundum indolem propriam uniuscuiusque pie orantis.

18) *Devotio in honorem SS. Angelorum*

colitur in primo, tertio, sexto, undecimo, duodecimo, decimoquarto, decimoquinto mysterio Ss. Rosarii. Item

19) *Devotio ad SS. Angelos Custodes*

in quarto mysterio, quod includit fugam Domini in Aegyptum, quo Ioseph in somno ab Angelo monitus se contulit.

20) *Devotio ad Sanctos Dei omnes,*
quos B. Maria Virgo, S. Ioseph, SS. Pastores, Magi, Elisabeth, Zacharias, Ioannes, Simeon, Anna, Maria Magdalena, Dismas, Nicodemus, Apostoli et Evangelistae repraesentant secundum diversos status, aetates et conditiones, exercetur in decimo quinto mysterio, festo Omnium Sanctorum, die 1. novembris celebrando.*)

21) *Devotio pro bona morte impetranda*
optima est Rosarium, cum progressum in virtute excitet et sublevet atque in singulis Ave nos clamare doceat: „S. Maria, Mater Dei, ora pro nobis etc. in hora mortis nostrae." Hoc implorat continuo tota Confraternitas pro nobis nosque pro ea propter communicationem bonorum. Qua de causa fervido confratri certe non est, cur de salute sua aeterna dubitet.

22) *Praeparatio ad suscipienda Sacramenta*
congrue fieri potest per Psalterium Marianum, quod tribus suis partibus nos ducit per viam purgativam, illuminativam unitivamque ad fontem omnium gratiarum.

23) *Pro aversione malorum omnium,*
in gravi necessitate, contra tentationes quascunque, ad impetrandum bonum aliquod etc. etc. nulla oratio firmiorem spem et fiduciam magis fundatam in cordibus nostris procreare valet quam Rosarium, quia in illo precamur, praeceptis salutaribus admoniti et divina institutione formati: „Et ne nos inducas etc." Insuper quid Ss. nomine Iesu, quid nomine Mariae firmius praesidium afferat et auxilium? Et in qua alia oratione tot vicibus tantoque ardore haec sanctissima nomina implorantur? Praeterea continuo repetimus: „S. Maria,

*) S. C. I. d. 12. febr. 1877.

Mater Dei, ora pro nobis *nunc*", in hac calamitate, hoc tempore belli, famis, pestilentiae, *nunc* in hac persecutione Ecclesiae, hisce in tentationibus, in hac hora laboris et studii, in hoc dubio, in hac difficultate etc. etc. Tali modo orantes Ss. Rosarium spe atque consolatione replemur simulque ad patientiam et conformitatem cum voluntate divina confortamur, quia mens nostra respicit Iesum et Mariam in Passione constantes, voluntati Patris invictissima charitate et profundissima humilitate obedientes ac tandem coelestis gloriae participes. Ita Rosarium etiam optima est

24) *Devotio ab aegrotis exercenda.*

25) *Devotio pro animabus in purgatorio*

nulla datur utilior quam Rosarium propter largas indulgentias ei annexas. Insuper B. Ioannes Massias Ord. Praed. conversus, a Gregorio XVI. beatificatus, cum moribundus a Confessario interrogaretur, respondit, se suo Rosario plus quam decies centena millia animarum ex purgatorio liberasse.*)

Ex dictis perspicuum est, in devota Ss. Rosarii persolutione devotiones omnes in Ecclesia usitatas contineri et practice cum progressu in virtute exerceri.

Qua de causa „Sanctissimum vel Sacratissimum Rosarium" „compendium novi testamenti et totius Religionis" saepius vocatur.

Patet etiam, Rosarium nullatenus esse devotionem mere abstractam, formulam inanem et vacuam, titulum sine re, repetitionem taedii plenam, sed e contra! Rosarium est devotio essentialiter vivens et rationalis et admirabilis, quae spiritum illuminat, cor inflammat, totum satiat hominem. Loquitur ad intellectum, quem

*) Ex eius vita.

in contemplanda mysteria altissima simul et amplissima rapit; in fundo cordis excitat motus fortissimos tenerrimosque religionis et charitatis in Deum, in B. Mariam Virginem, in proximum, charitatis scilicet, non theoretice, sed practice sumptae, quae vitam nostram complectitur et transformat ad similitudinem imaginis in monte sancto ostensae. Rosarium est quasi scala charitatis ..qua ibimus de virtute in virtutem".[1]) Hinc mirum non est, quod Rosarium laudibus et encomiis excellentissimis gaudet, quorum aliqua hic inserere lubet.

„Rosarium est devotio divinissima."[2]) Est „praxis omnium Fidelium".[3]) „Est devotio celeberrima."[4]) „Cibus meus Rosarium meum."[5]) „Inter omnia post Missam Rosarium mihi est gratissimum."[6]) Pius VI. Papa, peregrinus apostolicus, moriens in exilio Rosarium vocavit Angelum illum, qui Christum in agonia orantem confortavit.[7]) „Sicut rosa est regina inter flores universos, ita Rosarium inter ceteras devotiones est devotio devotionum. Beati populi, beatae familiae, a quibus haec devotio omnium pulcherrima exercetur."[8]) „Rosarium est gladius et ensis ad retundendos daemonum insultus."[9]) „Profecto, meliorem Rosario praxim ad adiuvandam attentionem, pietatem, devotionem in orando, meditationem spiritus et cordis non

1) Ps. 83, 7.
2) St. Carolus Borr.: Acta Eccl. Mediolan. II. p. 495.
3) St. Alphonsus Lig.: Vera sponsa, a. 25.
4) De Ponte: Medit P. V. m. 38.
5) B. Margarita Dominicana, filia regis Hungariae. Miecov.
6) B. Maria V. ipsa ad Alan.
7) Ex eius vita.
8) Il periodoco Bolognese, lettura della Domenica, anno III. n. 9.
9) Reviglione: Fascetto di rose. Neapoli 1758. P. I. p. 127.

cognosco. Quod dico pro sapientibus, qui hoc ignorant, non pro parvulis, qui ex experientia id sciunt.“*)

„Undecunque Rosarium spectes, omnibus modis absolutissimum et perfectissimum invenies. Dispositionem vis? quid magis dispositum? Ad normam Davidici psalterii formatum est, cuius in Ecclesia post sacrosanctum missae sacrificium frequentissimus et sanctissimus est usus. Immo psalterium Marianum praestantius esse videtur, quam Davidicum, ut mox dicetur. Ordinem partium consideras? quid pulchrius? Signum S. Crucis ac nostrae salutis pretium praecedit. Symbolum Apostolorum velut praeconem fidei agit, oratio Dominica velut fundamentum Salutationum Angelicarum praemittitur, quod firmiores ac Deo gratiores preces reddit. Brevitatem desideras? quid compendiosius? Breve verbis, amplum rebus, breve sermone, altum virtute, spiritu, documentis, mysteriis. Utrumque solemnem orandi ritum, videlicet vocalem et mentalem, includit: ita ut sive precum verba sive adiunctas eis considerationes attendas, nihil prius utrisque, nihil proinde Rosario potius reperies. Ornamenta eius externa et divitias videre cupis? quid splendidius? quid ditius? Totum Ecclesiae thesaurum in illud effusum putes, cum tot indulgentiis, tot privilegiis, tot elogiis Summorum Pontificum condecoratum videbis. Adde tot scriptorum elogia, tot concionatorum conceptus, tot litteratorum discursus in eius laudem editos. Facilitatem quaeris? quid vulgarius? quid cuivis promptius? quid expeditius? Doctis et indoctis, stupidis et ingeniosis, viris, foeminis adeoque puellis, urbanis et rusticanis aptum, facile ac promptum oratu est; domi, foris, in itinere, in terra,

*) Rohrbacher. Histoire univers. de l'Eglise vol. XXII. liv. LXXI.

in mari, in bello, in lecto usurpari solet. Religionem cupis? quid sanctius, ubi tota vita Domini ac Salvatoris nostri Iesu Christi nec non B. V. Mariae devote recensetur, celebratur, recolitur?“[1])

Id quod vidimus, unam scilicet Rosarii devotionem aptissimam esse omni hominum statui omnique humanae vitae conditioni, hoc R. P. A. Pradel Ord. Praed. libello, quod inscribitur: „Le Rosaire médité et récité“[2]) ostendit, proponens quadraginta speciales modos recitandi Rosarium pro singulis hominum statibus singulisque vitae conditionibus, ad normam supra p. 270 not. 2 allatam. Probat auctor insuper, ad quoscunque fines devotio Rosarii dirigatur, minime requiri, ut in quindecim mysteriis determinatis quidquam mutetur, imo illa mysteria ad amussim esse observanda nec alia introducenda, ut iam supra p. 267 no. 6 diximus. Qua de causa ista msyteria sub diversis formis p. 260 seqq. inculcare non piguit. Ipsa autem quindecim mysteria, cum totam vitam Christi et Deiparae contineant, necessario etiam omnes christianae vitae necessitates uberrime atque eminentissime complectuntur.

1) P. Iust. Miechoviensis Ord. Praed.: Discursus praedicabiles. Neapoli 1857. Vol. II. Disc. 326 no. 11.

2) Mazères (Ariège) 1877; cuius libri haec est: *Table des matières: Le Rosaire* 1) de l'enfant; 2) pour se préparer à la première communion, 3) à la confirmation; 4) de l'adolescent, 5) de la jeune fille, 6) de l'étudiant, 7) pour demander la pureté; 8) à connaître sa vocation, 9) à l'état religieux, 10) au mariage; 11) de l'ordinand, 12) du novice, 13—15) du religieux, 16) du supérieur, 17) de l'inférieur, 18) des parents, 19) du riche, 20) du pauvre, 21) de l'ouvrier; 22) dans la prospérité, 23) dans l'adversité; 24) pour demander une grâce, 25) en action de grâce; 26) dans la tentation, 27) en voyage, 28) du malade, 29) pour se préparer aux derniers sacrements; 30) pour demander la guérison, 31) la conversion, 32) la délivrance d'une âme du purgatoire; 33) pour la confession, 34, 35) pour la communion, 36) pour la visite au S. Sacrement, 37) pour la visite à la S. Vierge, 38) pour l'adoration perpétuelle, 39) pour l'exercice du Rosaire solennel; 40) Le Rosaire général.

Pius IX. et Rosarium.

Pius IX. „efficacissimam Sanctissimi Rosarii deprecationem“[1]) omnibus enixe commendavit repetitis occasionibus: „Si vultis, ait, pacem in cordibus vestris, si vultis illam in familiis vestris et in patria, persolvite quotidie singulis vesperis congregati cum tota familia Ss. Rosarium. Est enim Evangelium parvum, quod omnibus illud recitantibus pacem in Sacris Litteris promissam dabit; est oratio cum pulcherrima, tum gratiis cumulatissima et B. Mariae Virgini gratissima. Diligite eam, persolvite illam cum amore et devotione. Hoc sit testamentum meum, quod in memoriam mei vobis relinquo.“[2])

Confirmavit idem Summus Pontifex anno 1851 omnes et singulas indulgentias et privilegia Confraternitati Ss. Rosarii a Praedecessoribus suis concessa, quae anno 1862 Catalogo breviori composuit; anno 1864 sanavit in globo omnes Confraternitates Ss. Rosarii inscio Magistro Generali Ordinis Praedicatorum fundatas; 1867 laudavit et gratiis decoravit novam Rosarii Perpetui organisationem; 1868 approbavit et indulgentiis ditavit piam praxim Mensis Octobris seu Rosarii; 1869 concessit indulgentiam plenariam singulis hebdomadibus lucrandam omnibus pro felici progressu et

1) Ut magis d. 12. maii 1851.
2) Ex diversis audientiis anni 1877.

exitu Concilii Vaticani[1]) quotidie quinque Ss. Rosarii decades recitantibus. 1877 Ordini Praedicatorum libentissime indulsit, ut singuli huius Ordinis Religiosi omnibus feriis IV. et Sabbatis[2]) missam privilegiatam: „Salve Radix Sancta" dicere possint. Eodem anno Magistrum Generalem eiusdem Ordinis tamquam supremum Directorem Rosarii Viventis instituit. Saepius declaravit, Rosarium S. Dominici pro haereseon exstirpatione coelitus datum esse, et id genus multum pro Rosario fecit. Moribundus Confessarium suum allocutus est his verbis: „Prae debilitate vix orare possum; ideo quindecim mysteriorum Rosarii imagines, quasi parietibus camerae appensas, animo effingo ac mente pie considero. Approbasne hunc orandi modum"? „Certe, inquit Confessarius, sed velim, ut indulgentias illi apponas." „Hoc iam feci", respondit pius Pontifex, qui tenera iuventute Rosarium pro Pio VI. captivo oraverat et mortuus est captivus, dum Cardinales eius lectulum circumstantes Rosarium pro ipso recitabant, die 7. februarii 1878.

1) „Fideles hoc veluti armaturae genere instructi, nempe quotidiana Rosarii B. M. V. recitatione, ut tot errorum monstra in praesens undique grassantia potenti Deiparae Immaculatae subsidio et Concilii Oecumenici Vaticani ab Nobis indicti mox auspicandi auctoritate convellantur, eradicentur, facilius erunt consecuturi etc. Quare etc. omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui, donec Consilium Oecumenicum Vaticanum perduraverit, singulis hebdomadae diebus saltem quinque decades Rosarii devote recitaverint, servatis quoque, quae in eius recitatione alias iniuncta sunt, insuper vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti quamlibet ecclesiam seu oratorium publicum visitaverint ibique pro felici Concilii Oecumenici Vaticani exitu et iuxta mentem Nostram pias ad Deum preces effuderint, qua hebdomada id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem quam etiam animabus Christifidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari possint, misericorditer in Domino concedimus." Egregiis d. 3. dec. 1869.

Quae indulgentia, cum ex declaratione eiusdem Pontificis Concilium illud nondum finitum, sed solummodo suspensum sit, adhuc valet.

2) Non impeditis, ut infra declarabitur.

Quis est, qui non audierit de civitate Lourdes, sub radicibus Pyrenaeorum sita? ubi prope rosetum in rupis Massibiellae antri florens inde ab undecimo februarii usque ad 16. iulii 1858 Immaculate Concepta Rosarium aureum, constans ex quinque decadibus, cuius grana albo splendebant nitore, brachio portans, filiae quatuordecim annorum, nomine Bernadette Soubirous, per decem et octo visiones apparuit totiesque cum ea Rosarium recitavit. Quarum apparitionum veritas Pio IX. ita perspecta erat, ut per Breve d. d. 14. sept. 1869 eas aperte veras declararet. In hortis suis antrum Lourdense ex lapidibus Lourdensibus construxit cum rivulo nutrito ex aqua miraculosa hebdomadatim Lourdibus transmissa. Immaculatae Virgini Lourdensi multa pretiosa dona, v. gr. rosam auream, obtulit. Ad consecrandam novam Basilicam*) et imaginem Immaculatae coronandam tamquam legatos, qui nomine Sanctitatis Suae agerent, Rmos Dnos Archiepiscopum Parisiensem Guibert et Nuntium Meglia specialiter deputavit.

Quibus apparitionibus Deus ipse statim innumeris signis et miraculis fidem fecit, ita ut fideles ex totius mundi regionibus ad Sanctuarium Lourdense quotidie concurrentes Basilica ampla capere non posset. Unde factum est, ut ultimis diebus iubilaei, quo vicesimus quintus annus apparitionum illarum celebrabatur, diebus scilicet 14., 15. et 16. iulii 1883, fundamenta novi templi Reginae Ss. Rosarii dedicandi iacta sint. Desiderium hanc novam ecclesiam aedificandi Lourdenses per Episcopum Tarbensem, Rmum Dnm Langénieux,

*) Confraternitas Ss. Rosarii Lourdibus in ecclesia Parochiali antiquitus fundata, nunc mediante R. P. Priore Conventus Tolositani Ord. Praed., dispensatione concessa, a die 5. octobris 1878 etiam in Basilica canonice erecta existit.

iam anno 1875 Summo Pontifici aperuerunt hisce litteris:

„ . . . Dans ses apparitions, la Vierge a donné les leçons les plus utiles à ce siècle ignorant des choses divines. Elle a surtout enseigné le Saint Rosaire; elle tenait en ses mains un beau chapelet, dont elle remuait les grains sacrés et le faisait réciter à l'enfant durant ses merveilleuses extases. Le Rosaire de saint Dominique et de saint Pie V. semble devoir être encore l'arme des triomphes de l'Église.

Aussi les fidèles, les prêtres et les évêques, sollicitent les gardiens du sanctuaire d'y élever un Rosaire monumental, dont les mystères, représentés par des images aussi naturelles et aussi vives, aussi grandes et aussi belles que possible, aident la parole sainte et la méditation intérieure à faire connaître et aimer de plus en plus Jésus et sa divine Mère.

C'est pourquoi l'Evêque de Tarbes et les missionnaires de l'Immaculée Conception de Lourdes, prosternés aux pieds de Votre Sainteté, la supplient d'agréer et de bénir le projet de ce Rosaire monumental. Et comme il ne peut être exécuté que par les aumônes abondantes des fidèles, ils prient encore Votre Sainteté d'encourager et de récompenser la générosité des bienfaiteurs par Votre Bénédiction Apostolique."

Quibus litteris responsum fuit ita:

A NOS CHERS FILS, LE SUPÉRIEUR ET LES MISSIONNAIRES DU SANCTUAIRE DE LOURDES

PIE IX., PAPE.

CHERS FILS, SALUT ET BÉNÉDICTION APOSTOLIQUE.

C'est un fait éclatant, vous le savez, chers Fils, que le Rosaire fut désigné par la très sainte Mère de

Dieu comme un secours singulier, à saint Dominique, lorsqu'il combattait cet amas monstrueux d'erreurs et de crimes au moyen desquels les Vaudois corrompaient et troublaient les peuples. Il ne paraîtra donc pas étonnant que la sainte Vierge ait encore voulu manifester que le même secours était très opportun contre les maux présents, puisque la masse de toutes les hérésies, allant jusqu'à la négation de Dieu, corrompt les nations et renverse tout ordre. La vertu de cette dévotion, qui honore pieusement et les principaux mystères du Christ et Celle qui seule a tué toutes les hérésies dans l'univers, comprima la très impudente hérésie du treizième siècle, et, plus tard, elle a souvent défait les ennemis de l'Église. Aussi, doit-on espérer avec raison que la même vertu repoussera les efforts de l'enfer, écrasera les machinations de l'impiété, éloignera des peuples les erreurs propagées, et, avec elle, cette grande commotion qui bouleverse la société humaine tout entière. C'est pourquoi, comme les pèlerins, qui accourent en foule à ce Sanctuaire qui vous est confié, sont poussés, comme par un instinct divin, à pratiquer principalement le pieux exercice du Rosaire pour honorer la Mère de Dieu et implorer, au milieu de si grands périls, son secours très puissant, Nous ne pouvons ne pas recommander le projet que vous avez formé, d'élever une nouvelle église, dans laquelle l'image expressive de chacun des mystères du Rosaire portera les esprits à une méditation plus profonde de ces mystères et à une récitation plus fréquente de la Salutation Angélique. Plus ces prières seront ferventes et nombreuses, plus elles seront efficaces pour obtenir au peuple chrétien la protection de la Mère de Dieu; et ainsi la

colère divine, que tant de crimes ont provoquée, sera plus facilement et plus tôt détournée des nations et laissera un libre cours aux effusions de la miséricorde longtemps enchainée. C'est donc de tout Notre coeur que Nous bénissons vos efforts et votre sollicitude et tous ceux qui, dans la mesure de leurs forces, favoriseront votre dessein, dans le but d'augmenter l'honneur de la Mère de Dieu, d'implorer son secours avec plus d'ardeur et de réchauffer la piété des fidèles.

Nous désirons que la Bénédiction Apostolique que Nous donnons avec amour à chacun de vous, chers Fils, et à tous ceux qui vous aideront dans cette entreprise, soit l'augure des fruits spirituels très abondants que Nous attendons de l'oeuvre par vous commencée.

Donné à Rome, près Saint-Pierre, le 8. février 1875, de notre Pontificat l'an XXIX.

PIE IX., Pape.

Leo XIII. et Rosarium.

Leo vero XIII. plurimis effatis pretiosissimis Ss. Rosarii devotionem laudavit:

„Plurima et maxima in populum christianum per Marialis Rosarii preces collata sunt beneficia.“

Inter insignes titulos, quibus B. Maria Deipara salutatur, „commemorandus solemnis ille ex Rosario ductus, quo insignia Ipsius in universum christianum nomen beneficia ad perpetuitatem consecrata sunt.

„Rosarii precatio est tamquam validissimum instrumentum bellicum.

„Eiusdem precationis efficacitas et vis mirabiliter perspecta est.

„Sacra haec precandi formula tantopere Virgini grata esse dignoscitur eaque ad Ecclesiae populique christiani defensionem et ad divina beneficia publice privatimque impetranda apprime confert.

„Universos christianos enixe hortamur, ut vel publice vel privatim in sua quisque domo et familia pium hoc Rosarii officium peragere studeant et non intermissa consuetudine usurpent.

„Nunc vero exhortationibus his Nostris excitatae, vestrisque vocibus incensae, christianae gentes vehementiori in dies animi ardore sese in Mariae tutelam fidemque recipiant; et adamare magis ac magis insistant Marialis Rosarii consuetudinem, quam maiores nostri non modo uti praesens in malis auxilium, sed etiam nobilis instar tesserae christianae pietatis habere consueverunt.“*)

*) Leo XIII. Supr. Apost. etc. vide p. 1—25 supra.

Parte huius libri typis iam impressa, idem Sanctissimus Pater noster Leo XIII. in favorem Ss. Rosarii et praesertim mensis Octobris novum decretum per Sacram Rituum Congregationem edidit et ad omnes Ordinarios pro fideli executione transmisit, quod hic subiungitur:

DECRETUM
URBIS ET ORBIS.

Inter plurimos Apostolicae vigilantiae actus, quibus Sanctissimus Dominus Noster LEO PP. XIII, ab inito Summi Pontificatus munere, Ecclesiae ac universae societati, Deo adiuvante, optatae tranquillitati restituendis consulere satagit: luce clarior nitet Encyclica Epistola *Supremi Apostolatus,* I Sept. MDCCCLXXXIII, de celebrando toto mense Octobri eius anni gloriosae Dei Matris Mariae Sacratissimo Rosario. Quod sane speciali Dei providentia praecipue institutum est ad potentissimum caeli Reginae praesens auxilium adversus christiani nominis hostes exorandum, ad tuendam fidei integritatem in dominico grege, animasque divini sanguinis pretio redemptas e sempiternae perditionis tramite eripiendas. Tum vero laetissimi christianae pietatis et fiduciae in caelesti Mariae Virginis patrocinio fructus in omni loco catholici orbis ex tam salutari opere eo mense collecti, tum adhuc insidentes calamitates causa fuerunt, ut subsequente anno MDCCCLXXXIV, die XXX Augusti, aliae accesserint Apostolicae litterae *Superiore anno,* cum iisdem hortationibus et praeceptionibus pro adventante eo mense Octobri pari solemnitate ritus ac pietatis fervore in Beatissimae Virginis Mariae a Rosario honorem dedicando; eo quod praecipuus fructus boni operis et arrha consequuturae victoriae sit in inceptis perseverantia. Hisce autem

inhaerens idem Sanctissimus Dominus, cum hinc nos hactenus mala multa undique perturbent, inde vero permaneat et florescat in christiano populo ea fides, quae per caritatem operatur, et veneratio ac fiducia in amantissimam Dei Genitricem propemodum immensa; eo impensiori studio et alacritate nunc ubique perseverandum vult unanimiter in oratione cum Maria Matre Iesu. Certam enim in spem erigitur fore ut ipsa, quae sola cunctas haereses interemit in universo mundo, nostris accedentibus dignis poenitentiae fructibus, flectat denique iram vindicem divinae iustitiae, incolumitatemque adducat et pacem.

Quapropter Sanctitas Sua quaecunque duobus praeteritis annis constituit de mense quo solemnia celebrantur Beatae Virginis Mariae a Rosario, hoc pariter anno, et annis porro sequentibus praecipit et statuit, quoadusque rerum Ecclesiae rerumque publicarum tristissima haec perdurent adiuncta, ac de restituta Pontifici Maximo plena libertate Deo referre gratias Ecclesiae datum non sit. Decernit itaque et mandat, ut quolibet anno a prima die Octobris ad secundam sequentis Novembris, in omnibus catholici orbis parochialibus templis, et in cunctis publicis oratoriis Deiparae dicatis, aut in aliis etiam arbitrio Ordinarii eligendis, quinque saltem Mariani Rosarii decades cum Litaniis Lauretanis quotidie recitentur: quod si mane fiat, Missa inter preces celebretur, si a meridie, sacrosanctum Eucharistiae Sacramentum adorationi proponatur, deinde fideles rite lustrentur. Optat quoque ut a sodalibus Sacratissimi Rosarii religiosae pompae, ubi id per civiles leges licet, publice ducantur.

Indulgentias singulas, alias concessas, renovando,

omnibus qui statis diebus publicae Rosarii recitationi interfuerint, et ad mentem eiusdem Sanctitatis Suae oraverint, et his pariter qui legitima causa impediti privatim haec egerint, septem annorum ac septem quadragenarum apud Deum indulgentiam singulis vicibus concedit. Eis autem qui supradicto tempore decies saltem vel publice in templis, vel legitime impediti, privatim eadem peregerint, sacramentali confessione expiatis et sacra synaxi refectis, plenariam admissorum indulgentiam de Ecclesiae thesauro impertit. Plenissimam hanc culparum veniam et poenarum remissionem his omnibus pariter largitur, qui vel ipso die festo Beatae Virginis a Rosario, vel quolibet ex octo insequentibus diebus, Sacramenta, ut supra perceperint, et in aliqua sacra aede iuxta Suam mentem Deo eiusque Sanctissimae Matri supplicaverint.

Qua de re et illis consulens fidelibus, qui ruri viventes agri cultione praecipue Octobri mense distinentur, Sanctitas Sua concedit, ut singula superius disposita, cum sacris etiam indulgentiis, eorum in locis, ad insequentes vel Novembris vel Decembris menses, prudenti Ordinariorum arbitrio, differri valeant.

De hisce vero omnibus et singulis Sanctissimus Dominus Noster per Sacram Rituum Congregationem praesens edi decretum, et ad omnes locorum Ordinarios pro fideli executione transmitti mandavit.

Die 20. Augusti 1885.

D. CARD. BARTOLINIUS S. R. C.
Praefectus.

Loco ✠ Sigilli.

LAURENTIUS SALVATI S. R. C.
Secretarius

Episcopi et Rosarium anno 1883.

Summi Pontificis Encyclicam: „Supremi Apost.“ d. 1. sept. 1883 Episcopi totius orbis terrarum summa cum admiratione et gratis animis exceperunt eamque nulla mora interposita dioecesanis transmiserunt ac pro locorum diversitate pauca quaedam ad fidelium utilitatem addiderunt. Ex quibus Episcoporum litteris, si aliqua offerimus, Lectori haud ingratum erit.

„Ss. Rosarium est devotio illa, cuius utilitatem Sancti praedicant, et omnes experiuntur, qui illam recto cum animo et studio colunt. Summo Nobis est gaudio, quod in multis dioeceseos Nostrae parochiis iam existant Confraternitates Ss. Rosarii. Speramus fore, ut Apostolica verba et istis, quae existant, novum afferant vigorem et ad novas Confraternitates erigendas ubique paroeciarum curatores excitent.

„Vestrae imprimis, sacerdotes, curae erit et in ipso Ss. Rosarii festo et in aliis occasionibus huius devotionis efficacitatem ac vim mirabilem fidelium auribus ingerere, divina Ss. Rosarii mysteria explicare, praeiudicia, quae contra eam redundant, dissipare. Satagite, ut Ss. Rosarium cum omni qua decet solemnitate et devotione publice in ecclesiis recitetur.“*)

„Proinde, carissimi, ne praetermittatis, Ss. Rosarii precationem eodem semper ardore quo introducta est, quam diligentissime fovere. Viget adhuc multis in familiis laudabilis ac pia recitandi Rosarium consuetudo.

*) Rmus Robertus Herzog, Episcopus Princeps Wratislaviensis.

Magnum profecto benedictionis divinae thesaurum perderetis, si antiquum illum morem negligeretis. Utinam hac solemnitate etiam istae familiae ad laudabilem illam consuetudinem inducantur, in quibus usque adhuc non vigebat. Omnibus certe erit pignus divinum verae pacis ac disciplinae christianae."[1])

„Omnes animarum pastores omnibus viribus Christifideles inducere studeant, ut non solum publicae Rosarii recitationi fideliter ac religiose assistant, sed etiam antiquam illam ac laudabilem persolvendi Rosarium singulis diebus in singulis familiis consuetudinem diligenter servent aut renovent."[2])

„Gratias referamus imprimis Dei Genitrici, Auxilio Christianorum! Summa cum consolatione comperimus, quanto cum gaudio vos praeclaram Summi Pontificis Encyclicam exceperitis, quanto cum studio ad ecclesias convolaveritis ad preces vestras pro S. Ecclesia tot laborante calamitatibus effundendas. Tales omnium preces non exaudiri non posse, Nobis semper erat persuasissimum. Hodie opitulante Dei Genitrice solio Nostro Pontificio restituti sumus."[3])

Litterae pastorales, quas eadem occasione Rmi Episcopi Hispani in laudem Ss. Rosarii ediderunt, simul collectae in lucem prodierunt libro, cui titulus est: „El mes de Rosario en 1883."[4]) Litteras autem Rmorum Episcoporum Italiae, Galliae etc. habes in respectivis libellis mensualibus supra p. 113 recensitis.

1) Rmus Bernardus Hoeting, Episcopus Osnabrugensis.

2) Rmus Michael Felix Korum, Episc. Trevirensis.

3) Rmus Ioa. Bernardus, Episcopus Monasteriensis, qui his verbis usus est die 13. februarii 1884, memorabili illo die, quo post exilium novem annorum ad gregem suum cum summa omnium exultatione revertit.

4) Coleccion de documentos episcopales de España etc. por R. P. Ramon Martinez Vigil, Ord. Praed. Madrid. 1883.

Pauli Mariae Quarti, Clerici Regularis,

TRACTATUS IN LAUDEM SS. ROSARII.

Inter auctores antiquiores, qui de Ss. Rosario calamum moverunt, vix quisquam tam pulchre et diserte nec non tam breviter de excellentia Ss. Rosarii scripsisse videtur, quam doctissimus Paulus Maria Quarti, Clericus Regularis Andriensis, in libro suo, qui titulum habet: „Biga Aetherea, duplici sacro Tractatu rapiens in coelum animos. In primo agitur: 'De Processionibus ecclesiasticis' etc. Editio altera, prima in Germania, Coloniae Agrippinae, anno 1672 typis mandata." Quod opus cum nostris temporibus raro inveniatur neque sine difficultate ad promptum sit, reproductio huius discursus certo nemini displicebit, praesertim cum totus discursus, sicut auctor ipse eum vocat, sit punctum solummodo. Est „Punctum duodecimum Sectionis II: De Processione Ss. Rosarii," in quo paucis verbis praemissis agitur de iis, quae sequuntur.

I.

De nomine Rosarii.

In primis hic advertendum, hanc precum devotionem communiter appellari „Rosarium" summa metaphora a rosis assumpta. Nam sicut rosae inter flores hortorum mirifice excellunt et primum obtinent locum ob eximium earum decorem coloresque decoros, ob odoris fragrantiam et salutares effectus, quos causant,

ita Rosarium inter omnes devotiones primatum obtinet ob insignes praerogativas, quibus refulget; praesertim autem rosae ob suam fragrantiam sunt typus et symbolum tum sacrarum precum et orationum ad Deum, tum ornatae et gratae eloquentiae insignium oratorum apud homines, quasi tot rosae ex eorum prodeant ore, quot conceptus et sententias proferunt; unde manavit proverbium: „Rosas loqui“. Hinc in re nostra rosae significant sacras, quas fundunt fideles pie recitantes Rosarium, preces, ex quibus contexitur sertum seu diadema ad ornatum capitis Deiparae, virginum Reginae: corona enim florum et rosarum maxime congruit virginibus. Porro non semel — ex auctoribus gravioribus — visae sunt ex ore Salutationes Angelicas recitantium rosae prodire, quas Angeli colligentes Mariae obtulerunt pro diademate.

Merito quidem: cum enim Dei Genitrix sit Regina coeli et terrae, Angelorum et hominum, tamquam Regina coeli stellis coronatur (Apoc. 12), hoc est privilegiis et insignibus coelestibus et Angelorum, quorum obsequiis colitur; insuper ut hominum et terrae Regina coronatur rosis, quae sunt veluti stellae terrarum, hoc est: praerogativis omnium iustorum omniumque obsequiis et laudibus celebratur.

Ut evidentius appareat excellentia et dignitas huius devotionis, quae Rosarium appellatur, discurrendum est supra praecipua capita, ex quibus colligi solet cuiusque rei excellentia et sublimitas, videlicet ex auctore, ex partibus componentibus, ex numero earundem partium, ex mysteriis, quibus refulget, et tandem ex fructibus, quos parit etc.

II.

De auctore Rosarii.

. . . Devotionem Rosarii revelatam primo fuisse a Dei Genitrice Maria sanctissimo Patriarchae Dominico, Praedicatorum institutori, ex Bulla Pii V. *Consueverunt* etc. sat constat, atque adeo Rosarium suam originem ducit a Virgine Maria et a S. Dominico, consequenter omni studio et devotionis ardore addiscendum et recitandum.

Primus namque discendi ardor secundum S. Ambrosium (lib. 2. de Virgin.) „nobilitas est magistri. Quid autem nobilius Dei Matre? quid illustrius ea, quam Splendor elegit?“ Haec ille. Adde, quid illustrius inclyto Patriarcha Dominico post Dei matrem, quem ipsa Dei Genitrix sole splendidior in suum electum et dilectum discipulum praeelegit et hac sublimi revelatione dignata est atque divinas preces Rosarii edocuit, ut ipsemet Dominicus eis uteretur ad profligandas haereses et cordibus fidelium easdem imprimeret in obsequium gratissimum revelantis Deiparae.

Maria igitur has mysticas rosas plantavit, Dominicus rigavit, Deus autem incrementum dedit. Maria dictavit hoc insigne opus Rosarii, Dominicus conscripsit et evulgavit, Christus autem per suos Vicarios amplissimis privilegiis ditavit.

Maria concepit et peperit hanc nobilissimam Rosarii prolem, Dominicus eam nutrivit et educavit, Deus autem innumeris miraculis illustravit. Constat ergo ex hoc capite originis et primi eius auctoris, Rosarium esse devotionem valde sublimem et sacratissimam. Concludo verbis S. Ambrosii loco citato: „Si igitur auctor non displicet, opus probemus.“

III.

De partibus componentibus Rosarium.

Secunda excellentia Rosarii consurgit ex partibus, quibus constat, videlicet Oratione Dominica et Salutatione Angelica; quo enim partes sunt digniores et nobiliores, eo ex ipsis resultat compositum perfectius. Constat autem, inter omnes preces praedictas sublimiorem locum obtinere; ergo etc.

Et quidem de Oratione Dominica nemo dubitat, eam esse omnium excellentissimam, tum propter auctoris summam eminentiam, Christi videlicet, veri Dei, aeternique Dei Sapientiae, tum quia mirabili dispositione composita, omnes perfectiones orationis et universam orandi materiam complectitur, ut fuse declarant expositores Evangeliorum.*)

Haec Oratio Dominica proponitur ab Ecclesia omnibus Fidelibus et praecipitur animarum Pastoribus, ut inter fidei rudimenta illam universos edoceant, et similiter parentibus, ut cum lacte et nutrimento corporis animis filiorum hoc manna coeleste instillent etc. Hanc eandem orationem SS. Patres summis laudibus celebrant omnesque Theologi cum Divo Thoma 2. 2. q. 83. art. 9. dignissimam ac excellentissimam super omnes alias esse constanter docent.

De Salutatione Angelica non dissimilia docent tum SS. Patres tum Doctores et Theologi communiter. Si quidem prima illa verba: „Ave, gratia plena“ sunt Gabrielis Archangeli, ut constat Lucae 1., quando nuntiavit Mariae Incarnationis mysterium, ea vero, quae sequuntur, sunt pariter Archangeli et S. Elisabeth: „Benedicta tu etc.“, ut ex consensione horum

*) In cap. 6. Matthaei.

Sanctorum, ait Ambrosius, Spiritus Sanctus, utriusque salutationis auctor, ostendatur. Elisabeth, etiam Spiritu Sancto plena, pronuntiavit verba sequentia: „Et benedictus fructus ventris tui“. In prima ergo parte huius salutationis omnia sunt a Spiritu Sancto dicta et summa pietate referta.

Altera pars eiusdem salutationis addita est ab Ecclesia similiter a Spiritu Sancto edocta, qua petimus a Dei Matre, ut in vita et in morte nos protegat.

Cum ergo partes componentes Rosarium sint orationes omnium perfectissimae, manifeste sequitur, ipsum Rosarium inter omnes formas orandi principatum obtinere.

Item cum partes praedictae sint a Spiritu Sancto dictatae et tota haec devotio Rosarii habeat suam originem a Deipara, Spiritu Sancto superplena, et a Dominico, mirifice ornato donis Spiritus Sancti, sapientiae, consilii, fortitudinis etc., ut constat ex eius gestis, merito S. Pius V.*) Rosarium appellat „inventum Spiritus Sancti“.

Denique cum oratio dividatur in vocalem et mentalem, Rosarium autem ratione precum praedictarum, quae voce proferuntur, sit vocalis oratio et ratione mysteriorum, quae meditanda proponuntur, sit mentalis oratio, sequitur, preces Rosarii esse perfectissimas utpote complectentes utriusque orationis commoda.

---

*) In Bulla supra citata no. II.

IV.

De sacro numero et convenienti dispositione earundem partium Rosarii.

Tertia excellentia Rosarii manat a mystico numero precum, quae in eo recitantur, et a miro, quo disponuntur, ordine.

Primo enim Rosarium est unica et tripartita oratio in honorem Dei et Sanctissimae Trinitatis, ad quam principaliter dirigitur omnis vera oratio, sed expressius in Rosario, quod unum est et in tres partes distribuitur tripartito ordine mysteriorum, quae gaudiosa, dolorosa et gloriosa dicuntur.

Item in honorem Deiparae Virginis, et tripliciter Virginis, ante partum, in partu et post partum.

Deinde quaelibet pars continet quinquaginta Ave et quinque Pater. Constat autem, numerum quinquagenarium tum ex veteri testamento*), tum ex novo, in quo quinquagesimo die a resurrectione Christi venit Spiritus Sanctus super discipulos, pertinere ad Iubilaeum seu remissionem plenissimam, quia per Rosarium tripartitum impetramus remissionem a culpis, a poenis et a miseriis huius vitae. Quia vero omnis remissio et liberatio nostra originem habet a Sanguine Christi, e quinque eius plagis effuso, quinquies dicitur Pater seu Oratio Dominica.

Tertio singulae partes Rosarii quinque decadibus absolvuntur praemissa unica Oratione Dominica, quia observatione Decalogi seu decem praeceptorum efficimur capaces Iubilaei et remissionis. Praemittitur autem Pater, quia non nostra virtute, sed gratia Dei, quam petimus, ut fiat in nobis voluntas Dei, ad observantiam mandatorum pervenire possumus.

*) Levit. 25.

Quarto completum Rosarium quindecim decadibus et quindecim sacris mysteriis absolvitur in honorem completae perfectionis et summi decoris Beatissimae Virginis Mariae, „pulchrae ut luna“ quae etiam dicitur „luna perfecta[1]) et luna plena“.

Porro tunc luna dicitur plena et perfecta, quando est in quintadecima; merito etiam plenitudo decoris et gratiarum Mariae hoc numero praenotatur, quia septem donis Spiritus Sancti abunde superfusa et octo beatitudinibus praeclara tota pulchra facta est et absque macula.

Tandem integrum Rosarium centum quinquaginta salutationes Virgineas continet ad imitationem Psalterii Davidici, totidem psalmos complectentis. Sicut enim rex David, egregius divinarum laudum praeceptor, mirabile Psalterium composuit, omni pietate et suavitate repletum, ita et Maria Davidicae stirpis suum progenitorem imitata novum et non minus admirandum Psalterium edidit, quod Rosarium appellamus, eoque recoluntur gratiae, quas abunde in ipsam Virginem Deus effudit: „Fecit mihi magna, qui potens est etc.“. Porro eadem mysteria, quae clauduntur in praedicto numero centum quinquaginta psalmorum triplicati Iubilaei pariter continentur in hoc numero 150 Ave, ut videri potest apud expositores Psalterii Davidici, ad quos remittimus lectores, ne iusto prolixiores hic simus.

Solum hoc dicam in solamen oppressorum sub aquis tribulationum, videlicet a Cassiodoro praedictum numerum 150 psalmorum referri ad 150 dies, quibus aquae diluvii occupaverunt terram[2]) et post centum

1) Ps. 88, 38.
2) Genes. 8.

quinquaginta dies imminutae sunt aquae, quia recitatione Psalterii Davidici eripimur ab aquis tribulationum; hoc autem a fortiori affirmare possumus de recitatione Rosarii seu Psalterii Virginei; quippe arca, qua salvae factae fuerunt animae viventium ab aquis diluvii, figura fuit nostrae Virginis Deiparae, qua mediante evaserunt homines a diluvio peccatorum, quod si post centum quinquaginta dies imminutae sunt aquae et consolari coeperunt, qui erant in arca, non dubium, quod manentes in arca virginea, id est sub protectione Mariae Virginis, post recitata 150 Ave consolationem sentient imminutis aquis tribulationum. Addimus etiam, si aquae tribulationum ad summam excreverint altitudinem, sicuti elevatae fuerunt aquae diluvii quindecim cubitis supra montes, nihilominus devotos Virginis ab eis evasuros illaesos recitatione Rosarii et meditatione quindecim mysteriorum, quae recoluntur in eo.

V.

De mysteriis ineffabilibus recolendis in recitatione Rosarii.

Quarta et praecipua excellentia Rosarii derivat a sacrosanctis mysteriis vitae Christi ac Matris eiusdem, ad quae recolenda et contemplanda fuit Rosarium principaliter institutum, quibus nihil sublimius, nihil sanctius excogitari potest. Unde Rosarium dicitur, et vere est admirabile compendium mysteriorum nostrae Redemptionis, in qua miserationes Dei longe superant cetera ipsius Dei opera.*)

Distribuuntur autem in tres classes seu partes Rosarii iuxta ordinem vitae ipsius Christi eiusdemque

*) Ps. 144, 9.

Matris, ut consideranti patet. Primo enim mysteria Incarnationis, Nativitatis etc. usque ad Passionem, ad gaudium pertinent et maximam nostram consolationem ob miracula et prodigia, quae fecit Christus in salutem nostram quaeque in prima parte Rosarii meditanda proponuntur. Deinde sequuntur mysteria doloris plena, Passionis et mortis eiusdem Christi, ob quae eidem Christo et Mariae compatimur et condolemus in secunda parte Rosarii. Tandem completur Rosarium gloriosis mysteriis et triumphis Resurrectionis, Ascensionis etc. eiusdemmet Christi et Matris eius, ob quae laetamur et gloriamur in Domino, sperantes per Christum nostram resurrectionem et gloriam.

Congruit etiam huic divisioni mysteriorum et partium Rosarii supra insinuata rosarum metaphora, quarum aliquae sunt candidae et typus gaudii, aliae sanguineae et figura martyrii ac dolorum, aliae sunt coloris aurei, quae congruunt gloriae et triumpho. Sic Maria, in cuius honorem recitatur Rosarium, et Rosa est mystica, fuit candida et gaudens in primis mysteriis; sanguinea et dolorosa in secundis, aurea et gloriosa in tertiis. Nos ergo congaudeamus gaudenti Virgini, compatiamur dolenti et gloriosae congratulemur.

Ex quibus manifeste colligitur sublimis dignitas et maxima excellentia Rosarii super omnes alias devotiones. Siquidem aliae piae devotiones, quibus veneramur peculiare aliquod mysterium vitae Christi vel Sanctorum, sunt limitatae quaedam areolae aromatum, ex quibus anima contemplativa peculiare meritum alicuius virtutis colligit vel tenuem fasciculum spiritualium odoramentorum; at Rosarium est hortus spatiosus Sponsi coelestis et paradisus delicia-

rum, continens omnia aromata ac omnes mysticas plantas mysteriorum supernaturalium; unde anima deliciis affluit copiosissimis.

Aliae devotiones sunt veluti privata oratoria vel minores ecclesiae, in quibus recolimus et veneramur aliquod particulare mysterium nostrae Redemptionis et confitemur expresse peculiarem aliquem fidei articulum. Caeterum Sacratissimum Rosarium est templum maximum et pantheon augustissimum, non dedicatum, ut olim Pantheon apud gentiles, in cultum omnium inanium deorum, sed in memoriam et venerationem omnium mysteriorum verae fidei legisque evangelicae, in quo a devotis Rosarii fit publica et solemnis professio eiusdem fidei quoad omnes fidei articulos.

Aliae devotiones sunt veluti orbes coelestes inferiores, in quibus dominatur speciale sidus vel planeta, id est speciale mysterium; Rosarium vero est firmamentum supremum, in quo refulget universitas stellarum, hoc est omnia Redemptionis mysteria, ex quibus manant influxus saluberrimi omnium virtutum.

Tandem Rosarium est thesaurus coelestium divitiarum, quae per tripartita mysteria nostrae Redemptionis abunde nobis communicantur; est sacra panoplia armorum spiritualium, quibus per Christum eiusque merita ac vitae mysteria daemones vincimus. Est famosum gymnasium christianae doctrinae, verae sapientiae, in quo Dei arcana huius saeculi sapientibus et prudentibus abscondita revelantur parvulis seu humilibus. Est manna coeleste, habens omnem saporem spiritualis dulcedinis pro varietate mysteriorum, quae in Rosario pia meditatione ruminamus. Denique est lac suavissi-

mum, quod eadem mysteria contemplando sugimus ex uberibus Mariae Dei Genitricis utpote auctricis Rosarii.[1])

VI.

De utilitate et copiosis fructibus Rosarii.

Quinta excellentia est abundantia fructuum, quos Rosarii flores parturiunt recitantibus huiusmodi sacratissimas preces. Ad cuius rei intelligentiam:

Ponderandum est primo, Virginem Deiparam, in cuius honorem haec devotio recitatur, esse potentissimam apud Deum et summae efficaciae ad impetrandas pro nobis gratias; quippe ipsa est dispensatrix thesaurorum Dei secundum illud[2]): „Mecum sunt divitiae et gloria, opes superbae etc.“, et iuxta vulgatum dictum D. Bernardi: „Omnes Dei gratiae transeunt per manus Mariae“. Sic pariter S. Bonaventura in speculo c. 5. ait: „Quia Dominus potentissimus est tecum, o Virgo, tu es potentissima secum; ita ut vere dicere possis: „Et in Ierusalem potestas mea.“ Et S. Petrus Damianus (serm. de Nativ.): „Data est, inquit, Virgini potestas in coelo et in terra, et nihil illi impossibile est, cui potestas est, desperatos in spem beatitudinis relevare“; aliique Patres communiter id confirmant.

Ponderandum secundo, ipsam Dei Matrem esse quoque piissimam et misericordiae matrem, atque eo profusius et libentius coelestes thesauros dispensare,

1) Adiungamus ex ipsius auctoris „Tract. de Ss. Bened.“: „Sicut Psalterium Davidicum est veluti compendium Scripturarum Veteris Testamenti, ita Rosarium est compendium mysteriorum Novi Testamenti seu recapitulatio totius vitae Christi et eius Matris Mariae. Dividitur autem in quindecim capita iuxta numerum psalmorum, qui dicuntur graduales, quia per illa tamquam per tot gradus ad coelum ascendimus.“

2) Proverb. 8, 18.

quo fideles ad eam recurrentes sunt magis erga ipsam devoti et magis gratum ei impendunt obsequium; unde in Proverbiis, cap. 8: „Ego, inquit, diligentes me diligo, et qui mane vigilant ad me, invenient me."

Cum ergo Rosarium sit obsequium ipsi Virgini gratissimum ex hactenus dictis et sertum ex mysticis eius rosis intextum, pro diademate capiti Mariae impositum: sequitur, devotos Rosarii innumeris bonis et gratiis a liberalissima Virgine cumulari et speciali eius patrocinio gubernari.

Libri autem gravium auctorum, qui de Rosario scripserunt, pleni sunt innumeris gratiis et miraculis, quae fecit clementissima Virgo intuitu huius devotionis, et indulgentiis amplissimis, quas lucrantur recitantes Rosarium, de quibus praesertim agit Navarrus *in suis miscell. Rosarii*, ad quem remittimus lectorem etc.

Addo solum, hanc devotionem Rosarii institutam fuisse a Deipara in memoriam mirabilium suorum et ad imitationem quandam sui Filii. Sicut enim Christus in memoriam suorum mirabilium mysterium Eucharistiae instituit, quo eius corpore nutriuntur fideles, pretioso eius sanguine potantur, sic Virgo ex mysteriis suae et Christi vitae hanc devotionem instituit, quo sui devoti purissimo suo lacte, id est sincerae devotionis affectu, ex uberibus suae pietatis manante pascuntur et nutriuntur. Et sicut in mysterio Eucharistiae recolitur memoria Passionis Christi, mens impletur gratia et futurae gloriae nobis pignus datur, ita proportionali modo in devotione Rosarii praeter alia mysteria recolitur memoria Passionis Christi et ipsius Virginis cum Christo passae; mens recitantium repletur gratiis et favoribus eiusdem Virginis auctricis Rosarii, et futurae gloriae illis pignus datur, ut ex multis re-

velationibus relatis a gravioribus auctoribus colligitur et ex verbis ipsius Virginis supra adductis: „Qui me invenerint, invenient vitam et haurient salutem a Domino."

Confirmatur, quia tripartita recitatione Rosarii huius vitae peregrinationem devote agentes velut triplici itinere triplicique sacra mysteriorum statione cursum laborum consummantes feliciter pervenimus ad requiem et ad coelestem patriam.

Primum enim peregrinationis iter primamque stationem perficimus cum Magis ad praesepe Salvatoris aliaque infantiae Christi mysteria, ibique cum Magis adorantes Salvatorem ac munera nostrae devotionis ei offerentes per aliam viam i. e. per viam virtutum, non vitiorum praeteritorum, revertimur in regionem nostram patriamque coelestem.

Secundum peregrinationis iter facimus cum Maria aliisque piis mulieribus et cum Ioanne ad montem Calvariae, ubi iuxta crucem stationem agentes cum bono latrone audire quisque merebitur: „Hodie mecum eris in Paradiso!"

Tertia tandem itineratio fit a recitantibus Rosarium cum Apostolis ad montem Galilaeae, ubi contemplantes Christi gloriosissimam resurrectionem et summum decorem quoddam initium beatitudinis gustant et eriguntur in spem suae gloriosae resurrectionis et perfectae gloriae in Paradiso. Unde de hoc Apostolorum itinere canit Ecclesia:

Galilaeae ad alta montium
Se conferunt Apostoli,
Iesuque voti compotes,
Almo beantur lumine.

Explicit Punctum duodecimum Sectionis II.: 'De Processionibus Ecclesiae' a Ven. Paulo Maria Quarti, Clerico Regulari, compositum.

De excellentia Confraternitatis Ss. Rosarii.

Sicuti devotio Rosariana alias praecellit devotiones, ita etiam Confraternitas Psalterii Mariani inter omnes alias Confraternitates sub quovis titulo institutas — salva tamen omnium et singulorum dignitate — primum locum tenet et velut Princeps omnium ab Ecclesia honoratur.

Ad probandam hanc thesin pauca afferre liceat.

1) Inter omnes Confraternitates, congregationes, sodalitia spiritualia, saltem inter eas, quae usque ad nostra tempora conservatae sunt viventes, eam esse antiquissimam, nemo negare potest.

2) Non existit alia Confraternitas, quae tot tantisque indulgentiis etc. gaudeat.

3) Ab Eugenio IV. usque ad Leonem XIII. gloriose regnantem — ceteros omittam — seu ab anno 1431 usque annum 1886 quinquaginta Summi Pontifices S. Petri naviculam direxerunt, ex quibus triginta quatuor hanc Confraternitatem centum triginta quinque Bullis et Brevibus decoraverunt. Adde centum circiter Decreta a Sacris Romanis Congregationibus in rebus Rosarianis emanata, et habes saltem 215 Litteras Apostolicas in favorem huius Confraternitatis, quarum tres solummodo respiciunt sodalitatem Rosarii Viventis ac duo sodalitatem Rosarii Perpetui. Ubi huic simile invenies, si ceteras Confraternitates perscrutaris? Ubi tot Summorum Pontificum elogia, quorum aliqua ex his Bullis et Brevibus aliisque litteris in favorem Confraternitatis emanatis ut hic exhibeantur, permittatur.

1. „Quotidie per Rosarium Christiano populo bona proveniunt.“ Urbanus IV.[1])

2. „Rosarium Mariae est arbor vitae, mortuos suscitans, infirmos sanans, vivos conservans.“ Nicolaus V.[2])

3. „Rosarium institutum fuit ad gloriam omnipotentis Dei et ad laudem gloriosissimae Virginis Mariae.“ Sixtus IV.[3])

„Rosarium institutum fuit contra imminentia pericula mundi.“ Leo X.[4])

4. „Per Rosarium flagellatur diabolus.“ Adrianus VI.[5])

5. „Considerantes igitur, quam religioni salubre et fructuosum fuerit Rosarii institutum quantaque exinde provenerint et quotidie proveniant bona, quam ob rem tum clerici, tum laici, tam masculi quam feminae, ad tantum devotionis fervorem devenerint, quod Deus et ipsa Virgo, ad cuius honorem fuit originaliter institutum, eosdem non solum gratiis decorare, verum etiam miraculis et signis quamplurimis illustrare non dedignatur.“ Clemens VII.[6])

6. „Per Rosarium S. Dominicus placavit iram Dei super Galliam et Italiam.“ Paulus III.[7])

7. „Rosarium est decor Romanae Ecclesiae.“ Iulius III.[8])

8. „Coeperunt Christifideles [Rosarii] meditationi-

---

1) In Bull. Apost.
2) In Brev. ad Card. Marc.
3) In Brevi ad Episc. Syrac.
4) Ad Episc. Renen.
5) In Brevi ad Confr. Rom.
6) Etsi temporalium d. 8. maii 1534.
7) Ad Mag. Gen. Ord. Praed.
8) Cum Romae.

bus accensi, his precibus inflammati, in alios viros repente mutari, haeresum tenebrae remitti et lux catholicae fidei aperiri.“ Ita in Bulla: Consueverunt, S. Pius V. qui „Beatissimae Virgini Dei Matri ita se devoverat, ut nullum ageret diem, quo, vel dum Summus Pontifex esset tantisque rebus occupatus, sacri, quod vocant, Rosarii precationem non adhiberet; quem quidem precandi ritum multis Apostolicae indulgentiae donis cumulavit.“[1])

9. „Ibimus ad Sanctam Mariam supra Minervam, voventes Rosaria pro victoria Christianorum.“ Pius V.[2])

10. „Per Rosarium placatur ira Dei, et intercessio Beatissimae Virginis imploratur.“ Gregorius XIII.[3])

11. „Attendentes itaque, quam Religioni nostrae fructuosum fuerit Sanctissimi Psalterii, Rosarii nuncupati etc., quantaque exinde mundo provenerint et in dies proveniant dona, et quod propterea utriusque sexus Christifidelium Confraternitates sub invocatione Rosarii eiusdem B. M. Virginis in universis orbis ecclesiis etc. canonice institutae earumque confratres et sorores a quamplurimis praedecessoribus nostris etc. augmentum earundem Confraternitatum et indulgentias ac privilegia et indulta merito obtinere meruerint, Nos eorum praedecessorum vestigiis inhaerendo etc.“ Sixtus V.[4])

12. „Rosarium est destructio peccati, recuperatio gratiae et augmentum gloriae Dei.“ Gregorius XIV.[5])

13. „Rosarium est aerarium gratiarum.“ Paulus V.[6])

1) Lib. VI. vitae Pii V. per Ant. Gubat. conscriptae.
2) Ex Fontanel de bello navali.
3) Monet Apostolus.
4) Dum ineffabilia d. 30. ian. 1586.
5) Ad Episc. Syracus.
6) Ad Episc. Tarvis.

14. „Rosarium est augmentum Christianorum.“ Urbanus VIII.[1])

15. Conferas supra pp. 1—25 et 284—293.

4) Cum Summis Pontificibus Legati Apostolici, Cardinales, Episcopi, Imperatores, Reges, Principes plurimique viri graves et nobiles certatim hanc Confraternitatem foverunt, privilegiis et gratiis ornaverunt.

Revera inter promotores huius devotionis adscribi debent etiam Fridericus III. eiusque uxor Eleonora, Maximilianus I., Carolus V., Ferdinandus II., Leopoldus I. Imperatores, Maria Anna, regina Hispaniae, Blanca de Castilia, regina Franciae, Margarita de Austria, Maximiliani II. filia, Eduardus III., rex Angliae, Ludovicus XI., Ludovicus XIII., Ludovicus XIV., reges Franciae, Emanuel Philibertus, dux Savoniae, Carolus Audax, dux Burgundiae, multi alii, qui non solum Confraternitati nomen dederunt et quotidie Psalterium persolvebant, sed illud etiam ut apud subditos exemplo, admonitione et divitiis suis promoveretur, operam dabant.

Inter alios Ludovicus XIII., rex Franciae, voluit, ut filius suus Ludovicus, postea rex eius nominis XIV., vix sex dies natus huic Confraternitati inscriberetur, et obtinuit a P. Priore Conventus Ord. Praed. Parisiensis, ut unus ex Patribus pro infantulo quotidie diceret Psalterium, donec pensum illud a principe ipso persolvi posset sublato infantiae impedimento.[2])

Anna Austriaca, Ludovici XIII. Francorum regis uxor, in gratiarum actionem pro plurimis gratiis Rosario mirabiliter acceptis fundavit congregationes filia-

---

1) In Brevi ad Legat. German.

2) Venturini II. 38. — Ubi hic et in sequentibus desideras fontes, recurras ad Iust. Miechoviens., Morassi, Chéry aliosque auctores a nobis saepius laudatos.

rum, quae pro regia familia quotidie Rosarium recitarent. Tales sodalitates Lugduni, Parisiis multisque aliis locis a Fratribus Ordinis Praedicatorum institutae die 18. nov. 1645 decreto regali et die 7. nov. 1650 Brevi Innocentii X. confirmatae fuerunt.

Maria Stuart, infelicissima Scotiae regina, in carcere et morte omnem consolationem et recreationem e Rosario hausit, testante historia.

Carolus IX., rex Franciae, pluries in die visitabat imaginem S. Mariae de Rosario.

Henricus I., rex Portugalliae, edidit „Meditationes de Ss. Rosario."

Philippus III., rex Hispaniae, cum pluribus aliis principibus sibi honori reputavit esse adscriptum Confraternitati Coloniae fundatae.

„Pro parte nobilis viri Francisci, ducis Britanniae, eiusque contoralis ducissae Margaritae ad obstruenda ora aliquorum Ss. Rosarium detrahentium hunc ritum de novo approbat et, ut Christifideles ad devotionis opera et praedicto modo orandum eo ferventius inducantur, quo exinde animarum suarum facilius salutem consequi speraverint, indulgentiis eam ditat" Sixtus IV.*)

„Dilectus filius nobilis vir Ioannes dux et dilectae nobis in Christo filiae nobiles mulieres, Maria, ipsius Ioannis ducis contoralis ducissa Iuliacensis et Montensis, ac Sibylla, marchionissa Brandenburgensis, dictae Mariae ducissae genitrix, necnon dilectus etiam filius Magister Ioannes Ingelholzel, Praepositus ecclesiae S. Victoris Coloniensis dioecesis, literarum Apostolicarum maioris praesidentiae abbreviator etc. ac dicti Prior

*) Ea quae d. 12. maii 1479. Leo X. Ad sacram d. 14. sept. 1514.

et confratres cum cupiant, omnia et singula praemissa [scl. Confraternitatem eiusque indulgentias etc.] etiam per Nos approbari, confirmari et innovari etc. Nos approbamus etc.“[1])

Ioannes III. Sobieski, rex Poloniae, semper devote secum ferebat Rosarium pretiosissimum, quod in centenario Viennae die 13. septembris 1883 expositum fuit cum nota: „Rosarium Ioannis III., regis Poloniae.“ Hac enim ipsa die ante ducentos annos (1683) rex triumphans iniit Viennam a Turcis non sine Ss. Rosarii auxilio liberatam. Nam Rosarii Confraternitates singulari cultu et Nativitatis et Nominis B. Mariae Virginis[2]) festa prosequi solebant, et Innocentius XI. ob hanc insignem victoriam in perenne tanti beneficii monumentum festum Nominis B. M. in universali Ecclesia singulis annis infra Octavam Nativitatis eiusdem Virginis celebrari praecepit.[3])

„Ad devotas preces clarae Mariannae, Hispaniarum reginae catholicae, Clemens X. in omnibus ecclesiis Hispaniarum, etiamsi in illis altare seu capella Ss. Rosarii non adesset, indulsit, ut festum solemne Rosarii cum Officio et Missa propria celebraretur.“[4])

Item „ad enixas clarae etiam memoriae Leopoldi, Romanorum regis in Imperatorem electi, . . . supplicationes, Innocentio XII. infirmo et paulo post defuncto oblatas, concessit Clemens XI., ut Officium et Missa Ss. Rosarii huiusmodi die ipsius festo ad universalem Ecclesiam absque ulla restrictione extenderetur.“[5])

---

1) Leo X. Pastoris d. 6. oct. 1520.
2) Summ. Innoc. XI. c. VII., 5 et c. IX., 2.
3) Breviar. Ord. Praed. Dom. infra Octav. Nat. B. M. V.
4) et 5) S. R. C. d. 3. octob. 1716.

5) Si laudes Rosarii eiusque Confraternitatis ex ore Principum prolatas desideras, en pauca:

„Quotidie expleto Rosario Matris Dei audiam bellorum negotia.“ Carolus V. Imperator.[1])

„Deus, meritis Rosarii suae Matris, exaltavit Fidem nostram.“ Ferdinandus II. Imperator.[2])

„Fili, ut regna tua custodias et in pace teneas, semper tecum Rosarium teneto.“ Philippus II., rex Hispan., Philippo III.

„Oremus B. Virginem, ut Rosario suo regat regnum nostrum.“ Alphonsus, rex Portug., et Ioanna Dominicana, eius filia.

„Tuum Rosarium, Beate Dominice, confirmavit regnum meum; gratias debeo, ago, voveo.“ Ludovicus X., rex Navar.

„Sanctum veneror habitum, sacras obosculor manus; oro, mittas nobis Praedicatores Rosarii, reformatores populi.“ Casimirus II., rex Poloniae, Generali Ordinis Praedicatorum.

„Tota fiducia salutis meae Rosarium.“ Ioannes, rex Bohemiae.

„Dedit mihi Deus meritis Rosarii suae Matris et servi sui Dominici filium Ludovicum, optimum haeredem Gallorum“, qui postea fuit S. Ludovicus IX., rex Franciae († 1270). Blanca, regina Franciae.

Excellentia Ss. Rosarii Confraternitatis ostenditur insuper ex victoriis virtute Rosarii reportatis, ex Sanctorum elogiis et ex miraculis Rosario patratis; unde de his singulatim agendum erit.

1) Ex Ruger. in vitis Imper.
2) Concil. Trid. Ex Fontanel de bello nav.

1.

Victoriae virtute Ss. Rosarii gloriosissime reportatae.

1) Virtute Ss. Rosarii reportata est victoria de Albigensibus apud Muretam, die 14. sept. 1213, ubi fortissimus comes de Montfort cum parva manu, ut aiunt, 800 crucisignatorum 20,000 acerrimos hostes occidit, ceterosque in fugam coniecit, S. Dominico Rosarium orante. Cuius admirabilis victoriae piam memoriam S. Ecclesia in gratiarum erga Reginam Ss. Rosarii actionem ex eo tempore quotidie celebrat per antiphonam: „Gaude, Maria Virgo, cunctas haereses sola interemisti in universo mundo.“ Hac clade deterriti plus quam 100,000 haereticorum ad veram fidem et innumeri peccatores ad gratiam et pietatem reverterunt, quo evidentissime huius Confraternitatis excellentia probatur.*)

2) Alia victoria reportata est de Turcis apud Lepanto seu Echinadas Insulas, die 7. octobris 1571, qua die, Dominica mensis illo anno prima, Ss. Rosarii Sodalitates per universum Orbem consuetas supplicationes peragebant statutasque preces de more fundebant. Selim II. toti Europae cladem et caedem minatus ubique fidem christianam subvertere intendebat. Sed

*) Cfr. Croiset. Exercitia pietatis, 7. octobris. Cfr. supra p. 46 seqq. S. Pius V. Consueverunt de 15. sept. 1569.

adstitit exorata Domina: fusus caesusque hostis est ita, ut inde in omne tempus tyranni potentissimi virtus frangeretur. In accepti beneficii tanti memoriam idem Pontifex Pius V. ordinavit, ut Litaniis B. Mariae Virginis versus: 'Auxilium Christianorum' insereretur et anniversarius huius certaminis dies honori 'Mariae Victricis' festus haberetur, quem Gregorius XIII. titulo Rosarii consecravit.[1]) Notandum est, quod idem S. Pius V. duobus annis ante totius Orbis Christifideles ad preces Rosarianas fundendas enixe excitaverat his verbis: „Nos quoque illorum Praedecessorum vestigia sequentes, militantem hanc Ecclesiam divinitus Nobis commissam his temporibus tot haeresibus agitatam, tot bellis pravisque hominum moribus atrociter vexatam et afflictam cernentes, lacrymabundos, sed spei plenos, oculos in montem illum, unde omne auxilium provenit, levamus et singulos Christifideles ad simile faciendum benigne hortamur et monemus. Utque facilius modus ille, scil. orandi Rosarium etc.“[2])

Gregorius autem XIII. decrevit: „Animadvertens quoque, eadem die septima, quae tunc fuit dies Dominica prima dicti mensis octobris, Fraternitates omnes sub dicti Rosarii nuncupatione militantes per universum orbem iuxta earum laudabilia instituta et consuetudines processionaliter incedentes, pias ad Deum preces effudisse, quas per intercessionem Beatissimae Virginis ad dictam victoriam consequendam multum profuisse pie credendum est, operae pretium Nos facturos esse existimavimus, si ad tantae victoriae coelitus procul dubio concessae memoriam conservandam

1) S. Pius V. Salvatoris d. 5. mart. 1572. Gregorius XIII. Monet Apostolus d. 1. apr. 1573. Clemens XI. Urbis et Orbis d. 3. oct. 1716.
2) Consueverunt d. 17. sept. 1569.

et ad gratias Deo et Beatissimae Virgini agendas festum solemne sub nuncupatione Rosarii in prima Dominica mensis octobris singulis annis celebrandum instituerimus. Quo circa motu proprio et de Apostolicae potestatis plenitudine ad laudem Dei et Domini nostri Iesu Christi eiusque gloriosae Virginis Matris tenore praesentium decernimus, ut de cetero perpetuis futuris temporibus qualibet prima die Dominica mensis octobris per universi orbis partes in illis videlicet ecclesiis, in quibus altare vel capella Rosarii fuerit, ab omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus festum solemne sub nuncupatione Rosarii praedicti sub duplici maiori officio ad instar aliarum solemnium festivitatum celebretur et sanctificetur eademque die Officium de Beatissima Virgine novem lectionum more ecclesiastico persolvatur et recitetur."[1])

3) „Item de innumeris Turcarum copiis in Hungaria [apud Temesvariam], die 5. augusti, hoc est, festo dedicationis S. Mariae ad Nives, anni 1716, victoria virtute Ss. Rosarii reportata est ab exercitu augustissimi Caroli VI., Romanorum regis in Imperatorem electi [duce fortissimo principe Eugenio]. Insignis haec victoria obtenta fuit eo ferme tempore, quo confratres Sodalitatis Rosarii publicam processionem in hac Alma Urbe, magno populi concursu et singulari devotione peragentes, pias ad Deum preces pro Turcarum depressione effundebant atque ad id validissimum Deiparae Virginis patrocinium in auxilium Christianorum humiliter implorabant."[2])

4) Victoria quarta de Turcis, crudelissimo inimico nominis christiani. Clemens XI. „perpendens civitatem

1) Monet Apostolus d. 1. april. 1573.
2) S. R. C. Urbis et Orbis d. 3. octob. 1716.

et arcem Corcyrensem paulo post, videlicet in octava festi Assumptionis Ss. Virginis praedictae [1716] ab immanissima eorundem Turcarum oppugnatione feliciter liberatam fuisse, adeoque nedum praeclara haec beneficia eiusdem Deiparae, ut pie credendum est, intercessione nobis a Domino collata fuisse, verum etiam sub illius praesidio praesertim Christifidelibus Rosarium praedictum iuxta adhortationes dudum iussu Sanctitatis Suae factas, quotidie ac devote recitare pergentibus feliciores in dies eventus christianis armis sperari merito posse; ut corda fidelium erga ipsam gloriosissimam Virginem vehementius inflammentur gratiarumque coelitus concessarum memoria nunquam exstinguatur, decretum Congregationis praedictae benigne approbavit ac Officium proprium sub ritu duplici maiori nec non Missam Rosarii die illius festo, nempe Dominica prima octobris, ab universis Christifidelibus, qui ad horas canonicas tenentur, singulis annis recitari et respective celebrari ac in Breviario et in Missali Romano apponi mandavit."[1])

Quae quatuor victoriae splendidissimae ab ipsa Ecclesia Reginae Ss. Rosarii expresse attribuuntur et singulis annis Breviario in memoriam omnium revocantur cum exhortatione sequenti: „Sanctissimam ergo Dei Genitricem cultu hoc eidem gratissimo iugiter veneremur, ut, quae toties Christifidelibus Rosarii precibus exorata terrenos hostes profligare dedit ac perdere, infernos pariter superare concedat." Ibi etiam habetur: „aliique Pontifices Rosarium recitantibus eiusdemque Rosarii sodalitatibus [i. e. Confraternitatibus] indulgentias pene innumeras concessere."[2])

1) S. R. C. Urbis et Orbis d. 3. octob. 1716.

2) Breviarum Romanum, die prima Dominica octobris.

Alias etiam victorias mediante Rosario consecuti sunt populi. Cum anno 1475 civitas et dioecesis Coloniensis gravibus bellis premeretur, imperator Fridericus III. eiusque hostis Carolus Audax, dux Burgundiae, insperatam pacem paulo post composuerunt utroque confitente, Reginam Ss. Rosarii sua intercessione magnam sanguinis effusionem prohibuisse pacemque firmissimam conciliasse.*)

Franciscus I., rex Franciae, nactus victoriam anno 1515 apud Marignano de Helvetiis gloriosam, in gratiarum actionem aedificavit monasterium ea intentione, ut ibi die noctuque Rosarium persolveretur.

Sigismundus I., rex Poloniae, Moscovitis devictis apud Osran, instituit Leone X. Papa approbante, ut dies anniversarius huius victoriae in toto regno Reginae Ss. Rosarii sacer celebraretur.

Ludovicus XIII. victoriam, de calvinistis Hugenottis apud La Rochelle 1628 ita reportatam, ut devicti inde omnem potentiam amiserint, Ss. Rosario obtinuit. Scripsit enim Reginae matri suae Mariae de Medicis, ut pro bono eventu impetrando orationes in honorem B. Mariae Virginis instituerent. Monente Priore Conventus Praedicatorum Pariensis ipsa adiit Archiepiscopum, qui ordinavit, ut die 20. maii 1627 et deinceps singulis sabbatis in ecclesia Fratrum Praedicatorum devotiones Rosarianae publice haberentur. Quibus devotionibus Archiepiscopus ipse praesidebat. Astabant regis mater Maria, regina Anna, Ludovici uxor, plurimi Cardinales, duces, praelati immensaque multitudo fidelium. Quae cum regi annuntiata essent, ipse petiit, ut inter milites Rosaria distribuerentur ad

*) Cfr. supra pp. 89 seqq.

preces illas quotidie persolvendas. Plusquam 15,000 coronae sic distributae sunt. Hoste contrito rex Reginae Ss. Rosarii multis modis gratias tribuit.[1]) Quod Universitas Sorbonensis approbat: „In veritate testamur, maiorem nostrae Galliae partem purgatam manere a pestilenti lue haereticorum per Rosarium S. Dominici."

Ferdinandus, rex Aragoniae, fundaverat circa annum 1414 ad debellandos Mauros Ordinem quendam „militarem de Rosario", cui propter lilium, quod cum imagine Reginae Ss. Rosarii eius insigne erat, etiam „Ordo de Lilio" nomen fuit.[2]) De quo Gregorius XIII. scribit: „Confraternitas militum Hispaniorum ... Ligae Italiae [?] nuncupatorum sub invocatione Rosarii Beatae Mariae Virginis, ad quam dilectus filius Petrus Batan Hispanus ac capitaneus dictorum militum et dictae Confraternitatis confrater singularem gerit devotionis affectum, canonice instituta existit."[3]) Hic Ordo Mauros eiecit ex Hispania. Quare Universitas Salmanticensis declaravit: „Rosarium regalis Ordinis Praedicatorum Hispaniarum regna confirmavit in fide catholica."[4])

In vita S. Rosae, Ordinis Praedicatorum, quae inter Sanctos Americanos prima fuit canonizata, legitur, Christianos Peruae anno 1531 in proelio contra paganos incepto Reginam Ss. Rosarii invocasse statimque B. Virginem apparuisse. Quo miraculo obstupefacti pagani arma deiecerunt et baptismum petierunt.[5]) Catholici vero Reginam hanc coelestem sub titulo Rosarii

1) Mespolier, Ord. Praed.: Exercices spir., Paris 1703. Scanzio: La divozione del Ss. Rosario. Torino 1794.

2) Annales Abrahami Bzovii tom. XV.

3) Salutem d. 11. octobr. 1576.

4) P. Morassi Ord. Praed. ediz. 2. Casal-Monferrato 1872 p. 488.

5) Marchese, Diario 7. oct. — Bertolini, vita di s. Rosa c. 20.

elegerunt totius regni Peruani Patronam et Protectricem, et ut singulis annis Dominica in Albis in eius honorem solemnis processio duceretur per urbem, decreverunt.

De victoria apud Viennam vide supra p. 314.

In numero victoriarum et emolumentorum Ss. Rosarii auxilio partorum haec quoque habenda sunt:

„Liberavit nos Deus a peste, fame et bello per Mariam Rosarii, unde in Dominam et Patronam eam accipimus.“[1])

„Inimici pugnaverunt contra nos, sed Maria Rosarii fuit Victoria nostra.“[2])

Urbs Rottweil in Wirtembergio, anno 1643 a Suecis obsessa et interventu Reginae Ss. Rosarii, quae in ecclesia Ord. Praed. pluries et omnibus manifesta apparuerat, liberata, anno 1743 diebus 10. — 18. novembris, solemnissimum celebravit centenarium in honorem coelestis Protectricis, cui haec dedicavit chronogrammata:

„1. VIDens respeXIt affLICtIoneM popULI sUb IUgo sUspIrantIs.

2. AUXILIatUs est oCULUs MeIs DeVotIs.

3. TrIbULatIones Vestras IntUetUr, ClaMores RosarII aUDIet et IUVabIt.

4. MarIa preCes RosarII eXaUDIet et LIberabIt aUXILIo opportUno.

Gratus Mariae, Sacratissimi Rosarii Reginae, Senatus Populusque Rottvilanus.“[3])

„Non duces, non vires, non arma, sed Maria Rosarii fecit nos victores.“ Senatus Venetus de vict. nav.

---

1) Universitas Bonon. ex Litt. eiusd. Univers; vide infra p. 331.

2) Ex litt. Congr. Rosarii Papiensis.

3) Ex archivio eccl. paroch. Rottw. et libro: 'Schatz-Kammer' etc.

In libro: 'Schatzkammer des Heiligeu Rosenkrantzes', 2. Aufl. Kempten, 1690, et aliae victoriae ex annis 1590—1656 longe lateque describuntur et testimoniis confirmantur parte II. pp. 244—304, scilicet, ut omnes ibi relatas adducam, victoriae reportatae annis 1213 de Albigensibus apud Muretam, 1571 de Turcis apud Lepanto, 1578 Gandavi, ubi novatoribus repulsis Catholici, vulgo 'Pater-noster-Knechte' seu servi Rosarii nominati, fidem regni Belgii confirmaverunt: 1590 in mari mediterraneo de Turcis, cuius victoriae tabulam Barcelonae in capella Ss. Rosarii pinxerunt victores. Anno 1600 Lusitani ad insulam S. Helenae Indos piratas Rosario vicerunt. Sueci auxilio Rosarii repulsi sunt annis 1633 a Constantia et Villingen, 1634 ab Ueberlingen, 1643 a Rottweil, 1646 ab Augusta Vindelicorum (Augsburg), 1656 a Vilmergen et Rapperswyl.

Consideratis tot tantisque historiae testimoniis admiremur sapientiam Sanctissimi Patris nostri Leonis XIII., gloriose regnantis, qua ad liberandam Ecclesiam servitute ubique nunc devinctam, mendaciis, contumeliis, apertis persecutionibus, fallaciis, expilationibus, exiliis afflictatam, medium et remedium fortissimum ac saluberrimum perspexit, Ss. Rosarium eiusque Confraternitatem digne exaltavit eorumque honorem in conspectu totius Orbis terrarum Apostolicis diplomatibus restituit.

II.

A Sanctis colitur Ss. Rosarium.

Rosarium ex omnium consensu est scala quaedam spiritualis, quae ducit ad perfectionem evangelicam, imo ad ipsam sanctitatem. Quapropter nihil mirandum, quod Sancti et Electi Dei Psalterium Marianum cum summis laudibus exaltaverunt, tum ipsi frequentissime ac devotissime illud persolverunt.

Ac primum quidem omnes Sancti et Beati Ordinis Praedicatorum ipsum S. Patriarchum Dominicum secuti sunt sicut in omnibus heroicis virtutibus, ita etiam in admirabili devotione erga Ss. Rosarium. De reliquis Sanctis liceat afferre pauca.

S. Franciscus Seraphicus, fundator Ordinis Fratrum Minorum celeberrimus et Sancti Patris nostri Dominici amicissimus, in Rosarii Virginis exercitio assidue occupabatur illudque toti Ordini summopere commendabat.

S. Carolus Borromaeus Archiepiscopus Cardinalis quotidie genuflexus persolvit Rosarium. In ecclesia Metropolitana erexit Confraternitatem. Voluit, ut milites quotidie congregati Rosarium „quod militibus, bello contra Turcas suscepto, olim praescriptum fuit," dicerent, et commendavit idem saepius omnibus dioecesanis.*)

*) Ex Litt. pastor. d. 20. dec. 1577.

S. Franciscus Salesius Episcopus dicit: „Rosarium est optimus orandi modus et obtinet primum locum inter ceteras orationes non praescriptas. — Recita illud quotidie cum devotione; porta illud tecum in signum desiderii, te velle servum Dei et B. Mariae Virginis esse.“ Ipse quotidie per totam horam huic devotioni incumbebat. Moribundus petiit, ut Rosarium quasi scutum solidum contra diabolum sibi brachio alligaretur.

S. Alphonsus de Liguorio Episcopus parochos excitavit, ut singulas paroeciarum familias ad quotidianam Rosarii recitationem inducerent. Idem missionariis et praedicatoribus intimavit. Saepius in die Psalterium Marianum persolvebat pro certo habens, de hac devotione suam salutem pendere.

B. Gregorius Barbarigo Episcopus Cardinalis ordinavit, ut parochi in omnibus ecclesiis ad signum campanae singulis diebus Rosarium singulisque festivitatibus post Vesperas totum Psalterium Marianum persolverent cum populo.

S. Philippus Nereus et Ignatius de Loyola in lectulo semper tenebant Rosarium, ut evigilati statim illud recitare inciperent.

Ex Societate Iesu S. Aloysius de Gonzaga vocationem suam Rosario debebat; S. Stanislaus Kostka moriens magnam consolationem ex Rosario hausit; B. Ioannes Berchmanns moribundus Societatis regulam, Crucifixum Rosariumque manibus tenens exclamavit: „Illa tria sunt mihi carissima, cum ipsis libenter moriar.“ B. Petrus Canisius, Germanorum Apostolus, S. Franciscus Xaverius, S. Franciscus de Borgia, B. Alphonsus Rodriguez eiusdem Societatis zelatores Ss. Rosarii erant.

S. Theresia scribit: „Rosarium mirabiliter aptum

est, ut fideles a vanitate mundi abstrahat. — Hausi ex illo affectus maxime dulces ac suaves, ad unionem cum Deo efficacissimos et potentissimos."

S. Camillus de Lellis videns sacerdotem, qui se Rosarium habere negabat, obstupefactus exclamavit: „Heu, heu, quid est hoc? En sacerdos sine Rosario, sacerdos sine Rosario!"

S. Paulus de Cruce confitebatur: „Rosarium recitabo, donec vivam; et si labiis praestare hoc non potero, corde id faciam!"

S. Bernardinus Senensis, S. Franciscus de Paula, S. Vincentius a Paulo, S. Iosephus Calasanctius, S. Felix Capucinus, B. Margaretha de Alocoque, B. Iosephus Labre, Ven. Ioannes Derossi Canonicus, Ven. Wittmann Episcopus, Ven. Ioannes Maria Vianney, parochus de Ars, multique alii Rosario addictissimi erant.

Item S. Antonius Paduanus, qui aliquando in mediis agris deprehensus est imbre; cum nihil occurreret, quo se tegeret, Rosarium suum capiti imposuit, deprecans Virginem Deiparam, ut a se pluviam arceret. Res mirissima! Vix protulerat verba et ecce, velut si Rosarium in tectum amplissimum solidissimumque conversum fuisset, ita eum texit ac protexit, ut ad urbem usque progressus sit, nec levi quidem pluviae gutta respersus.[1])

Elegimus supradictos, quia inter Sanctos praeclarissimi, omnibus noti et, paucis exceptis, fundatores religiosorum sunt Ordinum et Congregationum.[2])

---

1) Ex Chronico Minor. et Hortulo Mariano p. 65.

2) Quantum vero Religiones ad fidem in cordibus paganorum plantandam, augendam, conservandam Rosario contulerint et quotidie conferant, luce clarius apparet ex ephemeridibus 'de propaganda Fide', 'de Rosario', etc. editis. De Missione insularum Philippinarum Provinciae Ss. Rosarii, ab Ordine Praedicatorum pro Tonkin centrali et orientali

Quid dicam de innumeris Religiosis, qui ex sancta sua regula plerumque hoc Rosarium quotidie persolvere tenentur? quid de infinita multitudine confratrum et consororum, qui hac devotione salvi facti sunt? Audiamus P. Croiset S. I.:

„Sancta Rosarii Confraternitas, in universo mundo celeberrima quasi signum praedestinationis pro omnibus confratribus facta est. Revera, quae devotio Deo carior, quae coram B. Virgine efficacior esse possit! Non invenitur Confraternitas, quae Matri Dei dedicata celebrior, quae Christianis utilior, quae ab Ecclesia magis esset approbata. Quo zelo reges et populi eam amplexi sunt! Quot victorias de hostibus fidei, quas reformationes morum, quantam pietatem in omni statu haec solida Confraternitas produxit ubique terrarum!"*)

„Devotiones in Ecclesiam Dei sancte introductae permultae sunt, et omnes magni aestimo, si sunt approbatae; illas vero plurime laudo, quae pietatem veram et solidam exercent. Sed firmam persuasionem habeo, devotionem Ss. Rosarii esse nobilissimam in se, carissimam B. Virgini nobisque utilissimam atque efficacissimam. Dici potest, Rosarii devotos esse filios bonae spei. Si bona considero, quae B. Virgo illis praestitit, quae illis praestat, quae illis praestabit in hac vita et aeterna, verbum illud sapientiae mihi in mentem venit: „Subest tibi, si volueris, posse etc. et bonae spei fecisti filios tuos." (Sap. 12, 19.) Quare confratres Ss. Rosarii per intercessionem S. Mariae exaudiuntur in omnibus necessitatibus suis. Propterea amplius non miror de illo Ven. Alani: „Habentibus hanc de-

saeculo XVI. fundata, agit R. P. Andreas Maria Ord. Praed. in opere: Missions Dominicaines dans l'Extrême Orient, 2 tom. Paris, rue Casette 1865.

*) Exercitia pietatis 7. octobr.

votionem signum est permagnum praedestinationis ad gloriam.“ Si es innocens, recita devote Rosarium, cum bona voluntate innocentiam conservandi. Si es poenitens, recita devote Rosarium cum bona voluntate perseverandi in poenitentia. Si es peccator, recita devote Rosarium cum bona voluntate te convertendi ad Deum. Nec dubites, quin Beatissima Virgo inter filios suos devotos te recipiat et mirabiliter adiuvet in omnibus status tui periculis.“[1])

In supradictis P. Croiset et P. Caietanus, cum plurimis aliis Rosarium declarant signum quoddam praedestinationis. Quae veritas facillime probatur ex omnibus, quae iam diximus et adhuc dicemus. „Veniunt enim devotis confratribus Ss. Rosarii Confraternitatis ‘omnia bona pariter cum illa’, videlicet bonorum spiritualium omnium confratrum participatio, frequens in Christi et dignissimae Matris eius laudibus exercitatio, tuta contra antiquum hostem animarum nostrarum protectio, grata et accepta Christo et Matri suae oblatio, contra omne malum et peccatum firma tuitio et defensio, ab aeternis incendiis singularis praeservatio, aeterni gaudii finalis consecutio et conclusio, et, ut paucis epithalamium complectar totum, ipsa nunquam satis per me laudata Confraternitas infinitus est thesaurus hominibus, quo qui digne utuntur, participes amicitiae Dei efficiuntur, hic quidem per gratiam et in futuro per gloriam. Ad quam nos perducat, qui in Trinitate perfecta vivit et regnat. Amen.“[2])

1) P. Cajetanus de Bergamo Capucinus, celeberrimus scriptor.

2) Ita doctissimus P. Guill. Pepin, Ord. Praed.: Rosarium Aureum. Venetiis 1592, p. 408.

III.

De miraculis Rosario patratis.

„Libri autem gravium auctorum, qui de Rosario scripserunt, pleni sunt innumeris gratiis et miraculis, quae fecit clementissima Virgo intuitu huius devotionis etc.“[1])

Revera, nulla est devotio, nulla Confraternitas, quae similibus ac Rosarium gaudeat excellentiis, quae tam evidenter probet, Sanctissimam Virginem in Ecclesia esse „Matrem pulchrae dilectionis et timoris et agnitionis et sanctae spei.“[2]) Unde haec divina mater in veritate potest dicere sensu accommodatitio cum Filio suo, Domino nostro: „Euntes renuntiate [omnibus], quae audistis et vidistis. [Virtute Ss. Rosarii] caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur;“ et sensu proprio: „Beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me“[3]) ratione Rosarii eiusque simplicitatis. Immo ad suum Rosarium ipsa Virgo omnia a Salvatore dicta applicare potest, quia praedicatio Rosarii eodem modo, quo Evangelium, cuius est compendium, „confirmatum est sequentibus signis.“[4])

1) Ita P. Quarti; vide supra p. 307, cum illoque plurimi alii.
2) Eccli 24, 24.
3) Matth. 11, 4 seqq.
4) Marc. 16, 20.

Quare legimus in Breviario:

„Sed ipsa potissimum divini huius [Ss. Rosarii] instituti inventrix Deipara Maria hoc idem mirifice fovet et amplificat, cultores eius innumeris gratiis cumulat et clarissimis miraculis illustrat. Hanc itaque Sanctissimam coelorum Reginam Dei Matrem et peccatorum advocatam sub hoc saluberrimo ritu assidue veneremur tantaque in nos per Sacrosanctum Rosarium liberaliter ab eius Filio collata beneficia grata memoria ita prosequamur, ut eius tandem uberes fructus in coelesti regno perpetuo consequi mereamur.“*) Conferas etiam effata Alexandri Legati et Leonis X. pp. 99 – 101.

Ex his miraculis duo tantum proponamus.

1) „Cum anno 1578 tota Italia, maxime autem ea pars, quae Lombardia dicitur, vehementissima peste deflagraret, Primores civitatis Papiensis, quo urbi suae inter ceteras gravius afflictae succurrerent, adhortante quodam ferventi concionatore, Fraternitatis Rosarii tum ibidem Praefecto, ad B. Virginem de Rosario velut ad anchoram quandam confugerunt, facto voto: ut si eius ope a tam calamitoso morbo eriperentur, sese egregium sacellum Virgini liberatrici a fundamentis erecturos. Audiit misericordiae Mater et exaudiit. Subito namque stetit pestis ac veluti neminem amplius contingere ausa, brevi penitus sublata est. Inde laetitia et gratiarum actio: ac solvendi voti causa sacellum apud F F. Praedicatores Virgini Matri octodecim millibus ducatorum erexerunt atque ad perpetuam rei memoriam processionem quotannis magno apparatu tertia Dominica Aprilis faciendam decreverunt, in qua imago B. Mariae de Rosario solemniter circumferretur.

„Huius autem miraculi oculatus testis fuit Rms P.

*) Ex Brev. Ord. Praed. die octava festi Ss. Ros. lect. IX.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Seraphinus Siccus, Generalis Ordinis Praedicatorum Magister, prout constat ex eius relatione anno 1619 in quodam Hispaniae Conventu nostro, nomine Carboneras, deposita."[1])

Ad hoc ingens miraculum referenda sunt effata haec: „Perpetuo voto vovimus Virgini Rosarii, quia Deus per ipsam salvos nos fecit a peste."[2])

Item, quae supra p. 322 not. 2. et 3. ab Universitate Bonon. facta sunt.

2) Carolus Emmanuel IV., rex Sardiniae, testatur in litteris Magistro Generali Ord. Praed. proprio motu transmissis[3]), se virtute Ss. Rosarii a morte violenta liberatum esse. „Semper, inquit, credidi hunc eventum esse verum miraculum vel saltem specialem Sanctissimae Virginis gratiam. Quapropter officii mei esse duxi, de hoc te certiorem facere, cum praedicare devotionem Ss. Rosarii ad Ordinem tuum proprie pertineat."

1) Alph. Fernandez lib. 6. c. 14, et P. Thomas Leonardi in suo: Thesaurus gratiar. Ss. Ros. Lovanii. 1646.

2) Ex litt. Confr. Ss. Ros. Papiensis.

3) Lettera di Sua Maestà Carlo Emmanuele IV., già Re di Sardegna, da lui indirizzata mentre dimorava in Roma al Maestro Generale dell' Ordine dei Predicatori il 16. ottobre 1816 e stampata poi nella stessa città l'anno medesimo colle rechieste licenze. Ita Morassi, textum referens: Reverendissimo Padre. Trovandomi il giorno della Madonna Santissima del Rosario alla chiesa del Gesù, ed udendo la predica della Missione Urbana, nella quale il predicatore parlava de' miracoli e grazie concedute da Dio a quelle persone che praticavano la divozione del Santo Rosario, mi venne in mente, che nell' anno 1797, il giorno primo del mese di Giugno mi portai colla felice memoria di mia moglie [Maria Clotildis], con mia zia morta in Roma, ed il mio terzo fratello, il Duca di Monferrato, mi portai dissi, dal castello della Venerìa reale, ove ci trovavamo in campagna, al castello di Rivoli, a fare una visita al Re presente, mio fratello, ed alla Regina mia cognata, che ivi si trovavano a villeggiare. Il paese era agitatissimo per i guai di quei tempi, cfino allora il fuoco era sotto la cenere; ma poco doppo scoppiò con molte rivolte in diverse città del Piemonte. Doppo pranzo partimmo per ritornare al nostro soggiorno senza sapere il pericolo orrendo al quale andavamo incontro. Eravamo noi quattro sunnominati soli in carozza

Unde Cornelius a Lapide docet: „Beata Maria Virgo ipsa praeest in conciliis et piis congregationibus ipsius nomine et honore erectis, ex quibus admirabilis in totam Ecclesiam redundat fructus, adeoque experientia docet, per hosce coetus multis in locis fidem orthodoxam restitutam, pietatem avitam revocatam, accensum bonorum omnium studium et zelum. Id liquet ex Sodalitate Rosarii, quam iussu B. Virginis S. Dominicus, Ordinis Praedicatorum fundator, instituit, per quam ipse mira in omni hominum genere ad Dei gloriam effecit et etiamnum per sui Ordinis alumnos efficere pergit.“*) Revera S. Dominicus Rosario mira fecit plurima, ita ut Malvenda, eius vitam describens, exclamet: „Tot tantaque miracula virtute Ss. Rosarii signata sunt.“

---

con qualche servo, ma senza alcuna scorta di soldati o guardie. Alla voltata della strada grossa di Rivoli, d'onde c' introducevamo in istrada più solitaria e poco battuta, uno di noi, che più non mi ricordo chi fosse suggerì agli altri tre di recitare il *Rosario*, cosa che fu accettata con piacere, e tirammo via felicissimamente sino al castello delle Venerìa. Appena arrivati, ricevei una staffetta da Torino per avertirmi, che sulla strada che doveva fare, mi aspettavano certi sedizziosi armati con uno scritto in mano, calamaio e penna per forzarmi a firmare un atto di renunzia a favor del popolo, ed in caso di resistenza da mia parte ci volevano rapire e condurre alla cittadella di Torino, non aspettando la città altro che questo per rivoltarsi. O la staffetta partì troppo tardi, o noi partimmo da Rivoli troppo presto; il fatto fu, che da noi si passò per quel luogo ove erano i detti sediziosi armati e questi non ci videro o furono sbigottiti da qualche cosa veduta; insomma noi giungemmo sani e salvi alla Venerìa: e nella notte e nell' indomani i detti malandrini furono arrestati e si venne sempre più in chiaro dello attentato che meditavano; e due dei capi di essi subirono la pena della morte, quantunque il più colpevole la scampò. Siccome ho sempre creduto questa cosa un vero miracolo o almeno una grazia grande della Madonna Santissima, mi credo in dovere di palesarlo a chi per proprio istituto predica la divozione del Ss. Rosario. Prego V. P. Reverendissima, di essere persuasa del rispetto e stima colla quale mi dico ecc.

Carlo Emmanuele.

*) Comment. ad Prov. VIII. v. 12.

Quae omnia optime concordant cum revelationibus, quas venerabilis Alanus a Christo Domino et B. Maria Virgine accepisse affirmat, ex quibus aliquas afferam:

„Est Psalterium Marianum corona gloriae, constans gemmis meritorum et auro charitatis.

„Quidquid per Rosarium petieris, impetrabis.

„Praedica Rosarium, quod est scutum contra tela inimicorum, murus Ecclesiae Dei et liber vitae.

„Omnes ad Rosarium meum invita et magnos animarum fructus colliges.

„Habentibus devotionem ad Ss. Rosarium est signum ordinationis et praedestinationis ad gloriam.

„Toties B. Maria Virgo coronatur, quoties in Rosario salutatur.

„Volo, ut Psaltae mei, i. e. qui Rosarium recitant, in vita et in morte habeant illuminationem, plenitudinem gratiarum ac libertatem.

„Qui Rosarium meum recitant, sunt filii mei et confratres Iesu Christi, Unigeniti mei.

„Ego impetravi a Filio meo, ut omnes Confraternitati Rosarii adscripti et in vita et in morte tota curia coelesti utantur tamquam confratribus.

„Post sacrosanctum sacrificium Missae Rosarium est omnium mihi gratissimum.

„Quamdiu durabit hoc Psalterium Marianum in Ordine Praedicatorum, tamdiu florebit in ipso sapientia, observantia, miraculorum fama et gloria apud Deum et homines.

„Non peribit commendans animam suam mihi per Rosarium.“

Aliae revelationes a. B. Virgine aliis factae:

„Noli timere, fili mi, quia ego tecum sum et sa-

num te feci; surge de lecto et praedica Rosarium meum, et ego tibi favebo."

„Perge, filia, in Rosario meo; ego tuis et omnium in eo mihi servientium adero necessitatibus."

„Quoties recitatur Rosarium Matris meae, toties refrigerantur plagae meae."[1])

„Qui in Ss. Rosarii Fraternitate degunt, praeservantur aut curantur plerumque a multis infirmitatibus, custodiuntur aut liberantur a plurimis periculis, facilius resurgunt a peccatis, citius et plenius satisfaciunt pro commissis malis, recidunt in peccata rarius, contra tentationes daemonis triumphant expeditius, praesentem miseriam tolerant patientius et iucundius, faciunt pacem, opera virtutum et merita augmentant, cultum divinum ampliant, preces suas facilius exaudiri faciunt, frequentius Deum et Sanctos auxiliatores habent, testimonium salutis multiplicant, finalem perseverantiam facilius acquirunt, ab inferno magis praeservantur, a purgatorio citius liberantur, in extremis iudicem securius expectant, vitam aeternam facilius adipiscuntur, Deum in futura vita clarius vident, Deo delectabilius fruuntur, de pluribus in aeterna vita gaudent."[2]) Vel ut scribit B. Alanus, „Psalterium Marianum

P Peccatoribus Praestat Poenitentiam,
S Sitientibus Stillat Satietatem,
A Alligatis Adducit Absolutionem,
L Lugentibus Largitur Laetitiam,
T Tentatis Tradit Tranquillitatem,
E Egenorum Expellit Egestatem,
R Religiosis Reddit Reformationem,
I Ignorantibus Inducit Intelligentiam,
U Vivis Vincit Vastitatem,
M Mortuis Mittit Misericordiam."

1) Leon. Fossaeus: De Ros., Friburg. 1640, p. 27.
2) Christus ad B. Henricum Suson.

Non abs iure igitur Confraternitas Leodiensis hoc habuisse fertur proverbium: „Sodalitates sua dignitate fructuque superat nobilissima Rosarii Sodalitas.“ Et Iodocus Beysselius, Patricius Aquensis,[1]) docet: „Haec Societas aliarum omnium videtur in se complexa divitias.“ Item Fossaeus[2]): „Confraternitas Ss. Rosarii omnes aliarum id genus societatum perfectiones, virtutes, fructus, utilitates laudesque et encomia nobiliori quodam modo in se continet.“

Extremum huius capitis sit, ut Trithemii († 1564), celeberrimi illius abbatis ex Ordine S. Benedicti, sententiam commemoremus.

„Quanto Dei Mater meritis et sanctitate reliquos Sanctos in coelo antecellit, tanto Fraternitas eius nomini dicata locum tenet eminentiorem. Unde devotione moti fideles, ut eam promptam apud Deum advocatam habere mereantur, sub nomine Rosarii ad honorem eius Confraternitatem instituerunt etc.

„Qui Fraternitatem hanc oppugnat, insanit; qui contra eam loquitur, demente dementior est; qui illam destruere nititur, saluti invidet Christianae. Temerarium est, reprehendere bonum, quod ad salutem multis cernitur provenire etc.

„Utinam, inquam, Deus omnipotens omnium Christianorum corda ad simile devotionis exercitium illuminet. Utinam ad hanc Fraternitatem rite colendam omnes mentes inflammet: quanta devotio, quanta pax, quantaque in Ecclesia catholica concordia redundare posset! Enimvero si omnes in hanc Fraternitatem concurrerent, fieri posset, ut amore Ss. Mariae a mutuis iniuriis desisterent et in observantia mandatorum Dei

1) De Rosacea Corona. Aquisgr. 1604.
2) In libro allato.

alacriores redderentur. Vere etenim Fraternitas fraternum colit et nutrit amorem; nec devotio patitur esse dissimiles, quos observantia tantae congregationis in amore fecerit esse concordes. O quis det, ut haec sancta Fraternitas per totum Christianum orbem diffusa celebretur! Ut omnes fideles in amorem divae Mariae rapiantur; et dum se in unitate sancta praeveniunt, a bellis et contumeliis mutuis, ob tantae Patronae reverentiam quiescant."

O vere beata concordia! o vere sancta sanctissimae caritatis amicitia! Beati illi, qui propagarint et defenderint te, qui receperint et coluerint te et qui permanserint in te; vivet enim anima eorum in aeternum propter te.

Ut in omni republica bene instituta aerarium est, unde tempore quovis incommodo egestati pauperum succurratur; sic est in Ecclesia, ut regno spirituali, thesaurus spiritualis, unde solvant, qui non habent. Ex hoc thesauro, qui ex superabundantibus satisfactionibus Christi et Sanctorum componitur, summus Ecclesiae Oeconomus, Christi in terris Vicarius, larga spargit in nos indulgentiarum beneficia. Sed maxime in Confraternitatem nostram Summi Pontifices se liberales exhibuerunt, magna prodigalitate indulgentias, favores, gratias in eam congesserunt. Unde merito haec Confraternitas agro evangelico comparatur, in quo thesaurus magnae existimationis absconditus est, qui a quolibet fideli confratre invenitur et emitur. Quomodo invenitur et emitur? Modicis paucisque laboribus, quos recensere libet et indulgentias et gratias enarrare.

De indulgentiis et privilegiis Confraternitati Ss. Rosarii concessis.

Indulgentiae et privilegia Confraternitatis Ss. Rosarii inveniuntur praecipue in Summariis editis et approbatis

A. ab Innocentio XI: 'Nuper pro parte', d. 31. julii 1679,

B. a Benedicto XIII: 'Pretiosus', d. 26. maii 1727,

C. a Pio IX: Summarium, d. 18. sept. 1862.

Sed antequam isti Elenchi in extenso hic reproducantur, statuenda sunt quaedam

generaliter:

I. de valore horum Summariorum seu Elenchorum;

II. de indulgentiis et privilegiis Confraternitatis non revocandis, etiamsi concessa sunt 'vivae vocis oraculo';

III. de communione indulgentiarum;

IV. de communione privilegiorum, et

specialiter:

V. de indulgentiis ab Innocentio VIII. concessis et ab Alexandro VI. duplicatis;

VI. de indulgentia 'Toties-quoties';

VII. de indulgentiis coronae hispanicae concessis;

VIII. de indulgentiis Confraternitatis, quae ab infirmis etc. acquiruntur;

IX. de Monialibus et in collegiis etc. conviventibus;

X. de applicatione indulgentiarum Confraternitatis omnium in favorem defunctorum;

XI. de translatione indulgentiarum;
XII. de translatione festi Ss. Rosarii;
XIII. de conditionibus pro indulgentiis lucrandis.

Unde agendum erit:

I.

DE VALORE SUMMARIORUM SEU ELENCHORUM INDULGENTIARUM CONFRATERNITATIS SS. ROSARII.

1) Indulgentias et privilegia in Summario Innocentii XI. contenta omnia et singula esse valida, nuperrime expresse declaratum est a Sacra Congregatione in resolutione huius quaestionis:

„Quid intelligendum est per verba subsequentia (caput VII. integrum), quae leguntur sub fine num. 2. cap.[1]) IX. catalogi indulgentiarum Ss. Rosarii a Sanctitate Sua Pio IX. confirmatarum? an per praefata verba implicite confirmentur vel implicite excludantur a confirmatione aliae indulgentiae contentae in cap. VII. Summarii indulgentiarum Ss. Rosarii ab Innocentio XI. confirmatarum in suo Brevi: 'Nuper pro parte', quae non expresse recensentur in catalogo indulgentiarum a Sanctitate Sua Pio IX. anno 1862 adprobato?

Resp.: Affirmative ad primam partem,
Negative ad secundam."[2])

Unde „decreto S. C. Indulg., quo anno 1862 Summarium indulgentiarum Confraternitatis Ss. Rosarii approbatum fuit, implicite confirmantur aliae indulgentiae ab Innocentio XI. per Breve: 'Nuper pro parte' confirmatae."[3])

2) Indulgentiae et privilegia Confraternitatis in Summario Innocentii XI. omissa, a quocunque et

1) Summarium Pii IX. non habet capita, sed §§.
2) S. C. I. die 25. febr. 1877; approbatum eodem die a Sanctitate Sua.
3) Decr. Authentic. S. C. Indulg. Ratisb. 1883. p. 544.

quomodocunque concessa, per Benedictum XIII. confirmata, innovata et de novo concessa sunt in Bulla: 'Pretiosus'.

Quae Bulla a Clemente XII. per Breve: 'Romanus Pontifex'[1]), quoad privilegia contentiosa ac iurisdictionem Episcoporum impedientia ad terminos iuris reducta, non vero revocata est. Quod idem declaravit Clemens in Brevi: 'Cum sicut'[2]) his verbis: „Per Constitutionem 'Romanus Pontifex' nullum praeiudicium esse generatum privilegiis Ordinis Praedicatorum legitime ipsi competentibus ante Constitutionem 'Pretiosus' datam et praecipue circa supplicationes solemnes Ss. Eucharistiae Sacramenti et Ss. Rosarii."[3])

3) Deinde Ss. Rosarii indulgentias omnes confirmavit Pius IX. „praevia confirmatione singularum indulgentiarum, quae per gloriosos praedecessores suos tam sodalibus Confraternitatis Ss. Rosarii, quam universis Christifidelibus Rosarium recitantibus fuerant elargitae."[4])

4) Denique indulgentiae et privilegia huius Confraternitatis a Pio IX. in Summarium d. 8. sept. 1862 redacta sunt eo fine, ut sit quasi index eorum, quae in magno Innocentii XI. Summario aliisque subsequentibus Romanorum Pontificum concessionibus contenta inveniuntur; quod apparet primo intuitu ex simplici utriusque Summarii collatione. Hoc compendium brevissimum esse incompletum, S. Congregatio Indulgentiarum aperte fatetur, ut vidimus supra No. 1; id etiam probatur eo, quod rerum quarundam magni momenti,

1) d. 30. mart. 1732.
2) d. 10. april. 1733.
3) Cf. etiam S. C. I. d. 30. april. 1734 et. Summ. Pii IX. § IV. No. 3 in fine.
4) S. C. I. d. 12. maii 1851.

imo et novissimarum ibi nulla exhibetur mentio, v. gr. decreti S. C. I. d. 14. aprilis 1856, quo declaratur, indulgentiam quinque annorum et quinque quadragenarum, quae ibi recensetur § IX. No. 3 in fine, pro *unaquaque* invocatione Nominis Iesu in recitatione Rosarii solita esse concessam. Insuper compendium hoc interdum intelligi non potest absque Summario Innocentii, exempli causa § VII. No. 1; nihilominus valde utile est propter declarationem indulgentiae: 'Toties-quoties' in festo Ss. Rosarii lucrandae § IV. etc. etc.

Indulgentiae ergo et privilegia, non solum ea, quae his Summariis exhibentur, sed etiam omnia et singula, a quocunque concessa et non amplius nota, sunt vera et valida, etiamsi vivae vocis oraculo obtenta existunt, de quo infra fusius. Confirmationes igitur novissimae et supra allatae idem valent ac ista S. Pii V:

„Singula indulta, indulgentias, peccatorum remissiones, relaxationes, immunitates, privilegia et alias gratias per quoscunque Romanos Pontifices etc. Confraternitatibus sub dicto Rosario institutis et illorum ecclesiis seu altaribus aut capellis vel confratribus etc. sive in genere vel in specie, quam alias quomodolibet, etiam pluries confirmata et innovata, quorum omnium et singulorum tenores et compendia praesentibus haberi volumus pro expressis et insertis, eadem auctoritate harum serie perpetuo confirmamus et approbamus ac illis perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus. Necnon potiori pro cautela, praemissa omnia eisdem modo et forma, quibus concessa reperiuntur, etiam in perpetuum innovamus.“*)

*) Consueverunt d. 17. sept. 1569.

II.

INDULGENTIAE ET PRIVILEGIA CONFRATERNITATIS REVOCARI NON POSSUNT, NISI FACTA DE EISDEM SPECIALI MENTIONE.

1) „Nos Laurentius miseratione divina Episcopus Praenestinus, Cardinalis Sanctorum Quatuor ac Maior Poenitentiarius. Universis et singulis praesentes has nostras patentes litteras inspecturis fidem facimus et attestamur, quatenus Sanctissimus in Christo Pater et Dominus D. noster Clemens providentia divina Papa Septimus etc. vivae vocis oraculo nobis facto declaravit ac observari mandavit, quod omnes et quaecunque indulgentiae et peccatorum remissiones, immunitates et privilegia inquisitoribus haereticae pravitatis Ordinis Praedicatorum etc. concessa nunquam comprehendantur sive intelligantur revocata sive suspensa per quascunque clausulas suspensivas sive revocatorias, etiamsi tales clausulae essent amplissimae, fortiores et insolitae et sub quibusvis verborum formis concessis vel in posterum concedendis ab eodem Sanctissimo Domino nostro vel successoribus eius Romanis Pontificibus et Sede praedicta concedendis, nisi de praefatis inquisitoribus ac personis crucesignandis fiat specialis et expressa mentio, non autem per clausulas generales id importantes mentio facta fuerit.

„Et hoc idemmet ac eodem vivae vocis oraculo super huiusmodi nobis specialiter facto intelligi voluit de indulgentiis, gratiis, concessionibus tam 'vivae vocis oraculo' quam quocunque alio modo a Romanis Pontificibus concessis et concedendis his, qui sunt vel erunt de Societate Rosarii Beatae Virginis, quas Sanctitas Sua etiam de novo confirmavit, approbavit et innovavit, vetans ne sint revocatae nec suspensae, nisi facta de eisdem speciali mentione, cum talis Societas

non sit fundata in quaestu, nec in pecuniis, sed in sola communicatione bonorum spiritualium. In quorum fidem praesentes manu nostra propria subscriptas per infrascriptum secretarium nostrum fieri sigillique nostri magni appensione communiri iussimus.

Datum Romae in Palatio Apostolico, in Camera nostra solitae residentiae die 27. aprilis 1530. Pontificatus praefati Ss. Domini nostri anno VII.

Ita est. Laurentius Card. Sanctorum Quatuor, qui manu propria subscripsit. Ambrosius Cicero."

2) Verum Gregorius XV.[1]) et Urbanus VIII.[2]) omnia et singula privilegia, facultates, licentias et gratias quascunque 'vivae vocis oraculo' obtenta, quibuscunque concessa, revocaverunt ac de cetero revocata, cassata, sublata, abrogata et annullata, viribusque et effectu vacua esse et fore, nullique prorsus deinceps suffragari posse neque debere declaraverunt. Idem confirmavit idem Urbanus VIII.[3]) cum sequenti tamen exceptione.

„De Apostolicae potestatis plenitudine officiales seu ministros Sedis Apostolicae, quibus alias ante emanatas praedictas Constitutiones ex officiorum suorum auctoritate et praerogativa per eos a Romanis Pontificibus pro tempore existentibus habita fides haberi solebat quoad ea quae, ut praefertur, ad cuiuslibet eorum officium seu munus, quo fungantur, pertinent, in litteris etiam nostris praedictis super revocatione oraculorum huiusmodi emanatis minime comprehensos fuisse nec esse nec comprehendi debere declaramus et decernimus, et ad abundantiorem cautelam, eosdem officiales seu ministros adversus easdem

1) Romanus Pontifex d. 2. iulii 1622.
2) Alias felicis d. 20. dec. 1631.
3) Alias felicis d. 11. april. 1635.

Constitutiones, quatenus opus sit, restituimus et plenarie reintegramus in omnibus et per omnia, perinde ac si quoad illos praedictae Constitutiones non emanassent etc. Non obstantibus Gregorii praedecessoris huiusmodi nostrisque litteris praefatis."

Atqui Maior Poenitentiarius est officialis Sedis Apostolicae.

Ergo gratiae, privilegia etc. vivae vocis oraculo Confraternitati Ss. Rosarii facta et attestata per dictum Laurentium Cardinalem ac Maiorem Poenitentiarium non sunt revocata, sed approbata et confirmata.

3) Ex dictis duo resultant: *a*) indulgentiae etc. vivae vocis oraculo concessae et per ministros Sedis Apostolicae attestatae valent in perpetuum; *b*) indulgentiae Ss. Rosarii nunquam revocantur per quascunque clausulas revocatorias generales, nisi earum specialis et expressa fit mentio. De cetero hoc iam antea statuit S. Pius V.: Ss. Rosarii „indulgentias sub quibusvis suspensionibus, revocationibus, limitationibus similium vel dissimilium indulgentiarum etiam in favorem Cruciatae Sanctae et fabricae basilicae Principis Apostolorum de Urbe aut expeditionis contra infideles vel alias per nos et alios Romanos Pontifices praedecessores et successores nostros et Sedem Apostolicam, etiam motu proprio et ex certa scientia ac de Apostolicae potestatis plenitudine necnon consistorialiter et ad quorumvis instantiam, pro tempore factis, nullatenus comprehensas, sed semper ab illis exceptas et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas esse et censeri debere, et quas perpetuis futuris temporibus duraturas decernimus. Non obstantibus etc."*)

*) S. Pius V. Iniunctum nobis d. 16. iunii 1566 et Exponi nobis d. 27. augusti 1570.

III.

DE COMMUNIONE INDULGENTIARUM.

Omnes et singulae indulgentiae alicui particulari vel aliquibus Ss. Rosarii Confraternitatibus, ubicunque illae sunt, concessae, cuilibet Confraternitati eiusdem tituli et cuilibet respective confratri et consorori in aliqua Rosarii Confraternitate inscriptis eo ipso communicatae sunt.[1])

Proinde indulgentiae, quae in Summario Innocentii XI. cap. II. et alibi Confraternitatibus Divionensi, Utensi, Coloniensi concessae fuerunt, pro omnibus Confraternitatibus, confratribus et consororibus valent, quod numero sequenti confirmatur.

IV.

DE PRIVILEGIORUM COMMUNIONE.

Omnia privilegia, indulta etc. Confraternitatibus et confratribus Ss. Rosarii quibusvis concessa extenduntur ad omnes Confraternitates earumque sodales.[2])

Sixtus V. hac de re haec habet:

„Et potiori pro cautela omnes et singulas indulgentias, etiam plenarias, et peccatorum remissiones ac relaxationes, exemptiones, facultates, concessiones, aliaque privilegia, et indulta praedicta omnibus et singulis Confraternitatibus dicti Rosarii in quibusvis ecclesiis et capellis ac altaribus, ubicunque terrarum canonice erectis, earumque confratribus et sororibus, necnon officialibus et ministris eisdem modo et forma, quibus per eosdem praedecessores nostros, et dictae

---

1) Vide Summarium Innoc. XI. cap. I. numeris 2 et 3.
2) Vide ibidem.

Sedis Nuncios, concessa fuerunt, dicta auctoritate Apostolica de novo concedimus, innovamus ac omnibus et singulis Confraternitatum Rosarii huiusmodi confratribus et sororibus, nunc et pro tempore existentibus, suffragari debere, eosque illis perpetuo uti, potiri et gaudere posse, decernimus et declaramus.

„Et insuper etc. concedimus [Confraternitatibus erigendis], ut omnibus et singulis privilegiis, indultis, facultatibus, exemptionibus, immunitatibus, concessionibus, indulgentiis, etiam plenariis, et peccatorum remissionibus ac relaxationibus et gratiis, quibusvis aliis eiusdem Rosarii Confraternitatibus, earumque confratribus ac sororibus per praedictos et quoscunque alios Romanos Pontifices, etiam praedecessores nostros, ac etiam Nos, et Sedem praedictam, eiusque Nuncios et etiam de latere Legatos, hactenus quomodolibet concessis ac concedendis, et quibus Confraternitates huiusmodi earumque confratres et sorores quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum: pariformiter et aeque principaliter in omnibus et per omnia ac perinde, ac si illis specialiter ac expresse ac nominatim concessa fuissent, uti, potiri et gaudere libere et licite possint, pariter concedimus et indulgemus; ac privilegia, indulta, facultates, exemptiones, immunitates, concessiones, indulgentias, etiam plenarias, ut praefertur, concessas et concessa ad ipsas Confraternitates erigendas, illarumque confratres et sorores pro tempore existentes, perpetuo extendimus, et ampliamus.*)

*) Dum ineffabilia d. 30. ian. 1586.

V.

DE INDULGENTIIS CONFRATERNITATI CONCESSIS AB INNOCENTIO VIII. ET ALEXANDRO VI.

I. In Bulla Innocentii VIII., quae incipit: 'Splendor paternae', data die 26. februarii 1491[1]), haec habentur:

1) „Omnibus, et singulis Christifidelibus confratribus et consororibus conscriptis, vere poenitentibus et confessis[2]), Rosarium quinquagenarium dicentibus, *toties quoties* id dixerint, sexaginta millia annorum[3]), et totidem quadragenas[4]) indulgentiarum de iniunctis sibi poenitentiis misericorditer in Domino relaxamus.

2) „Nos denuo cupientes, ut ipsi confratres et consorores sedulius Rosarium praedictum ob Virginis Mariae reverentiam deferant et in fine cuiuslibet Angelicae Salutationis Nomen Iesus nominent; quo ex hoc dono coelestis gratiae uberius conspexerint se fore refectos, de omnipotentis Dei misericordia, ac sanctorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, volumus

---

1) Bullarium Ord. Praed. tom. IV. p. 67.

2) Qui assolent confiteri semel saltem in hebdomada possunt lucrari indulgentias omnes infra hebdomadam occurrentes. S. C. I. d. 12. mart. 1855.

3) Indulgentiae duorum vel centum vel etiam plurium millium annorum non sic accipiendae sunt, quasi animae in purgatorio tot annis mansurae supponantur; sed quia tot poenae purgatorii illis remittuntur, quot respondent poenitentiis, quae olim iniungebantur ad duos vel septem etc. annos pro singulis peccatis mortalibus. Nam cum multi centum, ducenta vel etiam mille peccata mortalia cum innumeris venialibus commisissent, debebant illi secundum Canones, si tamdiu vivere potuissent, centum annos vel plures centenos, imo plures millenos in poenitentiis agendis versari. Quando igitur Pontifex indulgentiam multorum annorum concedit, dat relaxationem a tanta purgatorii poena, pro quanta secundum Canones post tot poenitentiae annos satisfecissent.

4) 'Quadragena' dicitur relaxatio a tot poenis, quot ieiunio et aliis austeritatibus continuatis per quadraginta dies expiandae erant; quod si ieiunium in solo pane et aqua praescriptum erat, vocabatur 'Carena', a carentia.

et auctoritate Apostolica ordinamus et concedimus, ac omnibus et singulis confratribus et consororibus conscriptis, vere poenitentibus, nunc et pro tempore existentibus, Rosarium deferentibus[1]), centum annos et totidem quadragenas indulgentiarum [semel in die[2])] de iniunctis sibi poenitentiis misericorditer in Domino indulgemus.

3) „Atque etiam, si praedicti confratres Nomen Iesus in fine cuiuslibet Angelicae Salutationis nominaverint, quinque annos et totidem quadragenas similiter concedimus, praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis."

Sciendum est, indulgentiam hanc quinque annorum pro *singulis* Nominis Iesu invocationibus concessam esse, ut patet ex hac declaratione:

„Indulgentia quinque annorum et quinque quadragenarum, concessa confratribus S. Rosarii, qui pronuntiant Sanctissimum Nomen Iesu in fine cuiusque Ave Maria, estne concessa pro singula vice, qua pronuntiatur, et quomodo?

Resp.: Iuxta votum consultoris. Facta itaque per me infrascriptum Sacrae Congregationis Secretarium

---

1) Quia Rosaria sub ingressu in hanc Confraternitatem benedicuntur, necesse non fuit, ut in dicta concessione verbo „Rosarium" adiiceretur aliud „benedictum". Nec praescriptum est usquam, ut Rosarium a fratribus palam deferatur; sufficit illud semper et ubique secum habere in sacculo, quia benedictum et sanctificatum est, „ut, quicunque horum quodlibet secum portaverit atque in domo sua reverenter tenuerit etc., ab omni hoste visibili et invisibili semper et ubique in hoc saeculo liberetur"; Conf. formul. benedict. supra p. 196. Consuetudo Rosarium benedictum secum ferendi maxime commendanda est, praesertim itinerantibus, versantibus in regionibus, ubi Catholici cum acatholicis cohabitant, militantibus, omnibus denique, qui saepe extra domum et civitatem occupantur, ut in casu subitaneae mortis periculi ut Catholici recognoscantur Sacramentisque Ecclesiae muniantur.

2) Ex Summario Pii IX. § IX. no. 3.

opportuna de praemissis relatione Sanctissimo Domino nostro Pio Papae IX. in audientia diei 14. currentis aprilis, Sanctitas Sua praefatam responsionem approbans, indulgentias, de quibus agitur, pro qualibet vice, qua Sanctissimum Nomen Iesu in fine cuiuslibet Angelicae Salutationis in recitatione Rosarii a confratribus invocatum fuerit, lucrari etc., in perpetuum intelligendum esse, benigne declaravit atque auctoritate sua Apostolica concessit. Praesenti etc.

F. Card. Asquinius, Praef.
A Colombo, Secret."[1])

Unde „confratres Confraternitatis Ss. Rosarii hanc indulgentiam quinque annorum et quinque quadragenarum lucrari possunt, *quoties* in recitatione Salutationis Angelicae invocant Ss. Nomen Iesu",[2]) i. e. quoties in Rosario recitant Ave Maria more nunc ubique solito.[3])

II. Bulla vero Alexandri VI., quae incipit: Illius qui[4]) haec habet:

„Omnes indulgentias a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus concessas auctoritate Apostolica, tenore praesentium *duplicamus*, perpetuis futuris temporibus duraturis."

---

1) S. C. I. d. 14. april. 1856.

2) Decr. Authent. S. C. I. Ratisb. 1883, p. 544.

3) Finem Salutationis Angelicae tempore Innocentii VIII. formabant verba: „Fructus ventris tui." Quibus addere clausulam: „Iesus Christus. Amen." iam Urbanus IV. commendaverat, largiens omnibus vere poenitentibus et confessis, ipsam devote dicentibus, triginta dies indulgentiarum. Ioannes XXII. idem fecisse traditur. Innocentius porro VIII. eis, qui in fine huius Salutationis nomen 'Iesus' devote addiderint, indulgentiam supradictam largitus est. Postea addita est oratio: „Sancta Maria" etc. Salutationem Angelicam sic efformatam S. Pius V. primus in Breviario posuit, et ut ab omnibus hoc modo recitaretur, praecepit.

4) D. 13. iunii 1495. Bullarium Ord. Praed. tom. IV. p. 115.

Unde duabus his litteris et declarationibus cum Pii IX. tum Sacrae Congregationis allatis concessae inveniuntur confratribus Confraternitatis Ss. Rosarii:

1) confessis: 120,000 annorum et 120,000 quadragenarum indulgentiae, lucrandae toties, quoties quis Rosarium quinquagenarium seu quinque decadum persolvit;

2) Rosarium deferentibus: 200 annorum et 200 quadragenarum semel in die acquirendae;

3) Rosarium more nunc ubique solito recitantibus pro unaquaque invocatione Ss. Nominis Iesu post verba: „et benedictus fructus ventris tui", 10 anni et 10 quadragenae, i. e. 500 anni et totidem quadragenae pro singulis quinquagenis.

III. Has indulgentias impugnat auctor quidam anonymus, G. P. subscriptus, in opere, cui titulus est: 'Nouvelle Revue théologique'[1]) easque vocat apocryphas etc. Qua de causa afferre lubet declarationes et decreta firma, argumenta in favorem oppositi certa, ad quae anonymus noster haud satis animum intendisse videtur.

A. 1) Indulgentiae 60,000 annorum etc. ab Innocentio VIII. concessae habentur in Summario Innocentii XI.[2]), quod infra in extenso adducetur. Quo in Summario Innocentius XI. expresse declarat: „Praeinsertum Summarium etc. omniaque et singula in eo contenta etc. approbamus et confirmamus illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus."

2) Benedictus XIV. remittit eos, qui de authenticis indulgentiis certiores se reddere student, ad celeberrimum P. Theodorum a Spiritu Sancto, Sacrae Con-

1) Tournai apud Castermann, 1875; tom. VII. p. 55 seqq.

2) Nuper pro parte, d. 31. iulii 1679, cap. III. no. 3.

gregationis Indulgentiarum Consultorem, qui in opere suo: 'Tractatus dogmatico-moralis de indulgentiis'[1]), Summarium Innocentii XI. tamquam authenticum declarat.

3) Hae indulgentiae reperiuntur in opusculis a Sacra Congregatione Indulgentiarum nuperrime approbatis, v. gr. in libris a Collomb[2]), a Pallard[3]) etc. editis. Et quid dicam de innumeris manualibus, quae ex professo de Confraternitate tractant et per quadringentos annos ubique terrarum divulgata sunt cum approbatione tum Episcoporum, tum Ordinis Praedicatorum, quae omnia, si novissima quaedam excipiam, has indulgentias sine ulla nota fidelibus proponunt? Probant universalem et constantem traditionem, qua per quatuor saecula indulgentiae istae haud dubie verae et authenticae credebantur.

4) Quod permansit usque ad annum 1862, cum Pius IX. suum edidit Summarium indulgentiarum Confraternitatis Ss. Rosarii, infra a nobis de verbo ad verbum relatum.

Qua intentione hoc Summarium compositum sit, iam explicavimus. Non ergo est mirum, quod in illo nulla fit mentio dictarum indulgentiarum aliarumque gratiarum, quae nostris praesertim temporibus indigent expositione, transgrediente compendii limites.

5) Hoc modo factum est, ut ab anno memorato 1862 dubium de authenticitate indulgentiarum, quae in Summario Pii IX. non continentur, exortum et ad Sacram Congregationem Indulgentiarum directa sit

---

1) Romae 1743: De indulgentiis legitimis personalibus et realibus.

2) Petit traité ou exposé clair, court et nouveau des indulgences. Paris. 1861.

3) Recueil de Tiers-Ordres, Archiconfrèries etc. Paris. 1869.

quaestio supra p. 338 in favorem harum gratiarum soluta.

Ergo de authenticitate indulgentiarum ab Innocentio VIII. concessarum nullum prorsus dubium amplius existere potest.

B. Sed quid de harum aliarumque indulgentiarum duplicatione facta ab Alexandro VI. per Bullam memoratam: 'Illius qui', tenendum sit, videamus.

Unam solummodo Bullam ab Alexandro VI. in favorem Ss. Rosarii emanatam eamque esse intitulatam: 'Illius qui', apud auctores constat. Quoties igitur a Summis Pontificibus litterae ab Alexandro VI. Rosario datae approbantur, nulla alia quam haec Bulla intelligenda est.

1. In Summario Innocentii XI. ista Bulla non fuit adducta, quia — sicut et aliae — tunc forsan ad manus non erat. Qua de causa Benedictus XIII. gratias in ea contentas confirmavit et, quatenus opus fuerit, de novo concessit, per Bullam 'Pretiosus', infra afferendam.

Postquam enim generaliter omnes Ordini Praedicatorum a praedecessoribus suis concessas gratias, indulgentias etc. confirmavit, eodem modo indulgentias Confraternitati Ss. Rosario donatas innovare voluit his verbis:

„§ 3. Omnium et singulorum Romanorum Pontificum praedecessorum etc. litterarum etc. tenores, praesentibus, perinde ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, inserti forent, pro expressis habentes etc. eidem Ordini Praedicatorum etc. gratias, exemptiones, indulgentias etc. concessas tam generaliter quam specialiter et in individuo, confirmamus, innovamus et, quatenus opus sit, de novo concedimus.

„§ 4. Insuper indulgentias Societati Sanctissimi Rosarii etc. a quocunque et quomodocunque concessas: nominatim vero a laudato Sancto Pio V. etc. Innocentio VIII., *Alexandro VI.*" etc. confirmamus, innovamus et, *quatenus opus sit, de novo concedimus.**)

Benedictus ergo XIII. Bullam Alexandri VI. ratam habuit, et quatenus opus fuit, i. e. quatenus de huius Bullae authenticitate dubitari potuit, indulgentias et favores in ea contenta, de novo concessit.

2. Idem iam prius fecerat Sixtus V. hoc modo:

„Attendentes etc., quod Confraternitates sub invocatione Rosarii eiusdem B. M. Virginis in universis orbis ecclesiis ac capellis et altaribus canonice institutae earumque confratres ac sorores a quamplurimis et praesertim a felicis recordationis Urbano IV., Ioanne XXII. ac Sixto etiam IV. necnon Innocentio VIII. et *Alexandro VI.* ac Iulio II. et Leone X. ac Adriano VI. et Clemente VII. et Paulo III. ac Iulio etiam III. et Paulo IV. et Pio etiam IV. ac Pio V. et postremo Gregorio XIII. Romanis Pontificibus, praedecessoribus nostris, ac nonnullis Sedis Apostolicae cum potestate Legati de latere Nuntiis, nedum confirmationem et augmentum earundem Confraternitatum, sed etiam indulgentias ac privilegia et indulta merito obtinere meruerint, Nos etc. singularum litterarum praedictarum tenores et formas praesentibus *pro sufficienter expressis et insertis habentes,* omnia et singula privilegia, immunitates et exemptiones, concessiones, indulta, indulgentias, etiam plenarias et peccatorum remissiones ac relaxationes omnibus et singulis Confraternitatibus dicti

*) Haec verba „confirmamus" etc. in hac § 4. non leguntur, subintelliguntur tamen necessario ex praecedente §, quia alioquin § 4. non haberet verbum grammaticale.

Rosarii, ubicunque terrarum canonice institutis, earumque confratribus et sororibus tam per dictos praedecessores nostros et Sedem praedictam seu illius Nuntios cum potestate Legati de latere concessa, elargita et confirmata ac cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis desuper confectas litteras praedictas, etiam vivae vocis oraculo aut alias, quomodolibet emanatas, auctoritate Apostolica tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus illaque omnia et singula, prout per ipsos praedecessores nostros et alios praedictos concessa fuerunt, perpetuae firmitatis robur obtinere ac inviolabiliter observari debere decernimus, omnesque et singulos, tam iuris quam facti, defectus, si qui forsan intervenerint, in eisdem supplemus.

„Et potiori pro cautela omnes et singulas indulgentias, etiam plenarias [etc. ut supra] dicta auctoritate Apostolica *de novo concedimus*, innovamus ac omnibus et singulis Confraternitatum Rosarii huiusmodi confratribus et sororibus, nunc et pro tempore existentibus, suffragare debere eosque illis perpetuo uti, potiri et gaudere posse decernimus et declaramus.“*)

Indulgentiae igitur et concessiones in Bulla Alexandri VI. contentae a Sixto V. et Benedicto XIII. ratae habitae et confirmatae sunt. Posito itaque, Bullam istam esse apocrypham, nihilosecius nunc eundem valorem habent istae concessiones ac si inde ab initio authenticae.

Quibus in tuto positis supersedendum videtur ab argumentis criticis auctoris illius anonymi refutandis, quae omni solido fundamento sunt destituta. Et ideo, si non ingenium, tamen animus nostri anonymi agnoscendus est, qui omnium primus se probasse putat.

*) Sixtus V. Dum ineffabilia d. 30. ianuarii 1586.

falsas esse indulgentias supradictas, postquam per quatuor saecula, favente Ecclesia, in universo orbe praedicatae, innumeris libris et liberculis cum approbatione Episcoporum, Ordinis Praedicatorum etc. editis publicatae, *nusquam revocatae,* ab omnibus ubique terrarum tamquam authenticae sunt habitae.

Insuper postquam Pius IX. decretis S. Congregationis annis 1856, 1862, 1877, ut vidimus, expresse declaravit, indulgentias singulas in Bulla Innocentii VIII. contentas esse veras, gratum est, ex ore ipsius anonymi, qui nec Summario Innocentii XI. confidit, nec Sixti V. et Benedicti XIII. Bullas novit, has audire sententias: „Bullae Innocentii VIII. et Alexandri VI. habent eandem originem et quoad historiam eundem valorem. — Qui dubitat de authenticitate Bullae Alexandri VI., eodem modo de authenticitate Bullae Innocentii VIII. dubitet, necesse est. — Rationes utriusque sunt eaedem, imo argumenta contra Bullam Innocentii VIII. sunt multo graviora. — Concessiones Alexandri VI. non sunt minus authenticae quam Innocentii VIII.“*)

His verbis adversarius noster aperte fatetur, futurum esse, ut omne sibi dubium tollatur de con-

*) „La Bulle d'Alexandre VI., 'Illius qui', par laquelle sont doublées les indulgences accordées jusque-là aux confrères du Rosaire, a la même origine, que la précedente [d'Innocent VIII.], remonte à la même époque, et a été puisée aux mêmes sources. Historiquement ces deux Constitutions ont donc une même valeur etc. — Pour douter de l'authenticité de la Bulle d'Alexandre VI., il faut également soupçonner celle de la Bulle d'Innocent VIII.; les raisons sont identiques pour l'une et l'autre. Les motifs de suspecter la Bulle d'Innocent VIII. sont même beaucoup plus forts etc. — Mais de même que ce sommaire soumis à ce Pape [Innocent XI.] a passé sous silence les concessions d'Alexandre VI. *qui ne sont pas moins authentiques que les autres:* ainsi le nouveau catalogue, dressé en 1862, omet la faveur exorbitante de 60 mille ans qui se trouvait dans le précédent.“ Op. cit. pp. 59, 60, 64.

cessionibus Alexandri VI., si veritas concessionum Innocentii VIII. probetur. Atqui probavimus utrumque, ergo anonymus secundum propria verba sua maiorem adhuc fidem adhibere debet concessionibus Alexandri VI., quam Innocentii VIII., quas longius latiusque ex novissimis decretis demonstravimus.

Quod vero attinet ad notam in eodem opere p. 339 adiectam, qua anonymus noster simpliciter contendit*). Sacram Congregationem Bullam Alexandri VI. tamquam non authenticam ideoque duplicationem indulgentiarum ab Innocentio VIII. concessarum reiecisse, exhibeat nobis decretum revocatorium, quo specialis et expressa huius gratiae fit mentio. Vide p. 341 seqq.

Huic quaestioni finem imponamus respondendo ad illam tantum obiectionem, a qua anonymus initium offensionis facit, et hoc solummodo ad nostram instructionem. P. G. docet p. 55 haec:

„Indulgentiae 60,000 annorum etc. a priori sunt reiiciendae ut apocryphae vel saltem suspectae, quia sunt enormes et absque proportione ad opus cui sunt annexae."

Respondeo *a*): Nec a priori nec a posteriori reiiciendae nec apocryphae habendae sunt indulgentiae ab Ecclesia simpliciter validae declaratae, innovatae ac in quantum opus fuerit, de novo concessae.

b) Quoad proportionem dicendum est, indulgentias 60,000 et 120,000 annorum etc. esse partiales tantum, opus vero praescriptum Confessionem et recitationem tertiae Rosarii partis. Susceptio autem Sacramenti vel saltem seria praeparatio ad absolutionem Sacra-

*) „La S. Congrégation n'a pas reconnu la Bulle d'Alexandre VI. comme authentique: et a en conséquence reieté la duplication de cette indulgence."

mentalem recipiendam est opus magnum tale, ut, accedente Sacra Communione, confessus sub diversis titulis plures eodem die lucrari possit indulgentias plenarias. Disparitas ergo, quae inter opus et gratias annexas ab anonymo supponitur, si revera existeret, foret ratio sufficiens reiiciendi a fortiori indulgentias plenarias, praesertim eas, quae brevissimis orationibus adiunctae sunt et iteratis vicibus, imo 'toties-quoties' certis diebus v. gr. festo Ss. Rosarii et die Portiuncula, acquiruntur.

Simili modo respondet Director dicti operis: 'Nouvelle Revue théologique', nota (*a*) p. 55, ubi etiam distinguit indulgentias Confraternitatibus concessas ab aliis, quae omnibus fidelibus donatae sunt.[1])

VI.

INDULGENTIA 'TOTIES-QUOTIES',

esto Ss. Rosarii seu Dominica prima Octobris eiusque vigilia lucranda.[2])

A. 1) Haec indulgentia pretiosissima non differt ab indulgentia 'Portiunculae', quae diei 2. augusti

1) „On ne peut pas mettre sur la même ligne, quant à la proportion et les oeuvres prescrites, les indulgences accordées aux membres de certaines confréries et celles qui sont données pour tous les fidèles. Les premières sont accordées non seulement en vue des oeuvres prescrites, mais aussi en tenant compte des difficultés, pénitences, prières ou autres mérites des confrères. Il n'en est pas de même de la seconde catégorie. Peut-on dès lors dire, qu'il y a ici disproportion manifeste entre l'indulgence et l'oeuvre? La disproportion n'est-elle pas plus grande entre une indulgence plenière et six Pater, Ave et Gloria, qu'entre une indulgence partielle (60,000 ans) et un chapelet? Cependant peut-on révoquer en doute ou critiquer les indulgences plenières accordées pour la récitation des six Pater, Ave et Gloria aux confrères du Tiers-Ordre de Saint-François et aux fidèles qui portent le scapulaire de l'Immaculée-Conception (S. C. Indulg. 14. avril 1856)? Note de la Rédaction."

2) Summarium Pii IX. d. 8. sept. 1862. § IV.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

annexa, ecclesiis Ordinis S. Francisci Seraphici concessa est.

2) Nostra haec indulgentia acquiritur non solum in ecclesiis Ordinis S. Dominici, sed etiam in omnibus ecclesiis, in quibus Confraternitas Ss. Rosarii canonice erecta invenitur, imo in capellis et oratoriis Sanctimonialium aliorumque fidelium, qui Confraternitati Ss. Rosarii adscripti in collegiis etc. cohabitant, de quibus p. 367. Acquiritur ab omnibus fidelibus, etiam Confraternitati Ss. Rosarii non adscriptis, qui, confessi et Sanctissimo Eucharistiae Sacramento refecti, a primis vesperis vigiliae usque ad solis occasum ipsius Ss. Rosarii festivitatis capellam Rosarii vel simulacrum B. Virginis Rosarii extra capellam publice in ecclesia expositum devote visitaverint ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint. Quo temporis spatio *quoties id fecerint, toties* plenariam consequuntur indulgentiam.

3) Unde pro singulis indulgentiis plenariis hac festivitate lucrandis requiruntur:

a. Visitationes capellae Ss. Rosarii seu simulacri etc. ut supra. Quae visitationes debent esse distinctae per egressum ex ecclesia Confraternitatis et ingressum; egressus momentaneus sufficit.[1])

Moniales vero aliique Christifideles, qui sunt sodales Confraternitatis et in collegiis etc. cohabitant hanc etiam indulgentiam visitando propriam capellam seu oratorium lucrantur, modo ibi simulacrum B. Mariae Virginis Rosarii expositum habeant, ut patet ex Summario, Pii IX. § IV. 2.

b. Orationes. Satisfacit, qui parumper in dicta capella seu coram simulacro memorato orat ad intentionem Summi Pontificis, prout unicuique suggeret devotio.[2])

1) S. C. I. d. 29. febr. 1864.

2) S. C. I. d. 12. iun. 1847. Clem. VIII. Salatoris d. 13. ian. 1592.

c) Ad finem praedictum assequendum confiteri possunt fideles cuilibet Confessario approbato et Sacram Communionem excipere in quacunque ecclesia, dummodo visitent ecclesiam Ordinis Praedicatorum vel Confraternitatis aut, si sint Moniales vel in collegiis cohabitent, proprium oratorium.

d) Indulgentiae Confraternitatis Ss. Rosarii sive confratribus solis sive omnibus fidelibus concessae per modum suffragii animabus in Purgatorio existentibus applicari possunt; quare etiam indulgentia „toties-quoties" nuncupata.*)

Hic subiungêndae videntur sequentes declarationes, quae de indulgentia: 'Toties-quoties' agunt.

B. Decretum.

BEATISSIME PATER.

Procurator Generalis Ordinis Praedicatorum humillime exponit S. V., Summos Pontifices non paucas indulgentias concessisse Christifidelibus visitantibus sacellum sive capellam B. Mariae Virginis sub titulo Rosarii. In multis vero locis usus invaluit in festo Ss. Rosarii exponendi simulacrum Beatissimae Virginis vel supra altare maius vel in alio loco ecclesiae extra capellam, unde fideles bona fide visitantes simulacrum putant se indulgentias consecutos fuisse. Ne igitur fidelium pietas in hoc fraudetur, orator humillime a S. V. exposcit, ut declarare dignetur, Christifideles orantes ante simulacrum Beatissimae Virginis de Rosario consequi indulgentias, quae addictae sunt visitationi eius capellae.

---

*) S. C. I. d. 5. april. 1869 et Summ. Innoc. XI. cap. XII. no. 3, Pii IX. cap. § no. 2.

Sanctissimus Dominus noster Pius Papa IX. in audientia habita ab infrascripto Cardinali Praefecto die 25. ianuarii 1866 benigne concessit, ut fideles lucrari valeant indulgentias a Summis Pontificibus concessas in festo Ss. Rosarii eiusque octiduo, caeteris adimpletis conditionibus, sive visitent capellam sub eodem titulo dicatam sive simulacrum Beatae Mariae Virginis Rosarii extra dictam capellam publicae venerationi expositum. Contrariis quibuscunque non obstantibus.

Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione.'

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum die 25. ianuarii 1866.

Antonius M. Card. Panebianco, Praef.
Philippus Can. Cossa, Substitutus.

C. Declarationes super Summarium Pii IX. d. 5. apr. 1869 editae.)*

BEATISSIME PATER.

In Summario Indulgentiarum sodalibus Societatis SSmi Rosarii concessarum, quod per decretum S. Congregationis Indulg. die XVIII. septembris 1862 confirmatum est, legitur § IV. no. 1: „Omnes indulgentiae primae Dominicae cuiusque mensis etc.“, et insuper: „Sodales, si corde compuncti, peccata confessi fuerint sacerdoti ex Ordine Praedicatorum atque Sacram Eucharistiam receperint in ecclesia eiusdem Ordinis, in qua erecta sit Confraternitas SSmi Rosarii, indulgentiam plenariam lucrabuntur.“ — et no. 2: „Si corde compuncti, confessi et Sacra Eucharistia refecti, in memoriam eximiae huius victoriae in Turcas armis Chri-

*) Ex Actis Capit. General. Ord. Praed., Gandavi anno 1871 celebrati, p. 27. seqq.

stianorum obtentae per intercessionem Bmae V. Mariae, capellam confratrum Rosarii devote visitaverint a primis vesperis vigiliae usque ad occasum solis diei solemnitatis ibique pro exaltatione Sanctae Ecclesiae, pro haeresum extirpatione precati fuerint etc., *quoties id fecerint, toties* lucrabuntur indulgentiam plenariam, quae omnibus omnino fidelibus communis est."

Exinde orta est quaestio, utrum conditio confitendi peccata sacerdoti ex Ordine Praed. et Sacram Communionem recipiendi in ecclesia eiusdem Ordinis limitari deberet ad solam supradictam indulgentiam in § IV. no. 1. expressam vel etiam comprehendat indulgentiam no. 2. relatam.

Insuper cum decreto diei 12. maii 1851, quod incipit; = „Ut magis devotio" = Sanctitas Vestra, praevia confirmatione omnium indulgentiarum concessarum tam sodalibus Confraternitatis SSmi Rosarii, quam universis Christifidelibus Rosarium recitantibus, dignata sit alias elargiri indulgentias et insuper indultum, quo tales indulgentiae defunctis applicari possint:

Hac etiam de concessione ortum est dubium, utrum facultas indulgentias defunctis applicandi ad solos limitetur sodales Rosarii et ad fideles, qui ex devotione Rosarium recitant secundum praescriptiones praedicti decreti; utrumve se extendat ad omnes fideles pro iis indulgentiis Confraternitati Rosarii concessis, quae in indultis Apostolicis communes omnibus fidelibus declarantur, qualis esset ea, quae supra § IV. no. 2. Summarii relata est.

Ut igitur super expositis omnis tollatur anxietas, imploratur sequentium dubiorum solutio:

1. Utrum ad lucrandam indulgentiam plenariam in festo SSmi Rosarii, § IV. no. 2. dicti Summarii re-

latam, necesse sit, peccata confiteri sacerdoti ex Ordine Praedicatorum et Sacram Communionem recipere in ecclesia huius Ordinis, in qua instituta est Confraternitas SSmi Rosarii?

2. Utrum talis indulgentia § IV. no. 2. acquiri possit in omni qualibet ecclesia parochiali, in qua canonice sit erectum altare SSmi Rosarii cum indulgentiarum participatione?

3. Utrum dicta indulgentia § IV. no. 2. communis pro omnibus fidelibus et ceterae, quae Confraternitati Rosarii concessae per indulta Pontificia ad omnes fideles extenduntur, possint defunctis applicari?

SSmus D. N. Pius Papa IX., audita relatione infrascripti Card. Praefecti S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, in Audientia habita die 5. augusti 1869 praepositis dubiis rescribendum mandavit, prout sequitur.

Ad 1. Negative. Et insuper Sanctitas Sua etiam pro indulgentia, de qua in no. 1. paragraphi IV. eiusdem Summarii, attentis praesentibus temporum et locorum adiunctis, a praedicta conditione iniuncta sodalibus confitendi peccata penes Confessarium Ordinis Praedicatorum et excipiendi Sacram Synaxim in eorum ecclesia benigne perpetuis futuris temporibus dispensavit, ita tamen ut debeant visitare ecclesiam Ordinis, in qua erecta sit Confraternitas SSmi Rosarii vel, deficiente Ordinis ecclesia, aliam, in qua dicta Confraternitas erecta reperiatur, ibique (postquam in quavis ecclesia, penes quemcunque Confessarium ab Ordinario loci approbatum confessi fuerint et Sacram Communionem exceperint) per aliquod temporis spatium pro haeresum extirpatione, Christianorum Principum con-

cordia et S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effundere teneantur.

Ad 2. Affirmative, dummodo in dictis ecclesiis Confraternitas Ss. Rosarii canonice erecta reperiatur.

Ad 3. Quoad confratres iam provisum in Summario paragrapho XII. no. 2. Relate ad Christifideles Rosarium recitantes standum decreto diei 12. maii 1851; quod vero spectat ad alios Christifideles SSmus D. N. benigne indulsit, ut cum agatur de iis indulgentiis concessis Confraternitati SSmi Rosarii, quae ex Apostolicae Sedis concessione universis Christifidelibus communes sint, possint ab iisdem per modum suffragii applicari animabus fidelium defunctorum, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint. Praesenti valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscunque non obstantibus.

Datum Romae ex S. Congregatione Indulgentiis et SS. Reliquiis praeposita die et anno ut supra.

A. CARDIN. BIZZARRI, Praef.

L. ✠ S. Pro R. P. D. Secretario:
Marianus Merlini-Nolfi.

D. Decisio.

1) Alii Bullam S. Pii V. ita interpretantur, ut fideles unam tantum indulgentiam plenariam eadem die possint lucrari, et verba Constitutionis 'Salvatoris' sic exponunt: „Quoties id fecerint, toties per decursum saeculorum, sed unica vice in die singulis annis indulgentiam plenariam consequantur." Alii autem verba ita intelligunt: „Quoties conditiones requisitas peregerint, toties singula vice et quidem eadem die festivitatis B. Mariae 'del Rosario' indulgentiam plenariam consequantur ad instar indulgentiae 'del toties-quoties'

secundi augusti in ecclesiis Franciscanorum lucrifaciendae. Petitur, utrum verba Pii V. et Pii IX. intelligenda sint in priori, an vero in posteriori sensu?

2) Benedictus XIII. in Bulla 'Unigenitus' indulgentias die festivitatis lucrandas ad dies infra octavas extendit. Quaeritur, utrum infra octavam Ss. Rosarii fideles possint indulgentiam 'del toties-quoties' consequi sensu in primo dubio exposito?

3) In libello: 'Il Rosario di Maria Santissima: Roma 1859', haec pro confratribus Ss. Rosarii die 15. augusti leguntur: „Nella festa del' assunzione se pentiti, confessati et communicati, visiteranno la chiesa della confraternità pregando al solito, 'quoties id egerint', indulgenza plenaria" (Cap. VI. no. 9.). Petitur, utrum haec indulgentia sit authentica et sensu in primo dubio exposito sit intelligenda?

Sacra Congregatio Indulgentiarum die 27. februarii 1875 Rmo P. Fr. Raymundo Bianchi[1]), Procuratori Generali Ordinis Praedicatorum, mandavit, ut has quaestiones solveret. Qui die 8. martii eiusdem anni respondit:

Ad I. In sensu posteriori intelligenda sunt;

ad II. Negative;

ad III. Negative; reprobata fuit in examine indulgentiarum, facto a S. Congregatione anno 1862.[2])

VII.

DE INDULGENTIIS IN HISPANIA CONCESSIS.[3])

Indulgentiae omnibus Christifidelibus in regnis Hispaniae coronam B. Virginis recitantibus et ex Apo-

1) De cuius auctoritate vide supra p. 142 not. 2.

2) Nouvelle Revue théologique, tome VII. p. 354 et tome XII. p. 417, 420.

3) Cfr. Summ. Innoc. XI. cap. III. no. 11. et Pii IX. § VII. no. 2.

stolica auctoritate omnibus sodalibus Confraternitatis S. Rosarii concessae[1]), quaenam sint, inquiramus.

Haec quaestio neque ex dictis Summariis neque ex Brevi Clementis IX.[2]) solvi potest neque ex vivae vocis oraculo[3]), in quo legitur: „Paulus divina providentia Papa III. etc. concessit et indulsit per suae vivae vocis oraculum, nobis desuper factum, auctoritate Apostolica, quatenus universi Christifideles in cunctis regnis Hispaniae degentes et commorantes, qui Rosarium sive Psalterium ipsius B. V. Mariae recitaverint, quoties illud integrum recitaverint, toties easdem indulgentias et peccatorum remissiones consequantur, quas auctoritate Apostolica eis concessas consequuntur coronam B. Mariae Virginis recitantes."

Putant theologi, pro recitatione huius coronae, quae in honorem annorum, quos Beatissima Virgo in terris vivebat, ex sexaginta tribus vel septuaginta

---

1) „Quantas sean las indulgencias, que ganan en España los que rezan la Corona de nuestra Señora, podrán verlo en el Sumario de ellas, que estubiese arreglado literalmente á las Bulas de los Pontifices que las han concedido. Es constante, que tiene muchas ciertas y seguras; y estas mas ganarán los que rezan el Rosario entero por la concesion dicha de Clemente IX.

„Tambien Clemente IX. concedió á las Cofradías del Rosario de las Indias, sujetas al Rei de España, las indulgencias que ganan los Fieles en los Reinos de España, rezando la Corona de nuestra Señora; y por la extension de gracias é indulgencias de Inocentio XI. las ganan todos los cofrades del Rosario de todo el mundo, rezando el Rosario entero sin ser cofrades de las Cofradías de las Indias. De las plenarias que extendió dicho Inocentio, unas eran concedidas á la Cofradía del Rosario de la Minerva de Roma, otras á otras Cofradías del Rosario en otras iglesias de la Orden de Santo Domingo y por la extension dicha las ganan los cofrades de las Cofradías del Rosario etc."

Ex „Summario y Diario de las Indulgencias de la Cofradía del Rosario por el M. R. P. M. Fr. Antonio Garces de la Orden de Predicadores, Misionario Apostolico etc." Madrid. 1782. p. 31 et 170.

2) Exponi nobis d. 22. febr. 1628.

3) Quod d. 3. iunii 1542 obtinuit Cardinalis Ioannes a Toleto.

duobus Ave, nullo Pater noster interiecto, constat, plures indulgentias plenarias et partiales concessas esse. Procul dubio inter illas unam esse plenariam, constat ex Brevi Leonis X. d. 19. ianuar. 1517, teste Card. Ioanne Toletano.[1])

VIII.

DE INFIRMIS, IMPEDITIS ETC. CONFRATRIBUS.

1) Quas indulgentias et sub quibus conditionibus confratres itinerantes, navigantes aut alicui inservientes, infirmi vel legitime impediti lucrari valeant, vides in Summario Pii IX. § X.

2) Pro confratribus infirmis vel carcere detentis deinde concessum est hoc:

„Confratres et consorores cuiuscunque Confraternitatis seu Sodalitii aut Congregationis ubique locorum existentis aliqua corporis infirmitate laborantes vel carceribus detenti eisdem omnibus et singulis indulgentiis, quibus gaudent ceteri confratres et consorores, gaudere possunt et valent, ita tamen, ut omissa visitatione ecclesiae, alia pia opera iniuncta, quae pro viribus peragere poterunt, fideliter ac devote exsequantur.“[2])

---

1) De Lailing t. I. p. 322. apud P. Moulaert Ord. Praed.: Nouveau Manuel du T. S. Rosaire. Gand. 1856. p. 62, not. 6.

2) Pius IX. p. Decr. S. C. Ind. d. 25. febr. 1877. Pro Christifidelibus omnibus, qui non morantur in Communitate, iam prius emanatum fuit decretum hoc:

„Habitualiter infirmi, chronici, ob physicum permanens aliquod impedimentum e domo egredi impotentes, exceptis eis qui in Communitate morantur, acquirere possunt omnes et singulas indulgentias plenarias iam concessas vel in posterum concedendas, quasque alias acquirere possent in locis, in quibus vivunt, si in eo physico statu non essent, pro quarum acquisitione praescripta sit Sacra Communio et Visitatio alicuius ecclesiae vel publici oratorii in locis iisdem, dummodo vere poenitentes, confessi

3) Ex indultis, quae infirmis etc. concessa sunt, aliqui auctores concludunt, quod sodales in locis, ubi capella Confraternitatis non existit, indulgentias omnes visitationi capellae huius annexas lucrari possunt visitando ecclesiam quamcunque. Dicunt enim:

1. quod confratres in iis locis a fortiori impediti habendi sunt;

2. tale privilegium, scilicet ut pro visitatione capellae visitari possit ecclesia quaecunque, pro aliquibus indulgentiis iam concessum est;

3. recurrunt ad S. Pium V. qui haec habet: Christifideles de dicta Societate Ss. Rosarii omnes et singulas indulgentias „illas nonnisi in ecclesiis, in quibus, ut praefertur, eadem Societas instituta erit, praeterquam in casu summae necessitatis et infirmitate grandi seu detentione carcerum, in quibus etiam alio in loco consequi possint, observando tamen illa omnia, quae in dictis indulgentiis continentur, consequi posse decernimus.“*)

ac ceteris omnibus absolutis conditionibus, si quae iniunctae fuerint, loco S. Communionis et Visitationis alia pia opera a respectivo Confessario iniungenda fideliter adimpleant.“ Pius IX. Urbis et Orbis. S. C. I. d. 18. sept. 1862.

Pro surdo-mutis valent haec regulae generales:

1. Quodsi inter opera pro lucranda indulgentia praescripta sit visitatio alicuius ecclesiae, surdo-muti ecclesiam ipsam devote visitare teneantur, licet mentem tantum in Deum elevent, et pios affectus eliciant.

2. Quodsi inter opera sint publicae preces, surdo-muti possint lucrari indulgentias iis adnexas, corpore quidem coniuncti ceteris fidelibus in eodem loco orantibus, sed pariter mente tantum in Deum elevata, et piis cordis affectibus.

3. Quodsi agatur tandem de privatis orationibus, proprii mutorum et surdorum Confessarii valeant easdem orationes commutare in alia pia opera, aliquo modo manifestata, prout in Domino expedire iudicaverint. S. C. I. d. 15. mart. 1852.

*) Inter desiderabilia d. 28. iunii 1569.

At falluntur. Nam quod ad primam rationem attinet: Isti non possunt dici legitime impediti, quia quod non possunt visitare capellam Ss. Rosarii, non provenit ex aliquo impedimento existente in ipsis, sed ex eo, quod nulla habetur capella.

Ad secundam rationem dicendum, quod in rebus indulgentiarum omnia stricte sumenda sunt et ideo, quod est concessum pro aliquibus indulgentiis, non potest extendi ad omnes.

Ad tertiam rationem respondemus, quod S. Pius V. ibi non opponit capellae Confraternitatis aliam ecclesiam, sed 'alium locum', eum scilicet locum, quo quis impeditus detinetur; deinde S. Pius indultum hoc concedit „in casu summae necessitatis et infirmitate grandi seu detentione carcerum", quod non potest trahi ad casum defectus ecclesiae, ut iam in responsione ad primum diximus.

IX.

DE MONIALIBUS ET IN COLLEGIIS CONVIVENTIBUS.

Pro Monialibus, cum Confraternitas Ss. Rosarii in monasteriis Monialium non sit erigenda, indultum est:

1) „Omnibus et singulis Monialibus intra Monasterii claustra degentibus et Confraternitati B. Mariae Virginis de Rosario adscriptis vel in posterum adscribendis, ut loco ecclesiae seu capellae vel oratorii supradictae Confraternitatis, ecclesiam seu capellam proprii Monasterii pro indulgentiis tam plenariis quam partialibus huius Confraternitatis consequendis visitare licite ac valide possint et valeant, dummodo cetera pietatis opera, quae iniuncta sunt, rite praestiterint, de

Apostolica auctoritate tenore praesentium concessit et indulsit“ Pius IX.[1])

2) In Collegiorum etc. favorem concessum est: „Christifideles utriusque sexus in Societatem Sanctissimi Rosarii adscripti in Collegiis, Seminariis et Conservatoriis conviventes necnon illi, qui ad aliquam catholicam societatem pertinent, possunt omnes lucrari indulgentias eiusdem Societatis Ss. Rosarii visitando propriam capellam sive oratorium, servatis servandis.“[2])

3) Pro Sanctimonialium autem et Collegiorum etc. capellis sive oratoriis in hoc casu necesse est, ut decorentur signo saltem Confraternitatis seu imagine Reginae Ss. Rosarii, ut patet ex iis, quae de imagine hac supra exposuimus. Praeterea maxime congruum est, ut societates illae piae, memores tantorum bonorum, quae ex speciali gratia quotidie illis proveniunt, SS. Auctores Confraternitatis, Beatissimam nempe Deiparam Virginem et S. Dominicum, semper prae oculis habeant ac grato animo, in quantum possunt, venerentur.

X.

INDULGENTIAE OMNES APPLICARI POSSUNT DEFUNCTIS.

Indulgentiae Confraternitatis omnes, etiam eae, quae ex Apostolica concessione omnibus Christifidelibus communes sunt, possunt applicari animabus Purgatorii.[3])

1) Expositum Nobis d. 11. augusti 1871.
2) Pius IX. Rescr. d. 8. febr. 1874.
3) S. C. I. d. 5. april. 1869, vide p. 326 ad 3.

XI.

DE TRANSLATIONE INDULGENTIARUM.

1) Pius Papa IX. „benigne mandavit, ut omnes indulgentiae, quae hucusque quibusdam festis concessae fuerunt ac in posterum concedentur, vel quae pro iisdem festis aliquibus ecclesiis et publicis oratoriis pariter concessae fuerunt, et in posterum concedentur, vel etiam, si libuerit, de consensu Ordinarii, illae concessae in sacris supplicationibus, aut in novendialibus vel septenariis sive triduanis precibus ante vel post festum, vel eius octavario perdurante, translatae intelligantur pro eo die, quo festa huiusmodi etiam quoad solemnitatem tantum et externam celebrationem, non vero quoad Officium et Missam in aliquibus locis vel ecclesiis publicisque oratoriis, sive in perpetuum, sive aliqua occasione, sive ad tempus, eoque durante, legitime transferuntur. Cum vero transfertur tantum Officium cum Missa, non autem solemnitas et exterior celebratio festi, indulgentiarum nullam fieri translationem, decrevit".[1])

„Decretum praedictum intelligendum esse de omnibus festis rite translatis, prout in decreto", declaravit S. C. I. d. 11. aug. 1862.[2])

2) „Indulgentia alicui festo adiuncta acquiritur a Christifidelibus die fixa et rite constituta in sua dioecesi; a Regularibus Ordinibus die rite constituta in suo Kalendario; ab hominibus, qui Sodalitati nomen dederint, quae ad Regularem Ordinem attinet, indulgentia acquiritur die rite constituta in Kalendario dioecesis

1) Decr. Urbis et Orbis d. 9. aug. 1852.
2) Acta S. Sedis vol. I. p. 489.

vel in Kalendario Ordinis, si istiusmodi privilegio gaudent, non tamen in utraque die."[1])

3) „Translato festo in perpetuum et perpetuo ad aliam diem, sive ex speciali decreto S. R. C., sive ex praescripto rubricarum assignato, simul ad eandem diem iterum festo assignatam transfertur indulgentia eidem festo concessa, licet festum celebretur sine solemnitate et publica functione.[2])

XII.

DE TRANSLATIONE FESTI SS. ROSARII.

1) Quando die Dominica prima octobris festum Ss. Rosarii concurrit cum festo SS. Angelorum Custodum aut festo S. Francisci Assisiensis, tali die celebrandum erit festum Ss. Rosarii; festa vero Angelorum et S. Francisci erunt transferenda, nisi in ecclesiis, ubi celebrantur sub ritu altiori iuxta hoc

Decretum.

„Ne, ob recentem ad ritum duplicis maioris evectionem Officiorum Sanctorum Angelorum Custodum ac Sancti Francisci Assisiensis, Officium, pariter ritus duplicis maioris, Sacratissimi Deiparae Rosarii (quod veluti festum secundarium putatur) Dominicae primae octobris affixum, in occurrentia aliquoties illis postponendum et ad aliam diem transferendum sit, nonnulli sacrorum Antistites Sanctissimum Dominum Nostrum Leonem Papam XIII. supplicibus votis rogarunt, ut praedictum Officium, attenta speciali cultus devotione, qua ubique a fidelibus ea die celebrari solet,

1) S. C. I. d. 29. aug. 1864.
2) S. C. I. d. 12. ian. 1878.

ad ritum duplicis secundae classis elevare dignaretur. Eiusmodi vero preces quum a subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario relatae fuerint eidem Sanctissimo Domino Nostro, Sanctitas Sua constituit Officium Sacratissimi Rosarii B. Mariae Virginis non posse amandari ad aliam diem, nisi occurrente Officio potioris ritus, quemadmodum per Decretum 'Urbis' eiusdem Sacrae Rituum Congregationis sub die 6. augusti 1831 pro officiis mysteriorum et instrumentorum Dominicae Passionis praescriptum fuerat.

Contrariis non obstantibus quibuscunque."

Die 19. iunii 1884.

D. Cardinalis Bartolinius S. R. C. Praefectus.
Laurentius Salvati S. R. C. Secretarius.

2) Quodsi festum Ss. Rosarii festo altioris ritus eadem die occurrente impeditur, pro aliquibus Confraternitatibus, v. gr. Bononiensi et S. Clementis de Urbe, specialiter indultum est a Clemente VIII.[1]) et Benedicto XIII.[2]), ut festum Rosarii celebretur proxima die Dominica insequenti.

Desiderandum est, ut idem indultum propter indulgentiam 'Toties-quoties' extendatur ad omnes Confraternitates.

3) „Quando festum aliquod rite transfertur, sequitur indulgentia festo annexa. Dubium est, an haec regula valeat etiam pro indulgentia Toties-quoties nuncupata, quando festum Ss. Rosarii transfertur?

Resp.: Ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus."[3])

1) Cum sicut d. 2. oct. 1599.
2) Exponi nobis d. 23. febr. 1728.
3) Ex Rescripto Rmi P. Procuratoris Ordinis Bianchi d. 10. sept. 1879.

4) In nullo casu festum Ss. Rosarii propria die impeditum omitti debet isto anno, quod videtur significari hac decisione:

Quaeritur: 1. An festa Sacratissimi Rosarii, Maternitatis et Puritatis Deiparae Dominicis prima, secunda et quarta octobris in Kalendario Olomucen. assignata, impeditis iis Dominicis transferri debeant in Dominicam aliam sequentem non impeditam usque ad Adventum et demum, si non supersit Dominica, in diem sequentem similiter non impeditam, sicut declaravit S. R. C. pro festo septem dolorum B. M. V.?

2. An haec ipsa festa simpliciter transferri possint iuxta regulas translationis?

Resp.: Ad 1. Negative in omnibus.

Ad 2. Affirmative quoad festum Sacratissimi Rosarii tantum.[1])

XIII.

DE CONDITIONIBUS COMMUNIBUS PRO INDULGENTIIS LUCRANDIS.

A. De Confessione et Communione.

1) Conditiones pro lucrandis indulgentiis appositae in concessionibus fideliter et plene sunt implendae.[2])

2) Indulgentiam festivitati adnexam lucratur, qui praescriptam Communionem sumit in pervigilio illius festivitatis.[3])

3) Quod confirmatum est hac declaratione: „Tum Confessionem dumtaxat, tum Confessionem et Communionem peragi posse die, qui immediate praecedit sequentem, pro quo concessa fuerit indulgentia quaelibet, non solum ratione festivitatis occurrentis iuxta allata

1) S. C. R. die 21. iulii 1855.
2) S. C. I. d. 21. mart. 1820.
3) S. C. I. d. 12. iunii 1822.

decreta, verum etiam quacunque alia ex causa vel devotionis vel pii exercitii aut solemnitatis, uti esset pro memoratis et ceteris huiusmodi diebus, pro quibus indulgentia cum conditione Confessionis et Communionis concessa iam fuerit vel in posterum concedatur, licet tempus ad eam acquirendam ab initio diei naturalis, et non a primis vesperis sit computandum, servata tamen in adimplendis aliis operibus iniunctis regula generali circa modum et tempus in concessionibus praescriptum."[1])

4) „Utrum, si quis utens recenti hoc privilegio, Confessionem et Communionem pridie eius diei peragit, cui affixa est indulgentia, etiam reliqua opera praescripta pridie fieri adeoque pridie etiam indulgentia lucrifieri possit? Resp.: Negative."[2])

5) „Christifideles omnes, qui frequenti peccatorum Confessione animum studentes expiare, semel saltem in hebdomada ad Sacramentum Poenitentiae accedere, nisi legitime impediantur, consueverunt, et nullius lethalis culpae a se post praedictam ultimam Confessionem commissae sibi conscii sunt, omnes et quascunque indulgentias consequi possunt, etiam sine actuali Confessione, quae ceteroquin ad eas lucrandas necessaria esset. Nihil tamen innovando circa indulgentias iubilaei tam ordinarii quam extraordinarii aliasque ad instar iubilaei concessas."[3])

6) „Firmo remanente decreto 9. decembris 1763 pro iis fidelibus, qui ad Confessionem saltem semel in hebdomada accedunt: pro ceteris autem fidelibus in locis, in quibus ob inopiam Confessariorum nequeunt

1) S. C. I. d. 6. oct. 1870.
2) S. C. I. d. 12. ianuarii 1878.
3) S. C. I. d. 9. dec. 1763.

fideles frequenter Confessione sacramentali expiari, postulantibus communicetur dictum decretum, et facto verbo cum Sanctissimo, extendatur ad omnes utriusque sexus Christifideles, ut Confessio peracta infra hebdomadam ante festivitatem suffragari possit ad indulgentiam lucrandam, expletis aliis conditionibus iniunctis, et dummodo nullius lethalis culpae post peractam Confessionem commissae conscii sint, nihil innovando circa indulgentias ad formam iubilaei concessas, ut in citato decreto 9. decembris 1763."[1])

Attendatur tamen ad decisionem sequentem:

7) „An vigore decreti 12. iunii 1822 possint omnes Christifideles ad lucrandam indulgentiam festivitati cuidam adnexam confiteri intra octo dies festivitatem hanc praecedentes? et in hypothesi negativa deprecatur, ut haec facultas concedatur fidelibus dioecesis Arturensis propter inopiam Confessariorum.

Resp.: Negative quoad primam partem; quoad secundam recurrat Episcopus ad hanc Sacram Congregationem pro gratia, ut Confessio scilicet peracta a fidelibus suae dioecesis infra hebdomadam ante festivitatem, attenta Confessariorum inopia, suffragari possit ad indulgentias acquirendas."[2])

8) „Utrum privilegium Clementis XIII., quod, qui assolent confiteri semel saltem in hebdomada, possint lucrari indulgentias plenarias infra hebdomadam occurrentes, cum sola Communione, quamvis in Brevi Apostolico Confessio praescripta sit, valeat et extendatur etiam pro lucranda indulgentia vulgo 'de Portiuncula' die 2. augusti? Resp.: Affirmative."[3])

---

1) S. C. I. d. 12. iunii 1822.
2) S. C. I. d. 28. sept. 1838.
3) S. C. I. d. 12. maii 1855.

Idem valere pro indulgentia 'Toties-quoties' in festo Ss. Rosarii, die I. Dominica octobris, ratione paritatis patet.

9) „An eodem die lucrari possint plures indulgentiae plenariae, quando pro unaquaque praescripta est perceptio divinae Eucharistiae? Resp.: Affirmative, servatis tamen aliis appositis conditionibus."[1])

10) „Confessio praescripta per singulas hebdomadas peragi debet quolibet decurrente septem dierum spatio, non vero infra octo dies."[2])

11) „Sanctissimus Dominus Noster Leo divina providentia Papa XIII., referente me infrascripto Secretario S. Congr. Neg. Eccl. extraord. praepositae, attentis expositis et peculiaribus circumstantiis animum suum moventibus benigne annuit, ut Christifideles utriusque sexus in Borussico Regno degentes, quamvis quindecim dierum spatio semel tantum sacramentalem Confessionem peragant, nihilominus plenarias indulgentias lucrari valeant, dummodo in statu gratiae existentes intra praedictum temporis spatium ad Eucharisticam mensam accedant caeterasque conditiones in earundem indulgentiarum Brevibus expressas adimpleant, contrariis quibuscunque minime obstantibus. Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congregationis. Wladimirus Czacki, Secretarius."[3])

Idem concessum fuit Archidioecesi Friburgensi die 14. ian. 1877 et 23. nov. 1878 cum declaratione, verba 'infra duas hebdomadas' in indulto contenta interpretanda esse, ita ut Confessio peragi debeat quolibet decurrente quatuordecim (non vero quindecim) dierum spatio.

---

1) S. C. I. d. 29. maii 1841.
2) S. C. I. d. 23. nov. 1878.
3) Ex audientia Sanctissimi d. 4. april. 1879.

B. De precibus persolvendis.

1) „Preces requisitae in indulgentiarum concessionibus ad implendam Summi Pontificis intentionem sunt ad uniuscuiusque fidelis libitum, nisi peculiariter adsignentur.“[1])

2) „An possit per preces iam obligatorias, v. gr. per Horas canonicas, satisfieri precibus a Summo Pontifice praescriptis ob lucrandam indulgentiam plenariam? Resp.: Negative.[2])

3) „Preces praescriptae ad lucrandas indulgentias non sunt recitandae flexis genibus, nisi aliter praescriptum sit in documento concessionis.“[3])

4) „Quando ad indulgentias lucrandas praescribitur oratio pro fine determinato, v. gr. pro exstirpatione haeresum etc., an requiratur intentio explicita, expressa singulis vicibus? Resp.: Negative.“[4])

5) Preces a Summo Pontifice praescriptae ob lucrandam indulgentiam plenariam debent recitari „intra tempus pro acquisitione indulgentiarum designatum.“[5])

6) „Ubi nullae praescriptae sunt preces quotidianae ad effectum lucrandi indulgentias, non tenentur Christifideles ad aliquas determinatas recitandas.“[6])

C. De visitatione ecclesiae.

1) „Cum ex diversis decretis S. Congregationis Indulgentiarum iam liceat, plures plenarias indulgentias eadem die lucrari, solutis scilicet conditionibus,

1) S. C. I. d. 29. maii 1841.
2) Ibidem.
3) S. C. I. d. 18. sept. 1862.
4) S. C. I. d. 12. iulii 1847.
5) S. C. I. d. 29. maii 1841.
6) S. C. I. d. 31. ian. 1848.

quaeritur, an dictum decretum respiciat solas indulgentias in una die occurrentes propter festivitatem, vel potius etiam illas, quas unusquisque ob suam devotionem tali per hebdomadam aut mensem diei adfixerit?

2) „Qui decreto ipso uti voluerit, an teneatur visitare ecclesiam vel publicum oratorium (quando nempe requiritur talis visitatio) totidem vicibus, quot sunt indulgentiae lucrifaciendae?

Et quatenus: Affirmative.

3) „An sufficiat, ut in una eademque ecclesia tot preces seu visitationes repetantur, quot sunt indulgentiae lucrandae, quin de ecclesia post quamlibet visitationem quis egrediatur et denuo in eam ingrediatur?

Resp. ad 1: Affirmative;

ad 2: Affirmative;

ad 3: Negative.“*)

De visitatione capellae seu altaris Ss. Rosarii vide p. 139 seqq. et 357.

His praemissis reproducenda sunt Elenchi seu Summaria indulgentiarum et gratiarum Confraternitati Ss. Rosarii concessarum, prout ab Ecclesia concessa, composita, approbata, confirmata inveniuntur.

*) S. C. I. d. 29. febr. 1864.

Summaria indulgentiarum Confraternitati Ss. Rosarii concessarum.

A.

SUMMARIUM INNOCENTII XI.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

NUPER PRO PARTE dilecti filii Antonii de Monroy. Magistri Generalis Ordinis Fratrum Praedicatorum. nobis expositum fuit, quod de huius Sanctae Sedis mandato confectum, et a Congregatione venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Indulgentiis et Sacris Reliquiis praeposita, revisum et approbatum fuit Summarium Indulgentiarum, et aliarum gratiarum spiritualium Confraternitatibus sub titulo Sanctissimi Rosarii erectis, et institutis auctoritate Apostolica concessarum, tenoris qui sequitur, videlicet:

SUMMARIUM INDULGENTIARUM ET GRATIARUM confratribus et consororibus Sanctissimi Rosarii tam in vita, quam in morte concessarum.

CAPUT PRIMUM.

De confirmatione et extensione indulgentiarum Sanctissimi Rosarii.

Primo sciendum, a multis Summis Pontificibus respective fuisse confirmatas indulgentias et gratias ab eorum antecessoribus benigne elargitas confratribus

et consororibus Sanctissimi Rosarii, nimirum a Leone X. in Bulla, quae incipit: Pastoris aeterni, die 6. octobris 1520, a Clemente Septimo in Brevi: Etsi temporalium, die 8. maii 1534, a Iulio III. in Brevi: Sincerae devotionis, 24. augusti 1551, a Pio V. in Brevi: Inter desiderabilia, die 28. iunii 1569, ac in Brevi: Consueverunt, die 17. septembris 1669.

Deinde cum omni amplitudine confirmatas et innovatas a Sixto V. in Brevi, quod incipit: Dum ineffabilia, 30. ianuarii 1586.

Denique etiam Paulus V. in Brevi: Cum olim, die 20. septembris 1608, revocato Brevi suo revocatorio indulgentiarum antiquarum Sanctissimi Rosarii in executionem Constitutionis Clementis VIII., incipientis: Quaecunque, et illud ad terminos iuris reduxit, et pristino statui restituit easdem indulgentias a Summis Pontificibus suis praedecessoribus concessas Confraternitatibus Sanctissimi Rosarii canonice institutis, ubique locorum existentibus.

Secundo, omnes indulgentias specialiter vel generaliter, aut quocunque modo uni vel pluribus Confraternitatibus Sanctissimi Rosarii, vel etiam confratribus et consororibus alicuius Confraternitatis in aliqua particulari ecclesia erectae impertitas, communes esse omnibus Confraternitatibus Sanctissimi Rosarii, omnibusque confratribus et consororibus omnium dictarum Confraternitatum universi orbis. Hoc indulsit Gregorius XIII. in Brevi incipiente: Pastoris aeterni, 5. maii 1581, pro Confraternitatibus canonice erectis.

Et Sixtus V. in praefato Brevi: Dum ineffabilia, omnia privilegia, indulta, facultates, exemptiones, immunitates, concessiones, indulgentias, etiam plenarias, a Summis Pontificibus concessa et concessas Confra-

ternitatibus et confratribus Sanctissimi Rosarii, extendit et ampliat in perpetuum ad Confraternitates erigendas, illarumque confratres et consorores pro tempore existentes.[1])

Tertio, denique quascunque indulgentias in hoc Summario contentas, quae concessae sunt alicui particulari Confraternitati Sanctissimi Rosarii vigore praefatarum litterarum Apostolicarum, communes esse cuilibet Confraternitati et cuilibet respective confratri aut consorori in aliqua Confraternitate descriptis.

CAPUT SECUNDUM.

Indulgentiae pro iis, qui ad Confraternitatem Sanctissimi Rosarii recipiuntur.

Primo. Pius V. in praefato Brevi: Consueverunt, concedit plenariam indulgentiam omnibus et singulis Christifidelibus per deputatos a Magistro Generali vel Vicario Generali pro tempore descriptis[2]), vere poenitentibus et confessis, qui prima vice[3]) descripti fuerint, et Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in aliqua ecclesia seu capella dictae Confraternitatis perceperint et unam saltem quinquagenam Rosarii recitaverint et pro tranquillitate Sanctae Matris Ecclesiae oraverint, eandem elargitur illis, qui in mortis articulo constituti salutaris Poenitentiae et Viatici Sacramentis fuerint muniti.

---

1) Vide supra p. 344.

2) Sodales Confraternitatum Ss. Rosarii indulgentias pro die eorum inscriptionis seu ingressus concessas lucrari valent semel, vel ipsa adscriptionis die vel in Dominica vel alia die festiva hanc inscriptionem proxime insequenti, dummodo singula iniuncta opera fideliter adimpleant. Hoc indulsit Pius IX. confratribus Ss. Rosarii. S. C. I. d. 25. febr. 1848 et 2. febr. 1878.

3) Aggregationes faciendae sunt in perpetuum. S. C. d. 2. mart. 1748.

Secundo. Clemens VIII. in Brevi: Salvatoris, die 13. ianuarii 1192, omnibus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis atque Sanctissimo Eucharistiae Sacramento refectis, qui Rosarii Confraternitatem ingredientur, erectam in ecclesia Praedicatorum oppidi Divionensis, die prima eorum ingressus plenariam indulgentiam elargitur.

Tertio. Eandem pariter indulgentiam concedit idem Pontifex in Bulla, quae incipit: De salute gregis, die 18. ianuarii 1592, pro descriptis in Confraternitate erecta in ecclesia Praedicatorum Utini.

CAPUT TERTIUM.

Indulgentiae pro recitantibus Rosarium diebus ordinariis.

Primo. Confratres lucrantur quadraginta dies indulgentiarum, quoties recitaverint aut recitari fecerint tertiam partem Rosarii, uti concessit Alexander Episcopus Foroliviensis per universam Germaniam Legatus a latere confratribus Confraternitatis institutae in ecclesia Praedicatorum Coloniae, ut apparet in litteris incipientibus: Etsi gloriosos, die 10. martii 1476, quam concessionem confirmavit Leo X. in praefata Bulla: Pastoris aeterni.

Secundo. Cuicunque fideli tertiam partem Rosarii recitanti elargitur Sixtus IV. in Bulla incipiente: Ea quae ex fidelium, 12. martii 1479, quinque annos et quinque quadragenas. Eandem etiam confirmat Leo X. in praefata Bulla: Pastoris aeterni.

Tertio. Ex concessione Innocentii VIII. in Bulla, quae incipit: Splendor Paternae gloriae, Romae 27. februarii 1488, confratribus et consororibus in aliqua Confraternitate in Ordine Praedicatorum erecta con-

scriptis, vereque poenitentibus et confessis, qui tertiam Rosarii partem recitaverint, toties quoties id egerint[1]), sexaginta millia annorum[2]), et totidem quadragenae indulgentiarum de iniunctis sibi poenitentiis relaxantur.

In eadem Bulla iisdem confratribus et consororibus nunc et pro tempore existentibus, vere poenitentibus ac ob Beatissimae Virginis Mariae reverentiam Rosarium deferentibus praefatus Innocentius centum annos[3]) et totidem quadragenas indulgentiarum de iniunctis sibi poenitentiis misericorditer indulget.

Insuper iisdem confratribus, si Nomen Iesu in fine[4]) cuiuslibet Angelicae Salutationis nominaverint, quinque annos[5]) et totidem quadragenas similiter concedit.

Quarto. Franciscus de Claramonte tituli Sancti Stephani in Coelio monte S. R. E. presbyter Cardinalis Rosarii Societatem in Biterrensi civitate institutam, auctoritate Apostolica sibi concessa, approbavit, confirmavit et ratificavit, eiusque confratribus et consororibus, quotiescunque per se vel per alium Beatae Mariae Virginis Rosarium, quod 50 Ave Maria continet et quinque Pater noster, continue legerint vel legi fecerint, centum dies indulgentiarum largitus est, et Fratre Antonio Curone, in S. Theologia Praesentato, Rosarium idem praedicante, omnibus Christifidelibus, sermonem eius audientibus, centum dies pro qualibet vice de iniunctis poenitentiis relaxavit.

Quinto. Raymundus tituli S. Mariae Novae Cardinalis, per Germaniam Sanctae Sedis Legatus, concedit

---

1) In Bulla originali legitur: „*dixerint*“: vide supra p. 346.

2), 3), 4) et 5) de quibus supra agitur p. 346 seqq., ubi etiam probatur, has indulgentias duplicatas esse.

confratribus et consororibus Rosarii Confraternitatis Coloniensis, quoties Rosarium*) recitaverint, centum dies indulgentiarum. Quod confirmavit Leo X. in praefata Bulla: Pastoris aeterni.

Sexto. Confratribus et consororibus dictae Confraternitatis Coloniae institutae vere poenitentibus et confessis, seu confitendi propositum habentibus, qui ter in hebdomada Rosarium devote recitaverint, pro qualibet vice decem annos et totidem quadragenas de iniunctis poenitentiis relaxat Leo X. in praefata Bulla: Pastoris aeterni.

Septimo. Adrianus VI. in Bulla, quae incipit: Illius qui Dominicum gregem, die prima aprilis anni 1523, omnibus confratribus oppidi de Victoria dioecesis Calaguritanae, qui in capella Sanctissimi Rosarii aut in quacunque parte ipsius ecclesiae, ex qua altare dictae capellae conspici possit, recitaverint singulis diebus tertiam partem Rosarii, pro qualibet die, qua id fecerint, ut praefertur, quinquaginta annos de iniunctis poenitentiis pariter relaxat.

Clemens autem VII. in Bulla incipiente: Considerantes, die 6. aprilis 1524, et in alia, quae incipit: Ineffabilia, die 23. martii anno 1529, concedit eandem indulgentiam confratribus dictae Confraternitatis, qui extra civitatem praedictam existentes, in aliqua ecclesia seu oratorio cuiusvis loci, tertiam Rosarii partem devote recitaverint.

Octavo. Clemens VII. in Brevi: Etsi temporalium, 8. maii 1534, addidit duos annos indulgentiae confratribus institutarum Confraternitatum pro quolibet ex

*) i. e. tertiam partem, ex declar. Summar. Pii IX. § VII, 1.

tribus diebus*) hebdomadae, in quo tertiam partem Rosarii recitabunt, dummodo in septimana integrum Rosarium recitent. Cum enim, ad lucrandam indulgentiam a Sixto IV. concessam, necessarium esset uno die totum Rosarium recitare, voluit Clemens praefatus sufficere ad praedictum effectum, recitare integrum Rosarium in una septimana, assignans pro diebus diem, et pro pluribus vicibus unam vicem. Et cum praedicta Bulla publicata non fuerit vivente Clemente, publicata fuit per Paulum III. in Breve quod incipit: Rationi congruit, die 3. novembris 1534.

Nono. Pius V. confratribus Confraternitatum Sanctissimi Rosarii erectarum per Fratrem Ambrosium Salvio de Balneolo Ordinis Praedicatorum, quoties devote recitaverint Rosarium reliquis anni diebus, exceptis diebus Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis et Purificationis Beatissimae Mariae Virginis, in quibus maior acquiritur indulgentia, concessit quadraginta dies indulgentiarum, prout constat ex Brevi quod incipit: Iniunctum nobis, die 14. iunii 1566.

Decimo. Ex eiusdem Pontificis concessione in Brevi: Consueverunt, 17. septembris 1569, confratres Confraternitatum erectarum, et per deputatos a Magistro Generali vel Vicario Generali pro tempore descripti, si devote recitaverint Rosarium integrum qualibet septimana, lucrantur indulgentiam septem annorum et totidem quadragenarum de poenitentiis iniunctis.

Undecimo. Clemens IX. denique in Brevi: Exponi nobis, die 22. februarii 1668, elargitur confratribus Confraternitatum erectarum et erigendarum in futurum in Indiis, regis Hispaniarum subiectis, integrum Rosarium

*) Vide supra p. 211.

recitantibus omnes et singulas indulgentias, quibus ex Apostolica concessione fruuntur omnes Christifideles in regnis Hispaniae*), recitantes coronam Beatissimae Virginis.

CAPUT QUARTUM.

Indulgentiae quas confratres in particularibus anni diebus recitantes Rosarium lucrantur.

Primo. Alexander Episcopus Foroliviensis, in Germania Legatus, centum dies indulgentiae concedit omnibus et singulis confratribus Confraternitatis Coloniensis dicentibus tertiam partem Rosarii in quinque festivitatibus Beatissimae Virginis, videlicet: Annuntiationis, Visitationis, Assumptionis, Nativitatis et Purificationis, uti constat ex praefata Bulla Leonis X.: Pastoris aeterni.

Secundo. Innocentius VIII. anno 1484, 15. octobris, vivae vocis oraculo concessit omnibus confratribus Confraternitatis Sanctissimi Rosarii recitantibus Rosarium per hebdomadam indulgentiam plenariam et omnium peccatorum remissionem, applicandam a Confessario, secundum eorum arbitrium eligendo, semel in vita et semel in mortis articulo, quam indulgentiam Leo X. in praefata Bulla: Pastoris aeterni, confirmat.

Tertio. Sixtus IV. in Bulla incipiente: Pastoris aeterni, die 29. maii 1478, elargitur septem annos et totidem quadragenas confratribus Confraternitatis Coloniensis vere poenitentibus et confessis, dictam Confraternitatem servantibus, qui integrum Rosarium recitaverint in diebus festis Nativitatis, Annuntiationis et Assumptionis Beatissimae Virginis, sicut refert et confirmat Leo X. in praefata Bulla: Pastoris aeterni.

*) Vide supra p. 363.

Quarto. Pius V. in praefato Brevi: Iniunctum Nobis, concedit omnibus confratribus Confraternitatum Rosarii institutarum et instituendarum a Fratre Ambrosio Salvio de Balneolo, qui corde contriti, confessi, devoteque communicati, in die et festivitate Annuntiationis devote Rosarium recitaverint, indulgentiam plenariam, diebus vero Assumptionis, Nativitatis et Purificationis decem annos et totidem quadragenas.

Quinto. Idem Pontifex in dicto Brevi praefatis confratribus, quoties Nomen Domini nostri Iesu Christi et eiusdem Beatissimae Virginis Mariae Matris suae, tam intus, quam extra dictum Rosarium pie et devote nominaverint seu invocaverint, septem dies de iniunctis poenitentiis relaxat.

Sexto. Praeterea Pius V. in Brevi quod incipit: Consueverunt, concedit omnibus confratribus Confraternitatum erectarum a deputatis per Magistrum Generalem et Vicarium Generalem pro tempore descriptis, qui in diebus Resurrectionis Domini, Annuntiationis et Assumptionis Beatissimae Virginis communicati,*) ut supra cap. 2. num. 2. dictum est, tertiam partem Rosarii recitaverint, decem annos et totidem quadragenas.

Septimo. Praeterea iisdem confratribus, tertiam partem Rosarii ad minus recitantibus in reliquis diebus festis Domini nostri Iesu Christi et Beatae Mariae Virginis, in quibus Sacra Rosarii Mysteria recensentur, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis poenitentiis relaxat.

---

*) Secundum Summarium Pii IX. authenticum § V. n. 2. non amplius requiritur S. Communio, sed sola tertiae Rosarii partis recitatio.

CAPUT QUINTUM.

Indulgentiae quas lucrantur confratres Sanctissimi Rosarii processionem associantes, fieri solitam prima Dominica cuiuslibet mensis et diebus festis Beatissimae Virginis.

Primo. Pius V. in praefato Brevi: Consueverunt, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, etiam non confratribus, qui processioni Sanctissimi Rosarii, quae qualibet prima Dominica mensis fieri consuevit, devote interfuerint, septem annos et septem quadragenas*) de iniunctis poenitentiis relaxat.

Secundo. Confratres processionem debitis diebus faciendam associantes centum dies indulgentiae consequuntur ex concessione Gregorii XIII. confratribus Rosarii civitatis Papiensis facta in Brevi quod incipit: Cum sicut, die 3. ianuarii 1579.

Praeterea idem Gregorius in Brevi: Pastoris aeterni, die 5. maii 1581, concessit indulgentiam plenariam omnibus confratribus, vere poenitentibus et confessis ac communicantibus, qui processioni prima Dominica cuiuslibet mensis interfuerint.

Insuper confratres, qui propter infirmitatem aut aliud legitimum impedimentum processionibus praedictis adesse nequiverint, si confessi et Sanctissima Communione refecti, Rosarium devote recitaverint, aliasque preces pro Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, haeresum extirpatione ac pace inter principes christianos concilianda et conservanda fuderint, easdem indulgentias consequuntur quas consequerentur, si ipsis processionibus personaliter interessent, ex concessione eiusdem Gregorii in Brevi: Cupientes, die 24. decembris 1583.

*) Confirmatum a S. Congr. d. 14. apr. 1856.

Tertio. Eandem plenariam indulgentiam assequuntur confratres et consorores Confraternitatum Rosarii vere poenitentes et confessi ac Sacra Communione refecti, qui processioni prima Dominica mensis peragendae interfuerint, et pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, ex concessione Pauli V. in Brevi quod incipit: Piorum hominum, die 15. aprilis 1608.

Quarto. Pius IV. eandem etiam indulgentiam plenariam concessit Confraternitati Sanctissimi Rosarii institutae in ecclesia Sanctae Mariae super Minervam in Urbe, in Bulla incipiente: Dum praeclara, die 28. februarii 1561, omnibus confratribus et consororibus Sanctissimi Rosarii vere poenitentibus et confessis, vel firmum propositum temporibus statutis confitendi habentibus, qui processionem associaverint in dicta ecclesia fieri solitam in festivitatibus et solemnitatibus gloriosae Virginis Mariae, videlicet Purificationis, Annuntiationis, Visitationis, Assumptionis, Nativitatis, Praesentationis et Conceptionis.*)

Quinto. Gregorius XIII. in Brevi: Ad augendam,

---

*) Ex audientia SSmi die 25. februarii 1848.

Sanctissimus Dominus noster Pius PP. IX. indulgentiam plenariam, sodalibus Confraternitatum Sanctissimi Rosarii in toto regno Belgico iam erectarum in supra enumeratis B. M. V. festivitatibus concessam, clementer extendit ad totum Octiduum uniuscuiusque ex praedictis festivitatibus, semel tantum in quolibet Octiduo a praefatis sodalibus lucrifaciendam, dummodo singula iniuncta opera fideliter adimpleant. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione.

Datum Romae, ex secretaria S. Congregationis Indulgentiarum.

L. † S.

F. Card. Asquinius, Praef.
Jacobus Gallo, Secretarius.

Haec concessio valet eodem modo pro iisdem diebus in sequenti capite et pro omnibus totius Orbis Rosarii Confraternitatibus; vide p. 344.

24. octobris 1577. elargitur indulgentiam plenariam confratribus Confraternitatis Rosarii erectae in ecclesia Sancti Dominici Bononiae, vere poenitentibus et confessis, ac Sacra Communione refectis, qui singulis annis solemni processioni prima Dominica cuiuslibet mensis in dicta ecclesia celebrandae interfuerint, et capellam Sanctissimi Rosarii devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia et unione ac haeresum extirpatione Sanctaeque Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint.

CAPUT SEXTUM.

Indulgentiae pro confratribus visitantibus capellam Sanctissimi Rosarii.

Primo. Pius IV. in praefata Bulla: Dum praeclara, concedit indulgentiam plenariam iis, qui vere poenitentes et confessi, vel firmum propositum confitendi habentes, statutis ab Ecclesia temporibus devote visitaverint capellam Sanctissimi Rosarii in ecclesia Sanctae Mariae super Minervam de Urbe, in festis Beatissimae Virginis, videlicet, Purificationis, Annuntiationis, Visitationis, Assumptionis, Nativitatis, Conceptionis et Praesentationis, a primis vesperis usque ad occasum solis dictarum festivitatum.

Secundo. Gregorius XIII. in Brevi: Ad augendum, 12. martii 1577, concessit plenariam indulgentiam confratribus Confraternitatis Sanctissimi Rosarii institutae in ecclesia Praedicatorum Cremonae, qui vere poenitentes et confessi, necnon Sacra Communione refecti, devote visitaverint capellam Rosarii prima Dominica cuiuslibet mensis, et omnibus*) festis Beatissimae et glorio-

*) „Quando indulgentia plenaria concessa est „in festis", vel „in omnibus festis", vel „in omnibus et singulis festis B. Mariae V.", intel-

sissimae Virginis, ibique pias ad Deum preces effuderint pro christianorum principum concordia, extirpatione haeresum et Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione.[1])

Tertio. Idem Pontifex in Brevi: Ad augendam, die 24. octobris 1577, indulgentiam plenariam concessit cuilibet confratri Confraternitatis Rosarii erectae in ecclesia Sancti Dominici Bononiae, qui poenitens et confessus ac Sanctissima Communione refectus, capellam Rosarii S. Dominici de Bononia in singulis festivitatibus Beatissimae Virginis devote visitaverit atque, ut supra, oraverit.

Quarto. In alio Brevi incipiente: Cum sicut, 3. ianuarii 1779, idem Gregorius elargitur confratribus Confraternitatis erectae in ecclesia Praedicatorum civitatis Papiensis, pro qualibet die, qua visitaverint capellam seu altare Sanctissimi Rosarii in praefata ecclesia, centum dies indulgentiae, orando Deum, ut supra.

Insuper concedit indulgentiam plenariam confratribus eiusdem Confraternitatis Papiensis, qui devote visitaverint dictum altare seu capellam in praefata ecclesia tertia Dominica aprilis[2]), et prima octobris, a primis vesperis usque ad occasum solis, dummodo vere poenitentes et confessi ac Sacra Communione refecti, ut praefertur, oraverint.

Quinto. Idem Gregorius in Brevi: Exponi nobis, prima octobris 1577, concedit indulgentiam plenariam

---

ligenda sunt dumtaxat festa Immaculatae Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis. — Quando vero concessa est indulgentia partialis „in reliquis omnibus festis eiusdem B. Mariae V.", hoc intelligendum est de omnibus festis B. M. V., quae celebrantur ab universa Ecclesia." *S. C. I. d. 18. sept. 1862.*

1) Hanc orationem non requiri pro Dominicis primis mensium, patet ex Summario Pii IX. § II. n. 2.

2) In perpetuam memoriam Dom. tertiae april. 1578; vide p. 330.

omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes et confessi, prima Dominica mensis octobris devote visitaverint, a primis vesperis usque ad occasum solis eiusdem Dominicae, ecclesiam Sanctae Mariae super Minervam de Urbe, et ibi pro principum concordia etc. pias ad Deum preces effuderint.

Sexto. Praeterea idem Pontifex in Brevi: Pastoris aeterni, die 5. maii 1581, indulgentiam plenariam concedit omnibus confratribus erectarum Confraternitatum Rosarii, qui vere poenitentes et confessi ac Sacratissima Communione refecti, devote visitaverint capellam Ss. Rosarii illis diebus[1]), quibus aliqua Mysteria Rosarii celebrantur, et processioni primae Dominicae cuiuslibet mensis interfuerint.

Septimo. Clemens VIII. in Brevi: Salvatoris et Domini nostri, 13. ianuarii 1592, elargitur plenariam indulgentiam confratribus Confraternitatis Rosarii erectae in ecclesia Praedicatorum Divioni, vere poenitentibus et confessis ac Sacra Communione refectis, *qui* devote visitaverint capellam seu altare Rosarii dictae ecclesiae in qualibet prima Dominica mensis octobris, a primis vesperis usque ad occasum solis, ac inibi pias ad Deum preces effuderint pro Sedis Apostolicae et fidei catholicae exaltatione et haeresum extirpatione, necnon pacis inter principes christianos conservatione, aut alias, prout unicuique suggeret devotio.[2])

1) Quaenam istae sint dies vides supra p. 190, n. 30.

2) In originali Clementis: „Rursus tam eisdem confratribus quam omnibus et singulis aliis praedictis sexus [utriusque] Christifidelibus, *qui* etc., [ut supra], prout unicuique suggeret devotio, *quoties id egerint,* plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, confratribus perpetuo, ceteris vero non confratribus praefatis pro primo anno decennii proximi tantum, eisdem auctoritate etc. elargimur.“ — Mirum quoque est, quod in hoc Summario non fit mentio Constitutionis S. Pii V. d. 3. mart. 1572, quae incipit: Salvatoris, et omnibus Christifidelibus etc.,

Octavo. Insuper in eodem Brevi concedit eisdem confratribus septem annos et totidem quadragenas indulgentiae, qui vere poenitentes, confessi et devote communicati, ultra festum Paschatis Resurrectionis in diebus festis Pentecostes, Assumptionis Beatissimae Virginis, necnon omnium Sanctorum et Nativitatis Domini nostri Iesu Christi, capellam aut[1]) altare Sanctissimi Rosarii visitaverint et Deum, ut praefertur, oraverint.

Nono. Idemmet Clemens VIII. in Bulla incipiente: De salute gregis, die 18. ianuarii 1592, confratribus et consororibus Sanctissimi Rosarii Confraternitatis erectae in civitate Utinensi, vere poenitentibus et confessis ac Communione Sacra refectis, qui in festivitate Assumptionis Beatissimae Virginis singulis annis devote visitaverint ecclesiam dictae Confraternitatis a primis vesperis usque ad occasum solis ibique aliquas preces effuderint pro exaltatione Sanctae Matris Ecclesiae, extirpatione haeresum, reductione haereticorum et conversione infidelium et pro conservatione pacis, concordiae et unionis inter principes christianos, quoties[2]) id egerint, indulgentiam plenariam concedit.

---

pro dicto die *quoties id fecerint, toties* plenariam indulgentiam concedit. Credendum est, scriptorem illam Constitutionem non reperisse. Habebis eam in nota ad § IV. no. 2. Summarii Pii IX. infra.

1) „Capellam *seu* altare" scriptum fuit in originali. Cfr. supra p. 139.

2) Originale Clementis habet: „*quo die* id egerint". Unde resolves, incuria et levitate solius transcriptoris huius Bullae confusionem illam fuisse creatam, qua per ducentos annos plurimi pro festo Annuntiationis, alii pro festo Ss. Rosarii (vide no. 7. huius capitis not.) ex traditione, alii vero pro utroque festo concessam fuisse credebant indulgentiam, Toties-quoties nuncupatam. Qua de causa fideles omnes aut in dubio haesitantes aut gratiam illam festo Assumptionis B. M. V. annexam putantes, absque alacritate, imo in vanum conabantur huius indulgentiae participes fieri, donec Pius IX. declaravit, quod ex Bullis originalibus veritati consentaneum habebis infra in ipsius Summario §§ III. et IV.

Praeterea in eadem Bulla iisdem confratribus, qui vere poenitentes, confessi et communicati, devote visitaverint praedictam ecclesiam in solemnitatibus Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis et Visitationis gloriosae Virginis Mariae, et oraverint, ut supra, septem annos et septem quadragenas indulgentiae elargitur.

CAPUT SEPTIMUM.

Indulgentiae quas confratres et consorores Sanctissimi Rosarii lucrantur, pia opera exercentes.

Primo. Alexander Episcopus Foroliviensis, Legatus Apostolicus per Germaniam, concessit quadraginta dies indulgentiae de iniunctis sibi poenitentiis, omnibus confratribus Confraternitatis Rosarii erectae Coloniae, qui sabbatis et festivis diebus interfuerint, dum cantatur 'Salve Regina' post completorium coram altari Beatissimae Virginis, ubi praedicta Confraternitas instituta est, quam concessionem confirmavit Leo X. in praefata Bulla: Pastoris aeterni.

Secundo. Gregorius XIII. in praefato Brevi: Cum, sicut accepimus, 3. ianuarii 1579, confratribus Confraternitatis Sanctissimi Rosarii Papiae, relaxat centum dies de iniunctis eis, seu quomodolibet debitis poenitentiis, qui vexillum Sanctissimi Rosarii associaverint, quando corpora mortuorum confratrum deferuntur ad sepulturam, et interfuerint anniversariis pro animabus defunctorum confratrum celebrandis, et ipsi pro christianorum principum concordia etc., vel alias oraverint, vel infirmos confratres ad ecclesiastica Sacramenta sumenda hortati fuerint et visitaverint.

Tertio. Clemens VIII. in Brevi: Salvatoris, die 3. ianuarii 1592, confratribus Confraternitatis Sanctissimi Rosarii erectae in ecclesia Praedicatorum oppidi

Divionensis, qui divinis officiis per illos confratres, seu ex eorum instituto, in dicta capella decantandis, ac congregationibus publicis vel secretis pro felici directione dictae Confraternitatis habendis interfuerint, atque associaverint Sanctissimum Sacramentum, dum ad aliquem infirmum deferri contigerit, ac qui legitime impediti hoc facere nequiverint, campanae ad id signo dato, genuflexi, si potuerint, Orationem Dominicam pro eodem infirmo recitaverint, necnon cuiuscunque confratris cadaver ad sepulturam ecclesiasticam associaverint, vel eos in eorum infirmitatibus visitaverint et consolati fuerint, ac Orationem Dominicam quinquies, et toties Angelicam Salutationem coram imagine sanctissimi Crucifixi in honorem quinque plagarum Domini nostri Iesu Christi pro animabus eorumdem confratrum in Christi caritate defunctorum recitaverint, quoties aliquod praemissorum fecerint, sexaginta dies de iniunctis eis, aut alias quomodolibet debitis poenitentiis relaxat.

Quarto. Idem in Brevi: Ineffabilia Dei Genitricis, die 12. februarii 1598, confratribus Confraternitatis Sanctissimi Rosarii erectae in ecclesia sancti Pauli Vallisoleti Ordinis Praedicatorum, centum dies, quoties vere poenitentes et confessi, seu a iure statutis temporibus firmum confitendi propositum habentes, antiphonae 'Salve Regina', in praefata ecclesia post completorium decantari solitae, interfuerint.

In festivitatibus autem Beatissimae Virginis, necnon sanctorum Apostolorum et Sanctorum dicti Ordinis, et quando ipsi confratres iuxta Statuta dictae Confraternitatis cum cereis accensis adesse tenentur, eisdem confratribus, ut praefertur, interessentibus, tres annos et totidem quadragenas de iniunctis eis, aut quomodolibet debitis poenitentiis relaxat.

Illis autem confratribus, qui pro solemnitate a dicta Confraternitate celebrari solita Dominica*) infra Octavam Nativitatis Beatissimae Virginis, ornandis altaribus, vel ecclesiae praeparandae vacaverint, aut ornamenta ad divinum cultum spectantia miserint, centum dies indulgentiae concedit, extendens supradictas indulgentias ad infirmos, mulieres gravidas et legitime impeditos, qui flexis genibus praedictam antiphonam 'Salve Regina' coram altari vel imagine Beatae Virginis devote recitaverint; qui autem confratrem infirmum visitaverint, aut corpus defuncti confratris ad dictam ecclesiam associaverint, tres annos et totidem quadragenas de iniunctis eis, aut alias quomodolibet debitis poenitentiis.

Quinto. Idem Pontifex in Bulla: De salute gregis, die 15. ianuarii anno 1592, confratribus Confraternitatis Sanctissimi Rosarii erectae in ecclesia Praedicatorum Utini, quoties interfuerint divinis Officiis aut Missis, quae celebrantur in dicta ecclesia, vel intuitu vel ex instituto aut consuetudine dictae Confraternitatis, aut hospitio pauperes peregrinos exceperint, aut eleemosynis vel officiis adiuverint, aut pacem cum inimicis composuerint seu componi fecerint vel procuraverint, ac etiam corpora defunctorum tam confratrum, quam aliorum ad sepulturam associaverint, aut infirmos consolati fuerint, aut processiones ordinarias tam Confraternitatis, quam alias quascunque, de licentia Ordinarii celebrandas, Sanctissimum Sacramentum tam in processionibus, quam ad infirmos, vel quovis modo delatum comitati fuerint, seu impediti, per alium vel alios associari fecerint, vel campanae ad id signo dato genu-

*) Festo Nominis Mariae.

flexi, semel Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam pro animabus confratrum defunctorum recitaverint, aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint, aut ignorantes praecepta Dei et alia ad salutem necessaria docuerint, aut quodcunque aliud pietatis vel caritatis opus exercuerint, quoties praemissa vel aliquod praemissorum egerint, sexaginta dies de iniunctis, aut quomodolibet debitis poenitentiis relaxat.

Sexto. Rursus Gregorius XIII. in Brevi: Desiderantes, 22. martii 1580, confratribus Confraternitatum Sanctissimi Rosarii institutarum in ecclesiis Fratrum Praedicatorum Provinciae S. Iacobi Novae Hispaniae in Indiis, et omnibus Christifidelibus, qui vere poenitentes, confessi ac Sacra Communione refecti, devote visitaverint dictas ecclesias diebus festi Patroni*) earundem respective, et in solemnitate Corporis Christi, indulgentiam plenariam concedit.

Insuper omnibus confratribus, qui sabbatis in Quadragesima assistent Missae, et concioni Beatissimae Virginis, ac dum cantatur antiphona 'Salve Regina', concedit unius anni indulgentiam. Praeterea quando ex eleemosynis Confraternitatis Sanctissimi Rosarii, virgines matrimonio iunguntur, tam ipsis, quam ipsarum maritis et confratribus Sanctissimi Rosarii processioni interessentibus, quinque annos indulgentiae elargitur.

Denique confratribus et consororibus associantibus processionem, quae fit singulis sabbatis aut semel in mense per ecclesias, vel claustrum dictarum domorum, in suffragium mortuorum, octo annos indulgentiae de iniunctis, aut alias quomodolibet debitis poenitentiis relaxat.

---

*) In originali: „diebus SS. Advocatorum ecclesiarum" etc.

CAPUT OCTAVUM.

Indulgentiae quas consequuntur confratres et consorores Sanctissimi Rosarii visitantes quinque altaria.

Leo X. instituit et concessit, ut quilibet confrater Confraternitatis Sanctissimi Rosarii canonice in quacunque ecclesia Ordinis Praedicatorum erectae quinque altaria visitando cuiuscunque ecclesiae, aut unum, vel duo quinquies, si quinque defuerint[1]), easdem indulgentias integraliter consequatur, ac si omnes almae Urbis Stationes[2]) peregrinando circumiret, quam concessionem confirmat et approbat Clemens VII. in Brevi: Etsi temporalium[3]); quod Paulus III. in Brevi: Rationi congruit. 3. novembris 1534, publicavit.

CAPUT NONUM.

Indulgentiae quas lucrantur confratres et consorores peccata sua confitendo et communicando aliquibus Dominicis anni.

Primo. Gregorius XIII. in Brevi, quod incipit: Ad augendam, pro Confraternitatibus institutis in ecclesiis

1 Hanc concessionem Leonis X. vivae vocis oraculo sibi factam Magister Generalis Ordinis Fr. Garcias de Loaysa die 22. maii 1518 hunc in modum promulgat: „Universi et singuli fideles, ubilibet existentes, qui in libro Confraternitatis Conventuum Fratrum Praedicatorum dicti Rosarii inscripti fuerint, visitantes quinque altaria et in quolibet illorum quinquies Pater noster et totidem Ave Maria pro felici statu Ecclesiae orantes dixerint, aut si tot altaria visitare *noluerint*, unum, vel pluria altaria in ecclesiis ubi se invenerint, praefato modo orantes visitaverint, consequantur omnes et singulas indulgentias ac peccatorum remissiones concessas omnibus ac singulis ecclesiis urbis Romae, ac si easdem in quibus, vel qua talis Statio et indulgentia et peccatorum remissio est, visitarent.“ — Quod si conferas cum confirmationibus supra indicatis ac Pii IX. (Summar. § VI.), invenies, numerum altarium, a Leone non absolute determinatum, nunc esse determinatum, orationes vero persolvendas, a Leone praescriptas, non amplius requiri, et standum esse verbis Clementis VII., Pauli III., Innocentii XI., Pii IX.

2) Dies Stationum habebis infra in Summario Pii IX. § VI. no. 1.

3) d. 8. maii 1534.

Praedicatorum Provinciae utriusque Lombardiae, die 8. novembris 1578, et in alio simili pro Provincia Romana anno 1579, die 29. augusti, concedit plenariam indulgentiam omnibus confratribus et consororibus Sanctissimi Rosarii, qui vere poenitentes et confessi ac devote in dictis ecclesiis primis Dominicis diebus cuiuslibet mensis Sacram Communionem sumpserint, ibique pro extirpatione haeresum, pro pace inter principes christianos et Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint.

Quam indulgentiam extendit ad confratres infirmos, qui ad easdem ecclesias seu quamlibet earum accedere non valentes, praevia Confessione et Communione domi suae ante devotam imaginem devote Rosarium seu coronam, aut septem Psalmos, qui legere sciunt, recitaverint.

Secundo. Clemens VIII. in Brevi: Ineffabilia gloriosae Virginis, 12. februarii 1598, confratribus Confraternitatis Sanctissimi Rosarii erectae in ecclesia sancti Pauli Vallisoleti Ordinis Praedicatorum, qui Dominica infra Octavam Nativitatis Beatissimae Virginis solemniter huiusmodi festivitatem celebrare volunt, si vere poenitentes et confessi eadem die annis singulis Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum perceperint, et Altissimo preces pro universalis Ecclesiae et Romani Pontificis statu fuderint, plenariam suorum peccatorum indulgentiam concedit.

Tertio. Gregorius XIII. in Brevi, quod incipit: Desiderantes, 22. martii 1580, confratribus et consororibus Confraternitatum tam erectarum in ecclesiis Fratrum Praedicatorum Provinciae S. Iacobi Novae Hispaniae in Indiis, qui prima Dominica octobris vere poenitentes et confessi alicui Confessario dicti Ordinis, Sacram

Eucharistiam sumpserint in praefatis Ecclesiis, in quibus instituta est Confraternitas Sanctissimi Rosarii, plenariam indulgentiam elargitur.

CAPUT DECIMUM.

Indulgentiae quibus fruuntur confratres et consorores Sanctissimi Rosarii in mortis articulo.

Primo. Supra diximus, quod confratres et consorores Sanctissimi Rosarii respective ex concessione Innocentii VIII. et Leonis X., qui per septimanam Rosarium recitaverint, consequantur semel in vita, et semel in morte indulgentiam plenariam, et Pius V. in Brevi: Consueverunt, indulgentiam plenariam concedit confratribus Confraternitatum erectarum, in articulo mortis*) constitutis confessis, et per modum Viatici Sacra Communione refectis.

Secundo. Adrianus VI. in Bulla: Illius, qui Dominicum gregem, die prima aprilis anno 1523, plenariam indulgentiam concedit confratribus Confraternitatis Sanctissimi Rosarii erectae in ecclesia Praedicatorum Victoriae, vere poenitentibus et confessis vel firmum propositum confitendi habentibus, qui in mortis articulo in manibus tenentes cereum benedictum Confraternitatis in honorem Virginis Mariae ex hac luce migraverint, si ante eorum obitum Rosarium semel dumtaxat recitaverint. Quam indulgentiam confirmavit Clemens VII. in praefata Bulla: Ineffabilia, etc.

Tertio. Clemens VIII. in Brevi: Salvatoris, 13. ianuarii

*) „Utrum prohibitum sit, impertiri pluries infirmo in eodem mortis periculo permanenti indulgentiam plenariam in articulo mortis ab eodem vel a pluribus sacerdotibus, hanc facultatem ex diverso capite habentibus, puta ratione aggregationis Confraternitati Ss. Rosarii, sacri Scapularis de Monte Carmelo, Ss. Trinitatis etc.? Resp.: Affirmative.“ S. C. I. d. 12. mart. 1855 et 5. febr. 1841.

1592, confratribus Confraternitatis Sanctissimi Rosarii institutae Divioni, qui vere poenitentes et confessi ac Sacra Communione refecti, pium Nomen Iesu corde, si ore nequiverint, in mortis articulo invocaverint, plenariam indulgentiam elargitur.

Quarto. Et in Brevi: Ineffabilia gloriosae, 12. februarii 1598, confratribus Confraternitatis Sanctissimi Rosarii erectae in ecclesia sancti Pauli Vallisoleti, si in articulo mortis recipiendo Sanctissima Ecclesiae Sacramenta et Ecclesiae Romanae fidem profitendo, antiphonam: 'Salve Regina' dixerint, et Beatae Virgini se commendaverint, indulgentiam plenariam concedit.

Quinto. Idem in Bulla, quae incipit: De salute gregis, 18. ianuarii 1592, confratribus et consororibus Confraternitatis Sanctissimi Rosarii Utini erectae, vere poenitentibus et confessis ac Sacra Communione refectis, qui in articulo mortis Sanctissimum Nomen Iesu corde, si ore nequiverint, invocaverint, vel aliquod contritionis signum dederint, indulgentiam plenariam concedit.

Sexto. Clemens X. in Brevi: Coelestium munerum, 16. februarii 1671, sacerdotibus saecularibus aut regularibus, quibus licitum fuerit iuxta Constitutiones et decreta Sedis Apostolicae celebrare Missam Sanctissimi Rosarii, eandem celebrando, sicut et omnibus Religiosis et Sanctimonialibus, etiam tertii Ordinis Praedicatorum, et omnibus confratribus et consororibus cuiuscunque Confraternitatis Sanctissimi Rosarii iam erectae, aut erigendae in futurum in quocunque loco, qui vere poenitentes et confessi, vel firmum confitendi habentes propositum, praedictae Missae devote interfuerint, ibique pro pace inter principes christianos, haeresum extirpatione et exaltatione Sanctae Matris Ecclesiae ora-

verint, quoties id egerint, impertitur omnes indulgentias, peccatorum remissiones et poenitentiarum relaxationes, quas confratres et consorores dictae Confraternitatis integrum Rosarium recitando ex Sedis Apostolicae concessione assequuntur.

Septimo. Idem Pontifex in eodem Brevi omnibus et singulis praedictis, qui soliti fuerint dictam Sanctissimi Rosarii Missam celebrare, uti dictum est, aut eidem assistere, si vere poenitentes, confessi et communicati oraverint, sicut dictum est, concedit, ut omni mense easdem similiter consequantur iudulgentias, peccatorum remissiones et poenitentiarum relaxationes, quas consequuntur confratres et consorores dictarum Confraternitatum, assistendo processioni Sanctissimi Rosarii qualibet prima Dominica mensis.

Octavo. Praeterea idem Summus Pontifex in eodem Brevi concedit, ut omnes hae indulgentiae, peccatorum remissiones et poenitentiarum relaxationes possint per modum suffragii animabus defunctorum applicari.

CAPUT UNDECIMUM.

Quomodo omnes praedictae indulgentiae ad infirmos ac legitime impeditos extendantur.

Praeter ea, quae capitibus quinto et nono diximus, sciendum, Sixtum V. in praefato Brevi: Dum ineffabilia, confratribus Confraternitatum tam hactenus erectarum, quam in posterum erigendarum, itinerantibus, navigantibus et servientibus[1]), totum Rosarium, infirmis vero aut alias legitime impeditis[2]), tertiam eius partem devote recitantibus, necnon temporibus debitis et ab Ecclesia statutis, confitendi et communicandi firmum

1) Cfr. Summar. Pii IX. § X. not.

2) Vide supra p. 365 seqq.

propositum habentibus, qui capellam Rosarii in ecclesia Sanctae Mariae super Minervam Ordinis Praedicatorum Romae aut alias ecclesias vel capellas, ubicunque dicta Confraternitas canonice erecta fuerit, iis diebus, quibus festa Mysteriorum Rosarii celebrantur visitare, et processioni, quae prima Dominica cuiuslibet mensis fieri solet, interesse non poterint, plenariam indulgentiam concedere et elargiri, illisque communicare omnes et singulas indulgentias peccatorumque remissiones, etiam plenarias, concessas et concedendas in futurum, omnibus confratribus et consororibus in praefatis diebus capellas seu ecclesias Rosarii visitantibus, ac dictae processioni interessentibus perinde, ac si iisdem diebus dictas capellas seu ecclesias personaliter visitarent et processionibus huiusmodi interessent. Advertant nihilominus confratres, ut debita contritione muniantur.

CAPUT DUODECIMUM.

Indulgentiae pro defunctis.

Primo. Gregorius XIII. in Bulla, quae incipit: Omnium saluti, 30. octobris 1582, concedit ecclesiae Praedicatorum loci Raconisii, ubi est altare Sanctissimi Rosarii, quod non est altare maius, indultum altaris privilegiati*), quoties ab aliquo dictae domus sacerdote duntaxat Missa defunctorum celebrabitur pro anima cuiuscunque fidelis defuncti confratris Sanctissimi Rosarii.

Secundo. Clemens X. concedit, omnes indulgentias

*) „Per indulgentiam altari privilegiato adnexam, si spectetur mens concedentis et usus clavium potestatis, intelligenda est indulgentia plenaria, quae animam statim liberat ab omnibus purgatorii poenis; si vero spectetur applicationis effectus, intelligenda est indulgentia, cuius mensura divinae misericordiae beneplacito et acceptationi respondet.“ *S. C. I. d. 28. iul. 1840.*

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

capitulo decimo, numero sexto, recensitas posse applicari per modum suffragii animabus defunctorum.

Tertio. Praeterea Innocentius XI. concessit et indulsit in perpetuum, ut omnes et singulae indulgentiae confratribus et consororibus Rosarii concessae possint ab iisdem per modum suffragii applicari animabus fidelium defunctorum, quae Deo in caritate coniunctae ab hac luce migraverint.

Forma ut vocant absolutionis, seu modus impartiendae indulgentiae confratribus Rosarii in articulo mortis. Confiteor etc. *Vide supra p. 198.*

Die 11. iulii 1679 Sacra Congregatio Summarium hoc Indulgentiarum a se recognitum approbavit.

Loco † Sigilli. A. Cardinalis Homodeus.

Michael Angelus Riccius, S. Congregationis Indulgentiarum Sacrarumque Reliquiarum secretarius.

Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Antonius Magister Generalis Summarium huiusmodi, quo firmius subsistat, Apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri et alias opportune in praemissis a nobis provideri, ac ut infra indulgeri plurimum desideret, nos ipsius Antonii Magistri Generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium duntaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine

nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertum Summarium indulgentiarum et gratiarum spiritualium, omniaque et singula in eo contenta auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Praeterea praefato Antonio moderno, et pro tempore existenti Magistro Generali dicti Ordinis Fratrum Praedicatorum, eoque a Romana Curia absente, Vicario Generali eiusdem Ordinis itidem pro tempore existenti, Confraternitates sub titulo Sanctissimi Rosarii huiusmodi in quibusvis mundi partibus, servata tamen Constitutione felicis recordationis Clementis PP. VIII. praedecessoris nostri, quae incipit: Quaecunque a Sede Apostolica, etc., 7. decembris 1604 editae, ac decretorum huius Sanctae Sedis, praesertim circa distantiam*) locorum in erectione Confraternitatum similis instituti servandam emanatorum forma et dispositione, erigendi et instituendi quamcunque necessariam et opportunam facultatem, auctoritate et tenore praefatis tribuimus et impertimur.

Ac omnibus et singulis Confraternitatibus utriusque sexus Christifidelium sub eodem titulo Sanctissimi Rosarii ubicunque locorum hactenus erectis, et in futurum tam in praefati Ordinis, quam in aliis quibuslibet ecclesiis vel oratoriis per memoratum Magistrum Generalem seu Vicarium Generalem, sicut praemittitur, quandocunque erigendis, illarumque confratribus et consororibus, ut statim atque canonica ipsarum Confraternitatum erectio facta fuerit, etiam absque ulla

*) Confer. tamen infra p. 408, § 9.

indulgentiarum ac gratiarum spiritualium communicatione vel aggregatione, omnium et singularum indulgentiarum, etiam plenariarum, ac aliarum gratiarum spiritualium praefatarum participes sint, dictique confratres et consorores omnes et singulas, etiam plenarias, indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes, ceterasque gratias spirituales in Summario praeinserto contentas et expressas, servatis tamen et adimpletis omnibus illis, quae pro illarum consecutione respective praescripta sunt, consequi illisque uti, frui et gaudere libere et licite possint et valeant, eadem auctoritate, harum serie concedimus et indulgemus.

Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quomodocunque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscunque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra et Cancellariae Apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, ac praefata Clementis praedecessoris aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis.

Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque.

Volumus autem, ut earundem praesentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio, quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die 31. iulii 1679, Pontificatus nostri anno tertio.

J. G. SLUSIUS.

B.

SUMMARIUM BENEDICTI XIII.

BENEDICTUS XIII.

Servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

PRETIOSUS in conspectu Domini Fratrum Praedicatorum inclytus Ordo etc.*)

§§ 1 et 4 vide supra p. 351 seqq. et p. 269 no. 9.

§ 5. Ut tamen devotio Deo ac B. M. V. adeo accepta ac populis salutaris in dies augeatur, de Apostolica benignitate indulgemus, quatenus in perpetuum visitantes infra Octavam vel in ipsa Octava festi Rosarii capellam, in qua erecta sit Societas eiusdem Rosarii, die per eosdem eligenda, indulgentiam plenariam consequantur, si confessi ac Sacra Eucharistia refecti, pias de more Ecclesiae ad Deum preces effuderint; declarantes, ad mentem quoque praedecessorum nostro-

*) Haec Bulla habet 85 §§, ex quibus eas solummodo selegimus, quae ad Rosarium pertinent et generales sunt. Sed quia etiam illarum aliquae supra suis locis iam exhibitae hic in extenso reproducendae non sunt, ut tamen omnes, quae ad rem nostram pertinent, uno in conspectu ponantur, synopsis quaedam necessaria videtur. Continentur igitur § 1 et 4: Confirmatio indulgentiarum omnium Ordini Praedicatorum eiusque Confraternitatibus concessarum; rudiores sola devota recitatione Rosarii indulgentias lucrantur. § 5: Indulgentia pro festo et Octava Ss. Rosarii; § 6: Nova Rosaria interdicuntur; § 7: Missa Rosarii privilegiata confirmatur Ordini; § 9: Non requiritur amplius distantia alias sancita pro fundandis Confraternitatibus Ss. Rosarii; § 17: Processio Rosarii prima Dominica octobris; § 30: Libera promotio Ss. Rosarii in ecclesiis Ordinis.

rum, hanc et ceteras superius confirmatas indulgentias, visitantibus capellam Rosarii concessas, eos solummodo lucrari posse, qui capellam ipsam, sive altare, non vero quamcunque Sanctissimae Virginis Rosarii statuam extra capellam praedictam constitutam visitaverint.[1])

§ 6. Ne vero eadem devotio etc. conferas supra p. 146, d).

§ 7. Confirmamus pari et expressa ratione eidem Ordini privative circa Missam votivam privilegiatam praedicti Rosarii incipientem: 'Salve, Radix Sancta', Constitutionem 29, Clementis X. incipientem: Coelestium munerum, 16. februarii 1671.

§ 9. Ac demum [extendimus et ampliamus] declarationem praedictae Congregationis Indulgentiis praepositae, 7. septembris anno 1607, de mandato Pauli V. super Constitutione praelaudati Clementis VIII., nimirum, pro erigendis novis illis aliisque Societatibus non requiri distantiam[2]) illam, quae per antiquiores Apostolicas ordinationes sancita fuerat, dummodo cetera serventur requisita.

§ 17. Indultum praeterea eidem Ordini per nostras literas incipientes: In supremo, 10. aprilis 1725 impartitum, confirmamus, volentes et mandantes, quod eiusdem Ordinis Fratres processionem solemnem Rosarii iuxta dictas literas nostras in prima Dominica octobris celebrare debeant et respective possint absque interventu parochi, et licentia ab Ordinario loci minime requisita, sive sint in possessione eandem processionem faciendi, sive non.

---

1) Haec clausula sublata est a Pio IX. Summ. § IV. no. 2, sed pro festo et Octiduo Ss. Rosarii tantum.

2) Cfr. p. 124, num. 6 seqq.

§ 30. Ad haec declaramus, mandamus et decernimus, ut supra, quod iidem Fratres ex altari aut suggestu in ecclesiis sive oratoriis Ordinis devotionem Sacri Rosarii potissime, tanquam eiusdem Ordinis insigne patrimonium, eiusque indulgentias, sicuti et ceterarum societatum in ipsis ecclesiis aut oratoriis erectarum, aut deinceps erigendarum, nullatenus petita ab Ordinario loci licentia, promovere et praedicare libere ac licite possint et valeant.

Datum die 26. maii 1727.

Tertium Summarium indulgentiarum Confraternitatis Pius IX. edidit anno 1862. Sed quia ante emanationem istius Summarii aliquae novae indulgentiae concessae sunt tum a Pio VII. per Breve: 'Ad augendam' d. 16. febr. 1808, tum ab ipso Pio IX. per decretum S. C. I. d. 12. maii 1851, et quia Pius IX. in Summario suo lectorem remittit ad illas concessiones, harum textum originalem interserimus, antequam ipsum Pii IX. Summarium transcribamus.

a) Breve Pii VII: 'Ad augendam' d. 16. februarii 1808.*)

PIUS Papa VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

1) Ad augendum fidelium religionem et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate

*) Quamvis textus originalis non sit per numeros distributus, nos tamen numeros apposuimus, quo facilius et partes distinguantur et a nobis postea citari queant. — Conceduntur autem hoc Brevi confratribus Ss. Rosarii indulgentiae: num. 1 et 2) pro oratione mentali: 3) pro assistentia anniversariorum et officii defunctorum in ecclesiis Ordinis; 4) pro exercitiis spiritualibus; 5) pro Rosario Perpetuo; 6) pro devotione XV feriarum tertiarum in honorem S. P. Dominici; 7) pro devotione

intenti, precibus quoque dilecti filii Pii Iosephi Gaddi Fratrum Ordinis Praedicatorum Generalis Magistri, omnibus et singulis Fratribus et Monialibus, itemque tertiariis 'de militia Christi seu de Poenitentia' nuncupatis dicti Praedicatorum Ordinis, ac confratribus et consororibus Confraternitatum Beatae Mariae Virginis de Rosario et Sanctissimi Nominis Iesu canonice erectarum et ubilibet erigendarum, qui per horae quadrantem orationi mentali vacaverint, pro qualibet vice centum dies; qui per duos continuatos quadrantes, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus.

2) Iis vero, qui orationi huiusmodi primo aut secundo modo singulis diebus per totum mensem operam dabunt, etiamsi Fratres et Moniales praedicti ad id ex eorum regula teneantur, vere tamen poenitentibus et confessis ac Sacra Communione refectis, atque pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione orantibus, plenariam semel pro quolibet mense ad uniuscuiusque eorum libitum eligendam quolibet anno lucrifaciendam.

3) Similiter praedictorum iis, qui quatuor anniversariis, vel officiis defunctorum in dicto Ordine annuatim praescriptis, unum scilicet pro Fratrum et Monialium ac tertiariorum ipsius Ordinis, alterum pro suorum consanguineorum et affinium, tertium pro familiarium et benefactorum suorum animabus, quartum pro sepultis in eorum ecclesiis et coemeteriis, devote

VII feriarum sextarum in honorem S. Vincentii Ferrerii Ord. Praed.; 8) pro novena immediate praecedente festum Nativitatis D. N. I. C.; 9) omnibus Christifidelibus tempore Missionis a Patribus Ord. Praed. habitae. 10) Omnes hae indulgentiae animabus purgatorii applicari possunt.

interfuerint, ac vere etiam poenitentes et confessi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, atque, ut supra, oraverint, qua vice huiusmodi id egerint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

4) Qui vero ex praedictis per quadraginta dies orationibus, mortificationibus aliisque piis operibus et exercitiis in memoriam quadraginta dierum, quibus Dominus noster Iesus Christus in deserto latuit cum devotione et silentio vacaturi secedunt, qua vice id egerint, semel quotannis easdem indulgentias*), quas Paulus PP. V., praedecessor noster, concessit regularibus, per decem dies spiritualibus exercitiis incumbentibus, consequantur.

5) Universis autem utriusque sexus Christifidelibus vere pariter poenitentibus et confessis ac Sacra Communione refectis, qui hora sibi assignata Rosarium Beatae Mariae Virginis devote recitaverint, atque, ut supra, oraverint, plenariam semel in anno lucrifaciendam.

6) Eisdemque Christifidelibus, qui pia erga Sanctum Dominicum, dicti Ordinis fundatorem ac Rosarii eius-

*) „Iis vero, qui de suorum Superiorum licentia, a negotiis per decem dies alieni, in cella commorabuntur, aut aliorum conversatione separati, in piorum librorum et aliarum rerum spiritualium, animos ad devotionem et spiritum inducentium, lectionibus operam suam dederint, addendo saepe considerationes et meditationes mysteriorum fidei catholicae, divinorum beneficiorum, quatuor novissimorum, Passionis Domini Nostri Iesu Christi et aliorum exercitiorum, orationum iaculatoriarum aut vocalium, saltem per duas horas in diem et noctem orationibus mentalibus sese exercendo, faciendo eodem tempore Confessionem generalem aut annualem vel ordinariam, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, aut Missam celebraverint, toties quoties pro quolibet praedictorum exercitiorum, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus." Paulus V. 'Romanus Pont.' d. 23. maii 1606, no. 10.

dem Beatae Mariae Virginis auctorem, devotione quindecim tertiis feriis in anno confiteri, et in aliqua ipsius Ordinis ecclesia, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumere solent, atque, ut supra, oraverint, quoties id egerint, centum dies de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus; in una vero ex dictis tertiis feriis ad eorum libitum eligenda plenariam.

7) Itidem iis Christifidelibus, qui septem feriis sextis in anno, praesertim vero immediate praecedentibus festum sancti Vincentii Ferrerii, confessi ac Sacra Communione refecti, in honorem eiusdem Sancti, ac etiam, ut supra, orantes, in una ex dictis septem feriis sextis, ad libitum semel in anno eligenda, plenariam, in reliquis vero septem annos et totidem quadragenas.

8) Pariter, qui novem diebus festum Nativitatis Domini nostri Iesu Christi immediate praecedentibus aliquam ecclesiam dicti Ordinis devote visitaverint, ibique piis exercitiis et orationibus aut sacris concionibus interfuerint, septem annos et totidem quadragenas qualibet die, prima autem et ultima, si etiam confessi et Sacra Eucharistia refecti atque, ut supra, oraverint, plenariam.

9) Demum singulis Fratribus Ordinis praedicti, qui de Ordinariorum et Superiorum licentia in diversas christianae reipublicae provincias ad procurandam fidelium salutem mittentur, atque universis Christifidelibus, ad quos ipsi missi accesserint, vere poenitentibus et confessis ac Sacra Communione refectis, qui pro Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, principum christianorum unione et infidelium conversione, prout unicuique suggeret devotio, pias ad Deum preces effuderint, plenariam una vice tantum tempore uniuscuiusque Mis-

sionis omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino etiam concedimus.

10) Quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christifidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse in Domino indulgemus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die 16. februarii 1808, Pontificatus nostri anno octavo.

R. Card. BRASCHIUS DE HONESTIS.

---

b) Decretum S. C. I. iussu Pii IX. editum.*)

URBIS ET ORBIS.

Ex audientia SSmi die 12. maii 1851.

1) Ut magis devotio erga Deiparam semper Virginem in fidelium cordibus incrementum suscipiat, praesertim vero efficacissimam Sanctissimi Rosarii deprecationem, in qua Mysteria quoque nostrae reparationis recoluntur, Sanctissimus Dominus noster Pius Papa IX. humillimis precibus tum Vicarii generalis, tum generalis Procuratoris totius Ordinis Patrum Praedicatorum, benigne inclinatus, praevia confirmatione singularum indulgentiarum, quae per gloriosos praedecessores suos tam sodalibus Confraternitatis Sanctissimi Rosarii, quam universis Christifidelibus Rosarium recitantibus fuerant elargitae, ipsis sodalibus ceterisque fidelibus Rosarium recolentibus novas indulgentias clementer impertitus est.

2) Indulsit nempe, ut confratres et consorores

---

*) Cfr. notam p. 409.

cuiuscunque Sodalitatis Ss. Rosarii tam canonice erectae quam in posterum canonice erigendae, qui aliquam ecclesiam in sequentibus festivitatibus Conceptionis scilicet, Nativitatis, Annuntiationis, Visitationis, Purificationis, Praesentationis et Assumptionis B. Mariae Virginis, itemque in duabus tantum Quadragesimae feriis sextis ad uniuscuiusque libitum eligendis, nec non in Resurrectionis D. N. I. C. Dominica, in eiusdem Ascensionis festo, ac in Dominica Pentecostes devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium iuxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint, indulgentiam plenariam incipiendam a primis vesperis usque ad occasum solis duodecim praedictorum dierum consequantur, dummodo iis diebus vere poenitentes, confessi Sacraque Communione fuerint refecti.

3) Decem vero annorum totidemque quadragenarum indulgentiam semel in die lucrifaciendam sodalibus aliisque Christifidelibus, qui corde saltem contrito tertiam Rosarii partem devote, sive domi, sive in ecclesiis seu publicis vel privatis oratoriis coniunctim recitaverint peramanter est elargitus.

4) Iis tandem fidelibus huiusmodi Sodalitati haud adscriptis, qui praefatam tertiam Rosarii partem ter saltem in qualibet hebdomada eodem modo recitare pro more habuerint, indulgentiam plenariam in ultima singulorum mensium Dominica acquirendam, si vere poenitentes, ut supra, confessi ac Sacra Synaxi refecti, aliquam ecclesiam seu publicum oratorium visitaverint, ibique iuxta praememoratum finem per aliquod spatium temporis oraverint, benigne concessit.

5) Voluit autem eadem Sanctitas Sua, ut omnes et singulae praefatae indulgentiae non modo animabus

in purgatorio existentibus applicabiles, sed etiam perpetuis futuris temporibus sint valiturae absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscunque non obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum.

Loco † sigilli.

F. Card. ASQUINIUS, Praef.

A COLOMBO, Secretarius.

Hoc ergo Brevi Pius IX.

1) singulas indulgentias tam confratribus quam non confratribus a suis praedecessoribus concessas confirmat;

2) concedit *tredecim novas indulgentias plenarias,* quarum duodecim a confratribus in septem B. M. V. festivitatibus, in duabus feriis sextis Quadragesimae, in diebus Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, una vero a non confratribus in ultima singulorum mensium Dominica acquiri possunt.

C.

SUMMARIUM PII PAPAE IX.[1])

INDULGENTIAE PER SUMMOS PONTIFICES

CONFRATRIBUS AC SORORIBUS SOCIETATIS[2]) SANCTISSIMI ROSARII CONCESSAE,

depromptae ex Summario inserto ac confirmato in Brevi a s. m. Innocentii XI.: „NUPER PRO PARTE", dato ex Urbe sub die 31. iulii 1679, et ex aliis subsequentium Romanorum Pontificum concessionibus.

§ I.[3])

In die ingressus in Confraternitatem.

1. Fideles, qui contriti ac Confessione Sacraque Eucharistia refecti Societati dant nomen, plenariam consequuntur indulgentiam. *Cap. II.*[1]) *Summ. Indulg. Ss. Rosarii n. 2. et 3.*

1) Transcripsimus hoc Summarium ex Elencho curis Rmi P. fr Iosephi Mariae Larroca, totius Ordinis FF. Praedicatorum Magistri Generalis, Romae nuperrime edito.

In libellos, quibus titulus est: ' Facultates, Benedictiones et Indulgentiae Confraternitatis Ss. Rosarii' curis eiusdem Rmi P. fr. Larroca pluries editos, menda aliqua irrepsere, scilicet: In § II. omissus est n. 4. *Alias quoque etc.* — § IX. n. 3. in fine habetur: *Ibid. Cap. IV. n. 5.* pro *Ibid. et Cap. IV. n. 5.* — pag. 31, linea 2. *die VIII. sept.* pro *die XVIII. sept.* Cetera erronea, ibi commissa, suis locis indicabimus in notis, ut ii, qui illis libellis utuntur, corrigere valeant errata.

2) '*Archiconfraternitatis SSmi Rosarii*' habent ' Rescripta Authentica S. Congr. Indulg. necnon Summaria Indulg.' Patris Iosephi Schneider, Soc. Iesu, Consultoris S. C. I., Ratisbonae, 1885 p. 418.

3) Partes huius Summarii, quae in originali numeris quidem I, II, III etc. distinguuntur, titulum vero specialem non habent, ab aliis aliter

2. Si contriti, ac Confessione praemissa, in ecclesia aut capella Confraternitatis ad Sacram Synaxim eadem die accesserint, tertiam Rosarii partem recitando, et oraverint pro pace ac tranquillitate S. Matris Ecclesiae, plenariam consequentur indulgentiam. *Cap. II.*[1]) *n. 1.*

§ II.

In Dominica prima uniuscuiusque mensis.

1. Sodales, qui contriti ac Confessione praemissa Sacram susceperint Communionem in ecclesia Confraternitatis ibique oraverint pro haereseon eradicatione, pro pace inter christianos principes proque exaltatione S. Matris Ecclesiae, indulgentiam plenariam consequentur. *Cap. IX. n. 1.*

2. Pariter si contriti, ac Confessione ac Communione praemissa, capellam Ss. Rosarii visitaverint, indulgentiam plenariam consequentur. *Cap. VI. n. 2.*

3. Si pariter, ut supra, Sacramentis refecti intererint processioni, quae fieri solet, et oraverint pro pace inter christianos principes, pro haereseon eradicatione proque exaltatione S. Matris Ecclesiae, plenariam consequentur indulgentiam. *Cap. V.*[2]) *n. 3. et 5. Cap. VI. n. 6.*

4. Alias quoque partiales indulgentias consequi poterunt. *Cap. V. n. 1. et 2. Cap. VII. n. 5.*

---

appellantur. Sed quia in 'Declarationibus', a S. Congregatione Indulgentiarum super hoc Summarium editis et a nobis p. 359 seqq. relatis, nominantur §§, nos quoque ad praescindendam omnem ambiguitatem partes has inscribemus et citabimus ut paragraphos I, II etc.

1) Capita, quae in fine singulorum numerorum huius Summarii apponuntur, indicant locos respectivos Summarii Innocentii XI. In notis autem quas isti Summario supra exhibito adiecimus, invenies etiam, quae ad intelligendum Summarium hoc necessaria sunt vel utilia.

2) In exemplo nostro, scilicet eo, quod a Rmo Magistro Generali P. Larroca nuperrime editum est, legitur: *Cap. III. et V. Cap. VI. n. 6.*, quod aperte erroneum est.

§ III.

In festivitatibus Beatissimae Virginis Mariae.

1. Sodales, qui contriti et confessi, aut saltem cum firmo Confessionem faciendi temporibus ab Ecclesia designatis proposito, capellam Ss. Rosarii visitabunt a primis vesperis usque ad solis occasum dierum Conceptionis Immaculatae, Nativitatis, Praesentationis, Annuntiationis, Purificationis, Visitationis et Assumptionis B. Mariae Virginis, indulgentiam plenariam consequentur. *Cap. VI. n. 1.*

Quam quidem pariter consequentur, si praedictis diebus, Confessione ac Communione praemissa, ecclesiam quamcunque vel publicum oratorium praefatis diebus[1]) visitaverint ibique aliquam moram iuxta mentem Pontificis orando traxerint:

Insuper sub iisdem conditionibus eodem iure fruentur etiam in solemnitate Resurrectionis D. N. Iesu Christi, in Ascensione et Pentecoste, necnon in duabus feriis sextis per Quadragesimam ad arbitrium eligendis. *Pius IX. Decr. S. C. Indulg. sub d. 12. maii 1851.*[2])

2. Si Confessione ac Communione praemissa capellam Ss. Rosarii visitaverint in diebus Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis Beatae Mariae Virginis, ibique ad mentem Pontificis oraverint, plenariam consequentur indulgentiam. *Cap. VI. n. 2. et 3.*

3. Si contriti ac confessi aut saltem cum sincera confitendi voluntate temporibus ab Ecclesia praescriptis, processioni in solemnitatibus B. Virginis fieri solitae

1) Ita in omnibus Elenchis, quamvis reduplicatio ista superflua videatur.

2) Vide supra p. 413.

sese socios addiderint, in septem festivitatibus n. 1. memoratis, indulgentiam plenariam consequentur. *Cap. V. n. 4.*

4. In aliquibus particularibus B. M. Virginis festivitatibus adduntur indulgentiae. In festo Annuntiationis, qui contriti, confessi et Communione refecti Rosarium recitant, indulgentiam plenariam consequuntur: in diebus vero Assumptionis, Nativitatis et Purificationis B. Mariae Virginis conceduntur decem anni et totidem quadragenae. *Cap. IV. n. 4.*

5. In festo Assumptionis, si contriti, confessi ac Communione refecti Fraternitatis ecclesiam visitabunt a primis vesperis ad solis occasum, Deum rogando, ut supra, indulgentiam plenariam consequentur. *Cap. VI. n. 9.*

6. Aliae insuper elargiuntur indulgentiae partiales in variis B. Virginis solemnitatibus, videlicet centum dies tertiam Rosarii partem recitantibus in Annuntiatione, Visitatione, Assumptione, Nativitate et Purificatione B. Virginis. *Cap. IV. n. 1.*

Sic etiam conceduntur septem anni et totidem quadragenae confratribus, qui contriti, ac Confessione praemissa, integrum Rosarium recitant in festivitatibus Annuntiationis, Nativitatis et Assumptionis Beatae Virginis. *Cap. IV. n. 3.*[1])

Pariter septem anni totidemque quadragenae dantur confratribus, qui contriti ac confessi, Sacra Communione suscepta, visitant capellam *aut*[2]) altare Ss. Rosarii, orantes modo supra praescripto diebus Paschatis, Pentecostes, Assumptionis B. Virginis, Omnium Sanctorum et in Nativitate D. N. Iesu Christi. *Cap. VI. n. 8.*

1) In exemplo nostro: *Cap. VI. n. 3.* erroneum est.

2) Cfr. supra p. 140, 2.

§ IV.

In festo SSmi Rosarii, Dominica prima Octobris.

1. Omnes conceduntur indulgentiae primae uniuscuiusque mensis Dominicae affixae.

Insuper confratres, si contriti apud sacerdotem Ordinis Praedicatorum Confessionem peregerint, Sacramque sumpserint Eucharistiam in ecclesia eiusdem Ordinis, in qua est instituta Confraternitas Ss. Rosarii, plenariam consequentur indulgentiam. *Cap. IX. n. 3.*

Pius IX. *Decr. S. C. Indulg. 5. aprilis 1869*[1]) declaravit, in posterum sufficere, ut in quavis ecclesia et penes quemcunque sacerdotem ab Ordinario loci approbatum confessi fuerint et S. Communionem exceperint, ita tamen ut debeant visitare ecclesiam Ordinis, in qua erecta sit Confraternitas Ss. Rosarii, vel, deficiente Ordinis ecclesia, aliam, in qua dicta Confraternitas erecta reperiatur.

2. Si pariter Sacramentis susceptis, in memoriam celebris ab armis Christianorum victoriae super Turcas auxilio Virginis reportatae, capellam Rosarii vel simulacrum B. Virginis Rosarii extra capellam publicae venerationi in ecclesia expositum, *(Pius IX. Decr. S. C. Indulg. 25. ianuarii 1866)*[2]) a primis vesperis vigiliae ad solis occasum ipsius festivitatis devote visitaverint, ibique, ut supra praescriptum est, oraverint, *quoties id fecerint, toties* plenariam consequentur indulgentiam. *Cap. VI. n. 4. et 7. S. Pius V. Constit.* Salvatoris *5. martii 1572.*[3])

1) Vide supra p. 359. Ea, quae huic Summario post annum approbationis 1862 inserta sunt, inseruit ex novissimis decretis summus Confraternitatis Moderator Rmus Magister Generalis Ordinis.

2) Vide supra p. 359.

3) Qua in Bulla legitur: „Omnibus singulis dictae Confraternitatis confratribus, nunc et pro tempore existentibus, ac aliis utriusque sexus

Haec autem indulgentia omnibus Christifidelibus communis est. *Cap. VI.*[1]) *n. 5. et in cit. Const. S. Pii V.*

3. Fidelis quicunque, qui vel octava die vel infra Octavam ipsius festivitatis Ss. Rosarii die ad arbitrium, capellam Ss. Rosarii (vel simulacrum B. M. Virginis, ut supra) Confessione ac Communione praemissa, visitaverit et per aliquod temporis spatium praedicto modo oraverit, indulgentiam plenariam consequetur. *Bened. XIII. Bulla:* 'Pretiosus' § 5.[2])

§ V.

In festis mysteriorum SSmi Rosarii.

1. Confratres, qui diebus, in quibus Mysteria[3]) aliqua Rosarii ab Ecclesia celebrantur, si contriti ac confessi ac Sacra Communione suscepta, capellam Ss. Rosarii visitaverint, indulgentiam plenariam consequentur. *Cap. VI. n. 6.*

2. Si in festivitatibus Resurrectionis D. N. Iesu Christi, Annuntiationis et Assumptionis B. M. V. tertiam Rosarii partem recitabunt, decem annos totidemque

---

Christifidelibus, vere poenitentibus et confessis et Sacramentis ecclesiasticis munitis, qui capellam confratrum huiusmodi in die festivitatis eiusdem Beatae Mariae *del Rosario,* de cetero die septima mensis octobris annis singulis, perpetuis futuris temporibus, loco illius, quae secunda Dominica maii celebrari solebat, celebrandae, ac quam ad huiusmodi effectum in diem septimam mensis octobris transmutamus in memoriam dictae victoriae, ac eiusdem Beatae Mariae Virginis honorem, devote visitaverint, a primis vesperis vigiliae usque ad occasum solis diei eiusdem festivitatis inclusive ac inibi in dictae victoriae memoriam pro fidei catholicae exaltatione ac haeresum exstirpatione, pias ad Deum preces effuderint, *quoties id fecerint, toties* plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus et perpetuo elargimur" etc. — Cfr. etiam pp. 356 seqq. et 391 not. 2.

1) In exemplo nostro: *Cap. IV.* error.

2) Cfr. p. 407.

3) Vide p. 190 n. 30.

quadragenas indulgentiae consequentur. Insuper si in reliquis festivitatibus Iesu Christi et B. Virginis, in quibus mentio fit de Mysteriis Ss. Rosarii, saltem tertiam Rosarii partem recitabunt, septem annos totidemque quadragenas consequentur indulgentiae. *Cap. IV. n. 6. et 7.*

§ VI.

In diebus Stationum, aliisque infra annum.

1. Confratres quinque altaria ecclesiae[1]) visitantes, easdem prorsus indulgentias[2]) consequuntur, ac si peregre omnes Stationes Urbis visitarent. *Cap. VIII.*

Dies porro Stationum hi sunt: Circumcisio, Epiphania, tres Dominicae Septuagesimae, Sexagesimae et Quinquagesimae. A die Cinerum usque ad Dominicam in Albis quotidie. Dies S. Marci et tres dies Rogationum, Ascensio, Vigilia et dies Pentecostes usque ad subsequens Sabbatum singulis diebus. Quatuor Tempora Septembris, Dominicae Adventus cum Quatuor Temporibus Decembris, Vigilia, et dies Nativitatis D. N. Iesu Christi, qua die tres Stationes sunt pro tribus Missis, et sequentes tres festivitates. *Miss. Rom.*

2. Confratres insuper, qui contriti, confessi ac Communione suscepta, altare Ss. Rosarii visitaverint, plenariam consequentur indulgentiam sequentibus diebus, videlicet Dominica tertia Aprilis *(Cap. VI. n. 4.)*, in festo Corporis Christi, et Sancti Titularis ecclesiae *(Cap. VII. n. 6.)*, nec non in Dominica infra Octavam

1) cuiuscunque. Innoc. XI. Summar. Cap. VIII.

2) Indulgentiae hae secundum 'Raccolta', Roma 1877, p. 371 seqq., aliae partiales sunt, scilicet vel 10 vel 15 vel 30 annorum totidemque quadragenarum, aliae, numero quatuor, plenariae sunt et acquiri possunt die festo Nativitatis Iesu Christi, feria V. in Coena Domini, festis Paschatis et Ascensionis. Omnes vero has indulgentias, etiam partiales, infra in Kalendario nostro suis locis inseremus.

Nativitatis B. Mariae Virginis, orantes iuxta mentem Romanorum Pontificum, qui eandem concesserunt. *Cap. IX. n. 2.*

§ VII.

Pro recitatione Rosarii.

1. Confratres, tertiam Rosarii partem recitantes, partiales adipiscuntur indulgentias. *Cap. III. n. 1. 2. 3.*[1]) *4. 5. 9.*

Si recitaverint tertiam Rosarii partem in ecclesia Societatis, in capella Ss. Rosarii, vel etiam in ecclesiae parte, ubi visibile sit altare dictae capellae, seu etiam extra civitatem morantes, in qua sit erecta Societas, in quacunque ecclesia vel oratorio, quinquaginta annos indulgentiae consequuntur, semel in die lucrandae. *Cap. III. n. 7.*[2])

2. Si vero integrum Rosarium recitabunt, omnes consequentur indulgentias, quae in Hispania conceduntur coronam B. Virginis Mariae recitantibus. *Cap. III. n. 11.*

3. Duo conceduntur anni indulgentiae confratribus pro unoquolibet ex tribus hebdomadae diebus, in quibus tertiam Rosarii partem recitaverint, dummodo tamen integrum in eadem hebdomada illud recitaverint. *Cap. III. n. 8.*

Confratres, qui devote integrum Rosarium recitaverint, pro qualibet hebdomada consequentur septem annos totidemque quadragenas. *Cap. III. n. 10.*

Item confratres, qui contriti et confessi vel saltem cum proposito Confessionis, ter in hebdomada Rosa-

---

1) *n. 3.* hic prima vice adiectum est propter decr. S. C. I. d. 25. febr. 1877, quod habes supra p. 338.

2) 'Rescripta Authentica' p. 422 et exemplum nostrum hic minus consentaneum ponunt: *n. 1.*

rium devote recitabunt, pro qualibet vice decem annos totidemque quadragenas consequentur. *Cap. III. n. 6.*

Ac tandem illud per hebdomadam recitantes, plenariam consequentur indulgentiam, in vita semel lucrandam. *Cap. IV. n. 2.*

4. Omnes Christifideles, vel integre vel tertiam Rosarii partem recitantes, pro quolibet *Pater* et quolibet *Ave* centum dies indulgentiae consequentur; quod si per annum singulis diebus saltem tertiam partem recitabunt, Confessione ac Communione praemissa, in die ad libitum eligenda, plenariam consequentur indulgentiam, dummodo tamen Rosaria a Patribus Ordinis Praedicatorum fuerint benedicta. *Bened. XIII. Bulla* „Sanctissimus" *die 13. aprilis 1726.*[1]) Quae sunt indulgentiae ipsae iam coronis S. Birgittae concessae, sicut *in Summ. earundem 4. decembris 1714 in Bullario Clementis XI.*

5. Omnes Christifideles, etiam Societati non inscripti, qui saltem contrito corde tertiam Rosarii partem devote recitaverint una cum aliis, vel domi aut in ecclesia seu oratorio publico vel privato, decem annos totidemque quadragenas consequentur semel in die. *Pius IX. Decr. S. C. Indulg. 12. maii 1851.*[2])

6. Christifidelibus Societati non inscriptis, qui in more habebunt recitandi tertiam Rosarii partem una cum aliis saltem ter per hebdomadam, plenaria conceditur indulgentia qualibet postrema die Dominica uniuscuiusque mensis lucranda, si tamen vere contriti, et Confessione et Communione suscepta, visitabunt ecclesiam quamcunque aut publicum oratorium,

1) Vide supra p. 243.
2) Vide supra p. 413.

ibique per aliquod temporis spatium ad mentem Summi Pontificis orabunt. *Pius IX. Decr. S. C. Indulg. 12. maii 1851.*[1])

§ VIII.

Pro Missa votiva Ss. Rosarii.

1. Sacerdotes, qui, facultatem habentes, votivam Ss. Rosarii Missam celebraverint, sicuti omnes tum Fratres et Sorores Ordinis Praedicatorum, tum confratres et consorores Rosarii, qui contriti et confessi vel etiam cum proposito Confessionis devote dictae Missae adstabunt, et ibi oraverint pro pace inter christianos principes, pro haereseon eradicatione proque exaltatione S. Matris Ecclesiae, consequentur indulgentias omnes integrum Rosarium recitantibus concessas. *Cap. X. n. 6.*

2. Insuper semel in mense, si in more habuerint illam celebrandi vel audiendi, contriti, confessi et Sacra Eucharistia refecti, omnes consequentur indulgentias, quae conceduntur assistentibus processioni prima Dominica uniuscuiusque mensis fieri solitae. *Cap. X. n. 7.*

§ IX.

Pro variis pietatis operibus.

1. Confratres antiphonae 'Salve' post completorium assistentes contriti et confessi, aut cum proposito confitendi praefinito tempore, centum dies indulgentiae qualibet vice lucrantur. *Cap. VII. n. 4.* In festis vero B. Virginis, Apostolorum ac Sanctorum Ordinis Praedicatorum, quando[2]) iuxta Statuta Societatis cum accensa candela adstare debent, tres annos

---

1) Vide supra p. 413.

2) *Et* quando; sic legitur loco citato et in Bulla originali Clementis VIII.: Ineffabilia d. 12. febr. 1598.

totidemque lucrantur quadragenas. *Ibid.* Ex decreto S. Congregationis Ind. sub die 11. augusti 1862, confirmato a SS. D. N. Pio PP. IX. sub die 18. septembris 1862, id intelligendum est de festivitatibus B. Virginis, quae per totam celebrantur Ecclesiam, et de Apostolorum natalitiis tantum. In omnibus sabbatis, ac festivis diebus per annum quadraginta dies adiiciuntur, et in sabbatis Quadragesimae annus. *Ibid. n. 1. et 6.*

2. Si infirmos confratres visitabunt, tres annos tresque quadragenas. Item si confratres defunctos ad sepulturam associabunt, tres annos tresque quadragenas. Si exequiis adstabunt sequentes processionem, quae in sabbatis aut semel in mense fit per ecclesiam sive per claustrum in suffragium defunctorum, octo annos indulgentiae consequentur, ac generatim pro omni opere charitatis et pietatis sexaginta dies conceduntur indulgentiae. *Cap. VII. per totum.*

3. Confratres capellam Ss. Rosarii visitantes quotidie, uti supra, orando, centum dies indulgentiae consequuntur. *Cap. VI. n. 4.*

Si alios induxerint ad tertiam Rosarii partem recitandam, qualibet vice centum quadraginta dies. *Cap. III. n. 1. et 4.*

Si contriti secum detulerint Rosarium in obsequium B. Virginis, semel in die centum annos et totidem quadragenas. *Cap. III. n. 3.*[1])

Si Nomen *Jesu* in fine uniuscuiusque *Ave Maria* pronuntiabunt, quinque annos et quinque quadragenas consequentur.[2]) *Ibid. et Cap. IV. n. 5.*

4. Confratres, qui per quartam horae partem mentali orationi dabunt operam, qualibet vice centum

---

1) et 2) Cfr. supra pp. 346 seqq.

dies: si per mediam horam, septem annos totidemque quadragenas. Si vero alterutro modo id peragant, dummodo quotidie fecerint per integrum mensem, Confessione, Communione consuetisque precibus praemissis, indulgentiam plenariam semel in mense, die ad arbitrium eligenda, consequentur. *Pius VII.:* „Ad augendam“ *16. februarii 1808.*[1])

5. Confratres, qui in quatuor Anniversariis quotannis fieri solitis in Ordine, recitationi officii defunctorum adstant, Confessione ac Communione praemissa, et, ut supra, orantes, plenariam indulgentiam obtinebunt. *Ibid.*

Denique confratres, qui per dies quadraginta in memoriam quadraginta dierum, quibus Christus in deserto stetit, in oratione, mortificatione et in aliis piis operibus sese exercebunt, semel in anno easdem lucrantur indulgentias, quas Paulus V. concessit Regularibus sacris spiritualibus exercitiis per decem dies vacantibus. *Ibid.*

§ X.

Pro infirmis aliisque legitime impeditis.

1. Plenariam indulgentiam confratribus concessam, qui processioni primae Dominicae uniuscuiusque mensis assistunt, consequi poterunt confratres itinerantes, navigantes aut alicui inservientes[2]), integra Ss. Rosarii recitatione: infirmi vero vel legitime impediti, si tertiam partem recitabunt, dummodo contriti fuerint, et veram habeant voluntatem Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae suscipiendi diebus ab Ecclesia constitutis. *Cap. XI.*

---

1) Vide p. 409.

2) Intelliguntur tam milites actu servientes quam servituti addicti, imo et famuli. S. C. I. d. 25. febr. 1877.

2. Indulgentia plenaria concessa propter visitationem capellae iis diebus, quibus festa Mysteriorum Rosarii celebrantur, ab iisdem consequi poterit, si recitabunt Rosarium, uti supra n. 1. *Ibid.*

3. Confratres infirmi consequi poterunt plenariam indulgentiam iis concessam, qui Sacram Eucharistiam suscipiunt, et processioni intersunt primis uniuscuiusque mensis Dominicis diebus in ecclesia Confraternitatis, si tamen contriti, confessi et Sacra Communione refecti Rosarium[1]) coram aliqua devota imagine recitabunt aliasque effuderint preces pro exaltatione S. Matris Ecclesiae, haeresum eradicatione et pace inter christianos principes. *Cap. V. n. 2. et Cap. IX. n. 1.*

4. Aliae partiales indulgentiae infirmis conceduntur. *Cap. VII. n. 4. et 5.*

§ XI.

Pro morientibus.

1. Confratres, qui per hebdomadam Rosarium recitaverint, in morte consequentur plenariam indulgentiam, applicandam a sacerdote iuxta formulam Absolutionis Ss. Rosarii praescriptam. *Cap. IV. n. 2. Cap. IX. n. 4.*[2]) *et post Cap. XII.*

2. Si in mortis articulo Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae susceperint, indulgentiam plenariam lucrantur. *Cap. II. n. 1. et Cap. X. n. 1.*

3. Si semel tantum Rosarium recitaverint contriti et confessi vel cum proposito etc. excedent ex hac

1) Intelligitur tertia pars Rosarii. *S. C. I. d. 25. febr. 1877.*

2) Caput IX. non gaudet numero 4. In Elenchis annis 1867 et 1869 impressis invenitur hoc loco *Cap. X. n. 4.* et *Cap. V. n. 4.*, sed ibi non fit mentio de absolutione generali. Hic error nec in editionibus Romanis nec in 'Rescriptis Authenticis' nuper Ratisbonae a P. Schneider S. I. editis, p. 426 correctus est. De cetero poterit iste locus erroneus omitti, cum alii loci citati conveniant et sufficiant.

vita, manu tenentes candelam benedictam Ss. Rosarii, plenariam indulgentiam consequentur. *Cap. X. n. 2.*

4. Si in mortis articulo suscipientes Ss. Sacramenta ac fidem profitentes S. R. Ecclesiae, recitabunt antiphonam *Salve Regina*, ac B. Virgini sese commendabunt, indulgentiam plenariam consequentur. *Cap. X. n. 4.*

5. Si contriti, ac Confessione et Communione suscepta, invocabunt Nomen Sanctissimum Iesu corde, si ore non poterunt, vel aliquod contritionis dederint signum, indulgentiam plenariam consequentur. *Cap. X. n. 5.*

§ XII.

Pro Defunctis.

1. Altare Ss. Rosarii est *privilegiatum,* quotiescunque ab aliquo sacerdote Ordinis Praedicatorum tantum celebrabitur Missa defunctorum pro anima cuiuscunque confratris Ss. Rosarii. *Cap. XII. n. 1.*

Quod privilegium subinde extensum fuit ad omnia altaria ecclesiarum Fratrum Praedicatorum in favorem et liberationem a poenis Purgatorii animarum omnium fidelium. *Bened. XIII.* 'Exponi Nobis' *die 22. septembris 1724.*

2. In ecclesiis, in quibus canonice erecta est Confraternitas, altare Ss. Rosarii pro omnibus sacerdotibus confratribus gaudet privilegio in favorem cuiuscunque defuncti. *S. Cong. Indulg. 7. iunii 1842.*

Praeterea eodem privilegio gaudet altare pro quocunque sacerdote, dummodo aliud non exstet in ecclesia, in qua celebrat, altare privilegiatum. *Pius IX.* 'Omnium salutari' *die 3. martii 1857.*

Omnes et singulae indulgentiae confratribus et consororibus Ss. Rosarii concessae possunt ab iisdem

per modum suffragii applicari animabus fidelium defunctorum, quae vinculo caritatis Deo coniunctae diem clauserint supremum. *Cap. XII.*[1]) *n. 3.*

Pius IX. *(decr. S. C. Indulg. 5. aprilis 1869)*[2]) declaravit indulgentias concessas Confraternitati Ss. Rosarii, quae ex Apostolica concessione omnibus Christifidelibus communes sunt, posse ab iisdem per modum suffragii applicari animabus Purgatorii.

EX AUDIENTIA SANCTISSIMI

DIE XVIII. SEPTEMBRIS MDCCCLXII.

Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. IX. omnes et singulas Indulgentias in hoc Summario accurate recensitas, ac de sua et de suorum Praedecessorum Apostolica benignitate tum Sodalibus Sanctissimi Rosarii, tum omnibus Christifidelibus, ut in eodem Summario, elargitas, clementer confirmavit, idemque Summarium, ita redactum ac revisum, uti authenticum S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita typis imprimi ac publicari permittit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis.

Loco ✠ Sigilli.

F. Card. ASQUINIUS Praef.

A. Archip. Prinzivalli Substitutus.

Concordat cum Originali, quod in Archivio Nostro asservatur.

FR. IOSEPHUS MARIA LARROCA
Mag. Gen. Ord. Praed.

---

1) In exemplo nostro habetur: *Cap. XIII.*, quod non existit.
2) Vide supra p. 359.

Kalendarium indulgentiarum Confraternitatis Ss. Rosarii.

RATIO HUIUS KALENDARII.

Adductis iam in extenso diversis Summariis, quibus ditissimae indulgentiae devotioni et Confraternitati Ss. Rosarii concessae diversimode comprehenduntur ac longe lateque describuntur, restat nunc, ut ex variis illis Summariis unum quoddam indulgentiarum Kalendarium componamus, in quo omnes et singulas tum plenarias tum partiales indulgentias ibidem contentas, iuxta ordinem dierum et temporum, quibus affixae sunt, conspicue et dilucide enumeremus.

Quo fiet, ut unusquisque et praecipue rectores Confraternitatis, quibus proculdubio incumbit, indulgentias confratribus intimare, absque studio et facillime detegere possint, quasnam indulgentias singulis diebus vel temporibus confratres lucrari valeant.

Unicuique vero indulgentiae propositae statim addemus locum Summarii, ubi talis indulgentia conceditur, ne quidquam temere composuisse aut ex aliis fontibus non originalibus transcripsisse videamur.

Cum Innocentii XI. quidem Summarium, a Sacra Congregatione Indulgentiarum nuperrime denuo approbatum et confirmatum, prae ceteris sit magis completum ideoque ad illud saepius recurrere debeamus, huius Summarii loci, absque praemisso Innocentii nomine, solummodo per capita et numeros typis, ut

aiunt, cursivis indicantur; cetera autem Summaria citantur praemissis etiam Pontificum nominibus, vel potius solius Pii IX., quia ipse in suo Summario ceterorum Pontificum nomina et litteras adducit.

Conditiones quoque pro singulis indulgentiis sive plenariis sive partialibus acquirendis praescriptas assignabimus signis quibusdam brevitatis causa adhibitis.

Porro pro pluribus indulgentiis plenariis eodem die lucrandis unam et eandem Confessionem et S. Communionem sufficere eamque Confessionem pro acquirendis omnibus indulgentiis per hebdomadam, imo in aliquibus locis per quindecim dies valere, nemo est qui ignoret. Nihilominus ad singulas indulgentias conditiones apposuimus *omnes* eo fine, ut illi, qui quacunque de causa aliquo die festo primam vel aliam indulgentiam lucrari non valent, sciant, quid sibi stricte faciendum sit pro sola tertia v. gr. vel quarta acquirenda.

Partiales autem indulgentias, quo evidentius a plenariis distinguantur, minoribus characteribus inseri curabimus.

Deinde cum Rosarii devotioni et Confraternitati aliquae indulgentiae ita concessae sint, ut possint eaedem etiam acquiri a fidelibus quibuslibet, Confraternitati non adscriptis, talibus indulgentiis speciale indicium praeponemus.

In memoriam insuper revocamus, omnes indulgentias Confraternitatis, etiam eas, quae ex superabundantia, ut ita dicam, non adscriptis sunt concessae, animabus in Purgatorio detentis applicari posse.

Primo igitur loco indulgentias illas adducemus, quas confratres lucrari possunt die ingressus, secundo eas quas omni tempore, tertio eas quas singulis men-

sibus, quarto eas quas certis tantum diebus acquirere valent. Denique cum ecclesiae Ordinis Praedicatorum etiam Confraternitatis ecclesiae sint, quinto loco subiungemus illas indulgentias, quae ecclesiis Ordinis Praedicatorum sunt propriae.

Abbreviationes

quibus in hoc Kalendario utemur, hae sunt:

C C significat Confessionem et S. Communionem esse praescriptam;

C. C in eccl. Confr. = Confessio fieri potest ubivis, S. Communio vero recipi debet in ecclesia Confraternitatis;

visit. cap. = visitatio capellae seu altaris Ss. Rosarii praescripta;

5 dec. = tertia pars Rosarii seu quinque decades;

15 dec. = Rosarium integrum;

orat. = oratio ad intentionem Summi Pontificis;

Myst. = indulgentia ratione Mysterii alicuius Ss. Rosarii concessa;

Statio = indulgentia, quae primitus Stationibus Urbis affixa, a confratribus in quacunque ecclesia acquiritur visitando quinque altaria aut unum quinquies, si quinque desunt. Vide p. 397.

† = indulgentia ab omnibus fidelibus, etiam Confraternitati non adscriptis, acquirenda.

Kalendarium

Indulgentiarum Confraternitatis Ss. Rosarii.

I.

DIE INGRESSUS IN CONFRATERNITATEM:

Duae indulgentiae plenariae. *Conditiones*
ad primam: C C, adscriptio. *Innoc. XI. Summ. II, 2, 3;**)
ad secundam: C, C in eccl. Confr., 5 dec., orat. *II, 1.*

II.

OMNI TEMPORE

A) Pro recitatione Rosarii integri:

Toties indulgentia plenaria cum pluribus partialibus, quoties quis totum Psalterium recitat. *III, 11;* praeterea pro eodem Psalterio *ter* indulgentiae omnes, quae sequuntur.

B) Pro tertiae Rosarii partis recitatione:

1. Toties-quoties:

a) 40 dies indulg. *III, 1.*
b) 40 dies, exceptis diebus Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis et Nativitatis B. M. V., in quibus maior est indulgentia, ut infra in respectivis festis indicabitur. *III, 9.*
c) 100 dies. *III, 4.*
d) 100 dies. *III, 5.*
e) $7 \times 3 \times 50$ dies, i. e. 7 dies pro singulis invocationibus SS. Nominum Iesu et Mariae. *IV, 5.*

---

*) Intellige Summarium Innocentii XI. caput II, num. 2, 3. et sic in ceteris. Cfr. p. 431.

f) ÷ 25 × 3 × 50 dies, i. e. 25 dies pro iisdem singulis invocationibus.[1])

g) ÷ 55 × 100 dies, si quis utitur Rosario benedicto ab Ordine Praedicatorum.[2]) *Pius IX. Summ. VII, 4.*

h) 2 × 5 anni et quadragenae.[3]) *III, 2.*

i) 2 × 50 × 5 anni et quadr.[3]) *III, 3.*

k) 2 × 60,000 anni et quadr.[3]); Confessio. *III, 2.*

2. Quotidie semel:

a) 50 anni, si recitatio fit in capella Ss. Rosarii vel in ecclesiae Confraternitatis loco quolibet, ex quo altare Ss. Ros. conspici potest aut ea deficiente, in qualibet ecclesia seu oratorio quocunque. *III, 7.*

b) ÷ 10 anni et 10 quadr. indulta iis, qui saltem contrito corde una cum aliis 5 dec. recitant. *Pius IX. Summar. § VII, 5.*

3. Pro Rosario hebdomadali:

a) 7 anni et 7 quadr. *III, 10.*

b) 2 anni ter in hebdomada pro iis tribus diebus, quibus 5 dec. persolvuntur. *III, 8.*

c) 10 anni et 10 quadr. pro iisdem tribus diebus. Confessio seu confit. propositum. *III, 6.*

C) Pro bonis operibus:

a) 2 × 100 anni et 2 × 100 quadr. semel quotidie concessa sunt iis, qui contriti Rosarium quocunque modo secum deferunt in obsequium B. M. V. *III, 2.*[4])

---

1) Sixtus V. Reddituri d. 11. iul. 1587, confirm. a Benedicto XIII. d. 12. ian. 1726.

2) Ratio, cur in Summario Pii IX. solis indulgentiis ibi § VII, n. 4 allatis et a Benedicto XIII. concessis apposita est conditio utendi Rosario benedicto etc., patet ex dictis supra pp. 242 seqq. Itaque ne inde inferas, benedictionem hanc pro ceteris Rosarii indulgentiis lucrandis minime requiri, sed e contra eam esse necessariam, legas formulam benedictionis supra p. 196 seqq. Quae formula ab antiquis temporibus et iam diu ante Benedictum XIII. ubique usitata eadem semper usque hodie permansit: inter effectus autem benedictionis Rosario applicatae haec ipsa formula enumerat consortium et participationem omnium indulgentiarum Confraternitati Ss. Rosarii concessarum. Cfr. etiam supra p. 212. no. 4 seqq.

3) Vide supra pp. 346—356. 4) Vide pp. 348 seqq.

b) 7 et † 25 dies pro singulis invocationibus SS. Nominum Iesu vel Mariae extra Rosarium, *ut supra* 𝔅*e) et f).*

c) 60 dies pro quocunque opere pietatis vel caritatis. *VII, 5*; praeterea

d) 60 dies, quoties confratres congregationibus Confraternitatis intersunt, vel Sanctissimum ad infirmum associant vel impediti unum Pater pro eodem infirmo genuflexi recitant. *VII, 3.*

e) 100 dies pro meditatione per quartam horae partem. *Pius IX. § IX, 4.*

f) 100 dies quotidie pro visitatione capellae et orat. *VI, 4.*

g) 40 et 100 dies, si confrater alium ad 5 dec. persolvendas inducit. *III, 1, 4.*

h) 1 annus et † 100 dies, quoties quis sermoni de Rosario B. Mariae V. habito adstat. *III, 4; VII, 6.*

i) 1 annus pro assistentia Missae sabbatis Quadrages. *VII, 6.*

k) 3 anni et 3 quadr. indulta sunt iis, qui fratrem infirmum visitabunt aut defunctos confratres ad ecclesiam associant. *VII, 4.* Pro hac associatione ad sepulturam insuper 100 et 60 dies; orat. *VII, 2, 3.*

l) 5 anni, quando virgines ex eleemosynis Confraternitatis Ss. Rosarii matrimonio iunguntur, tam ipsis, quam ipsarum maritis et confratribus Ss. Rosarii processionem comitantibus concessi sunt. *VII. in fine.*

m) 7 anni et 7 quadr. pro meditatione per mediam horam. *Pius IX. § IX, 4.*

𝔇) Pro Missa votiva Rosarii: 'Salve Radix Sancta'[1])

Indulgentiae plenariae et omnes partiales pro recitatione Rosarii integri[2]) concessae acquiruntur singulis vicibus, quoties Missa haec a facultatem habente celebratur, tum a celebrante tum a singulis devote adstantibus confratribus. Confessio vel saltem firmum confitendi propositum, orat. *X, 6.*

---

1) De hac Missa vide pag. 456.

2) Cfr. p. 434 II. 𝔄 et 𝔅.

III.
SINGULIS MENSIBUS

A) Singulis primis mensium Dominicis [1]):

Quinque indulgentiae plenariae.

ad 1) C, C in eccl. Confr., orat. *IX, 1.*
ad 2) C C, visit. cap. — *VI, 2.*
ad 3) C C, interesse processioni. *V, 2.*
ad 4) C C, interesse processioni, orat. *V, 3.*
ad 5) C C interesse processioni, vis. cap. — *VI, 6. V, 5.*

Eodem die

100 et 60 dies necnon † 7 anni et 7 quadr. pro associatione processionis. *V, 1, 2; VII, 5.*

B) Duobus mensium diebus libere eligendis:

Duae indulgentiae plenariae.

ad 1) Meditatio quotidiana per quartam vel mediam horam. C C, oratio. *Pius IX. § IX, 4.*
ad 2) Consuetudo celebrandi vel audiendi Missam votivam: 'Salve Radix Sancta'. C C, orat. *X, 7.*

C) Ultimis mensium diebus Dominicis:

† Una indulgentia plenaria.

Consuetudo saltem ter in hebdomada 5 dec. recitandi. C C, visit. ecclesiae cuiuscunque aut publici oratorii, oratio. *Pius IX. § VII, 6.*

IV.
INDULGENTIAE CERTIS ANNI DIEBUS AFFIXAE.

Tempore Adventus:

Stationes. [2])

Dominica prima Adventus 10 anni et 10 quadr. *VIII.*
Dominica secunda Adventus 10 anni et 10 quadr. *Ibid.*

1) Quoad infirmos aliosque legitime impeditos vide Summar. Pii IX. § X.
2) Vide pp. 433 et 422 ibique not. 2. Stationes omnes concessae inveniuntur in Summariis Innocentii XI. cap. VIII. et Pii IX. § VI.

Dominica tertia Adventus 15 anni et 15 quadragenae.
Diebus Quatuor Temp. Decembris 10 anni et 10 quadr.
Dominica quarta Adventus 10 anni et 10 quadr.
In Vigilia Nativitatis Domini 15 anni et 15 quadr.

8. Dec.: In Immaculata Conceptione B. M. V.

Quatuor indulgentiae plenariae.

ad 1) Confessio vel saltem firmum confit. propositum et visit. cap. a primis vesperis usque ad occasum solis festivitatis. *VI, 1.*

ad 2) Confessio vel saltem firmum confit. propositum et interesse processioni. *V, 4.*

ad 3) C C, visit. cap. ibique orat. *VI, 2, 3.*

ad 4) C C, visit. eccl. vel oratorii publici ibique oratio. *Pius IX. § III, 1.*

Eodem die

7 anni et 7 quadr. C C, visit. cap., orat. *VI, 9.*
100 dies pro associatione processionis. *V, 2.*

25. Dec.: In Nativitate Domini:

Duae indulgentiae plenariae.

ad 1) Myst. III.*): C C, visit. cap. — *VI, 6.*

ad 2) Statio. *VIII.*

Eodem die

Pro singulis tribus Missis 15 anni et 15 quadr. Stat.
7 anni et 7 quadr. pro recit. 5 dec. *IV, 7.*
7 anni et 7 quadr. C C, visit. cap., orat. *VI, 8.*

A Nativitate Domini usque ad Quadragesimam:
Stationes 30 ann. et 30 quadr.

26. Dec.: S. Stephani Protomartyris,
27. Dec.: S. Ioannis Evangelistae,
28. Dec.: SS. Innocentum,
1. Jan.: Circumcisionis Domini,
6. Jan.: Epiphaniae,

*) Quoad infirmos etc. et festa Mysteriorum vide Summar. Pii IX. § X.

Dom. Septuagesima,
Dom. Sexagesima,
Dom. Quinquagesima.
Die Cinerum 15 anni et 15 quadr.

2. Febr.: In festo Purificationis B. M. V.

Quinque indulgentiae plenariae.

ad 1—4) ut festo Immac. Concept. B. M. V.
ad 5) Myst. IV., C C, visit. cap. — *VI, 6.*

Eodem die

100 dies et 7 anni et 7 quadr. pro recit. 5 dec. *IV, 1 et 7.*
10 anni et 10 quadr. C C, 15 dec. *IV, 4.*
100 dies pro associatione processionis. *V, 2.*

Tempore Quadragesimae:

Stationes.

Quotidie per totam Quadragesimam 10 anni et 10 quadr. exceptis diebus infra signatis.
Praeterea singulis Quadragesimae sabbatis pro assistentia Missae 1 annus. VII, 6.
Dom. IV. Quadragesimae 15 anni et 15 quadr.
Dom. Palmarum 25 anni et 25 quadr.
Feria VI. in Parasceve et Sabb. Sancto 30 anni et 30 quadr.

Duabus feriis VI. Quadragesimae:

Una indulgentia plenaria.

C C, visit. cuiusc. eccl. vel publici oratorii ibique oratio. *Pius IX. § III, 1.*

25. Mart.: In festo Annuntiationis B. M. V.

Sex indulgentiae plenariae.

ad 1—4) ut festo Immac. Concept.
ad 5) Myst. I., C C, visit. cap. — *VI, 6.*
ad 6) C C, 15 dec. *IV, 4.*

Eodem die

100 dies necnon 10 anni et 10 quadr. pro recit. 5 dec. *IV, 6.*
100 dies pro associatione processionis. *V, 2.*

7 anni et 7 quadr. Confessio, 15 dec. *IV*, 3.
7 anni et 7 quadr. C C, visit. cap. — *VI, 9.*

In festo Compassionis B. M. V.
(feria VI. post Dom. in Passione.)
Una indulgentia plenaria.
Myst. IX., C C, visit. cap. — *VI, 6.*

Eodem die
7 anni et 7 quadr. pro recit. 5 dec. *IV, 7.*

Feria V. in Coena Domini:
Una indulgentia plenaria. Statio.

In festo Paschatis Resurrectionis D. N. J. C.
Tres indulgentiae plenariae.
ad 1) Myst. XI., C C, visit. cap. — *VI, 6.*
ad 2) Statio. *VIII.*
ad 3) C C, visit. eccl. cuiusl. vel oratorii publici ibique oratio. *Pius IX. § III, 1.*

Eodem die
10 anni et 10 quadr. pro recitat. 5 dec. *IV, 6;*
7 anni et 7 quadr. C C, visit. cap., orat. *VI, 8.*

Stationes 30 ann. et 30 quadr.

Quotidie per totam Paschatis Octavam, Dom. in Albis incl.
Die 25. aprilis seu festo S. Marci Evangelistae.
Tribus diebus Rogationum.

Dominica tertia Aprilis:
Una indulgentia plenaria.
C C, visit. cap. ibique orat. *VI, 4.*

In festo Ascensionis D. N. J. C.
Tres indulgentiae plenariae.
Myst. XII., ad 1—3) ut festo Resurrectionis.

Eodem die
7 anni et 7 quadr. pro recit. 5 dec. *IV, 7.*

Statio

in vigilia Pentecostes 10 anni et 10 quadr.

In festo Pentecostes:

Duae indulgentiae plenariae.

ad 1) Myst. XIII., C C, visit. cap. — *VI, 6.*

ad 2) C C, visit. eccl. cuiusc. vel oratorii publici ibique oratio. *Pius IX. § III, 1.*

Eodem die

7 anni et 7 quadr. pro recit. 5 dec. *IV, 7.*

7 anni et 7 quadr. C C, visit. cap., orat. *VI, 8.*

Stationes 30 ann. et 30 quadr.

in festo Pentecostes et per totam Octavam usque ad sabb. incl.

In festo Corporis Christi:

† Una indulgentia plenaria.

C C, visit. cap. ibique orat. *VII, 6.*

2. Jul.: In festo Visitationis B. M. V.

Quatuor indulgentiae plenariae.

ad 1—3) ut festo Immac. Concept. ad 1, 2, 3.

ad 4) Myst. II., C C, visit. cap. — *VI, 6.*

Eodem die

100 dies pro associatione processionis. *V, 2.*

7 anni et 7 quadr. necnon 100 dies pro recit. 5 dec. *IV, 1, 7.*

7 anni et 7 quadr. C C, visit. cap. — *VI, 9.*

15. Aug.: In festo Assumptionis B. M. V.

Sex indulgentiae plenariae.

ad 1—4) ut festo Immac. Concept.

ad 5) Myst. XIV., C C, visit. cap. — *VI, 6.*

ad 6) C C, visit. eccl. Confrat. ibique oratio. *VI, 9.*

Eodem die

100 dies et 10 anni et 10 quadr. pro recit. 5 dec. *IV, 1, 6.*

100 dies pro associatione processionis. *V, 2.*

7 anni et 7 quadr. Confessio, 15 dec. *IV, 3.*
10 anni et 10 quadr. pro recit. 15 dec. *IV, 4.*
7 anni et 7 quadr. C C. visit. cap., orat. *VI, 8.*

8. Sept.: In festo Nativitatis B. M. V.

Quatuor indulgentiae plenariae.

ad 1—4) ut festo Immac. Concept.

Eodem die

100 dies pro 5 dec. *IV, 1.*
100 dies pro associatione processionis. *V, 2.*
7 anni et 7 quadr. pro visit. cap. — *VI, 9.*
7 anni et 7 quadr. Confessio et 15 dec. *IV, 3.*
10 anni et 10 quadr. C C, 15 dec. *IV, 4.*
100 dies infra hanc Octavam; *vide VII, 4.*

In festo Nominis B. M. V.

(Dominica infra Octavam Nat. ejusd. Virg.)

Una indulgentia plenaria.

C C, visit. cap., orat. *IX, 2.*

Stationes 10 ann. et 10 quadr.
diebus Quatuor Temporum Septembris.

In festo SS. Rosarii:

(Dominica prima Octobris)

a) † Toties indulgentia plenaria,
quoties quis confessus et communicatus visitat cap. ibique orat. *VI, 4, 7; Pius IX. § IV, 3.*

b) Quinque indulgentiae plenariae,
ut primis mensium Dominicis.

d) Una indulgentia plenaria.

C C, visit. eccl. Ord. vel, ea deficiente, Confraternitatis. *Pius IX. § IV, 1.*

Infra Octavam vel die octava festi Ss. Rosarii:

† Una indulgentia plenaria.

C C, visit. cap., oratio. *Pius IX. § IV, 3.*

1. Nov.: In festo Omnium Sanctorum:

Una indulgentia plenaria.

Myst. XV., C C, visit. cap. — *VI, 6.*

Eodem die

7 anni et 7 quadr. pro recit. 5 dec. *IV, 7.*
7 anni et 7 quadr. C C, visit. cap., orat. *VI, 8.*

21. Nov.: In festo Praesentationis B. M. V.

Tres indulgentiae plenariae,

ut festo Immac. Concept. ad 1. 2. 4.

Eodem die

100 dies pro associatione processionis. *V, 2.*

In festo S. Titularis ecclesiae:

† Una indulgentia plenaria.

C C, visit. cap., orat. *VII,* 6.

Semel in anno:

1) † Una indulgentia plenaria.

Quotidiana per annum recitatio tertiae partis Rosarii adhibendo Rosarium ab Ord. Praed. benedictum[1]). C C. *Pius IX. § VII, 4.*

2) Indulgentiae omnes,

Regularibus sacris exercitiis vacantibus concessae[2]), acquiruntur a sodalibus, qui per 40 dies in memoriam Iesu in deserto absconditi, oratione etc. se exercent. *Pius IX. § IX, 5.*

Semel in vita:

Una indulgentia plenaria.

Recitatio Rosarii ter in hebdomada. *IV, 2.*

In articulo mortis:

Quinque indulgentiae plenariae;

vide Summ. Pii IX. § XI, 1—5.

1) Cfr. p. 435 not. 2. 2) Cfr. infra p. 411 not.

V.

ECCLESIIS ORDINIS PRAEDICATORUM

annexae sunt indulgentiae sequentes:

I. A SODALIBUS CONFRATERNITATIS SS. ROSARII LUCRANDAE

A. pro assistentia antiphonae: 'Salve Regina', quae post completorium coram altari B. M. V. cantari solet:

a) 40 dies, singulis sabbatis et diebus festivis. *VII, 1.*

b) 100 dies qualibet vice; requiritur firmum confitendi propositum. *VII, 4.*

c) 1 annus in sabbatis Quadragesimae. *VII, 6.*

d) 3 anni et 3 quadragenae:

α) in festivitatibus B. Mariae V. per totam ecclesiam celebrandis,

β) in festis natalitiis SS. Apostolorum,

γ) in festis Sanctorum Ordinis Praedicatorum,

δ) quoties sodales secundum Statuta Confraternitatis, diebus scilicet processionum, cum cereis accensis adesse tenentur. *VII, 4.*

B. 8 anni pro assistentia processionis in suffragium mortuorum. *VII. in fine.*

C. Indulgentia plenaria

pro quatuor Anniversariis, quotannis in Ordine fieri solitis, acquiritur a sodalibus, qui recitationi Officii et Missae defunctorum adstant. CC, oratio. *Pius IX. § IX, 5.*

Quae Anniversaria sunt:

a) 4. febr. Anniversarium Patrum et Matrum.

b) 12. iul. Annivers. Sepultorum in coemiteriis Ord.

c) 5. sept. Annivers. Famil. et Benefactor. Ord.

d) 10. nov. Annivers. Fratrum et Soror. Ordinis.

II. AB OMNIBUS FIDELIBUS IN ECCLESIIS ORDINIS LUCRANDAE INDULGENTIAE PLENARIAE:

in festis Sanctorum Ord. Praed.

CC. visit. eccl. Ord., orat.*) Celebrantur autem haec festa Sanctorum:

1)	23. ian.	S. Raymundus de Pennafort, Conf.	† 1275.
2)	13. „	S. Catharina de Ricciis, Virgo.	† 1590.
3)	7. mart.	S. Thomas Aquinas, Doctor Eccl., Conf., Patronus Scholarum.	† 1274.
4)	5. april.	S. Vincentius Ferrerius, Conf.	† 1419.
5)	20. „	S. Agnes de Montepolitiano, Virgo.	† 1317.
6)	29. „	S. Petrus de Verona, Martyr.	† 1252.
7)	30. „	S. Catharina Senensis, Virgo.	† 1380.
8)	5. maii	S. Pius V. Papa, Conf.	† 1572.
9)	10. „	S. Antoninus Archiepisc., Conf.	† 1459.
10)	9. iulii	S. Ioannes Colon. c. sociis Martyr.	† 1572.
11)	4. aug.	S. P. Dominicus, fundator Ord. et Rosarii.	† 1221.
12)	16. „	S. Hyacinthus, Confessor.	† 1257.
13)	30. „	S. Rosa Limana, Virgo.	† 1617.
14)	15. sept.	S. Dominicus in Soriano ex anno	1530.
15)	10. oct.	S. Ludovicus, Conf.	† 1581.
16)	9. novb.	Omnium Sanctorum Ord. Praed.	

Privilegia et gratiae.

ecclesias etc. Ordinis Praedicatorum visitantibus concessa.

„Omnes Christifideles ecclesias seu capellas oratoriaque Ordinis Praedicatorum, etiam Monialium et Tertii Ordinis, visitantes, necnon Confraternitates quaecunque ibi iam erectae et in futurum erigendae uti,

*) Paulus V. Splendor. d. 28. iul. 1615.

frui, potiri et gaudere libere possunt et valent omnibus et singulis libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, privilegiis, praeeminentiis, antelationibus, concessionibus indultis, favoribus, indulgentiis aliisque praerogativis et gratiis universis;

„quae concessa sunt singulis domibus, conventibus, collegiis, monasteriis et aliis regularibus locis ac personis, tam Canonicorum, quam Clericorum Regularium ubivis existentibus institutis:

„et non solum Ordinibus monasticis, Regularibus aliorum Mendicantium et non Mendicantium, tam pro redimendis Captivis quam aliis quomodolibet, Ordini Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum, illiusque domibus, conventibus et Fratribus, necnon Ordini, ac etiam Congregationi Fratrum Discalceatorum eiusdem Ordinis B. M. de Mercede Redemptionis Captivorum, ac etiam omnibus et quibuscunque Congregationibus Regularium et praecipue Clericorum Regularium, etiam Ministrantium Infirmis, Canonicorum Congregationis Sanctissimi Salvatoris Lateranens., S. Salvatoris de Bononia, ac etiam S. Ruffi Valentiae et S. Crucis Colimbriae, Clericorum Regularium de Somasca et Pauperum Matris Dei et Scholarum Piarum ipsisque Monasticis Congregationibus, etiam Cassinensi, aliisque Monachis, etiam Monasterii S. Benedicti, S. Hieronymi, Carmelitis Discalceatis, conventui B. Mariae de Guadalupe necnon Societati Iesu, ipsisque Cartusianorum, Praemonstratensium et Reformatorum Cisterciensium, Servitarum, Olivetanorum Ordinibus aliisque Familiis et Societatibus Regularibus, Militiis et Hospitalibus quibuscunque, et locis piis regularibus ac quibuscunque personis nunc et pro tempore existentibus praedictorum et quorumlibet Ordinum, Societatum, Congregrationum

Regularium ac etiam Monialium et Tertii cuiuscunque Ordinis personarum et Confraternitatum quarumcunque: „per Nos et Sedem praedictam praedictasque S. R. E. Cardinalium Congregationes, Cardinales Legatos, Nuntios, aliosque eiusdem Sedis Ministros, quavis auctoritate aut ratione. Motu proprio et ex certa scientia et de Apostolicae potestatis plenitudine, etiam iteratis vicibus concessa hactenus etc. etc.:

„quamvis illa sint speciali nota digna, difficilisque concessionis, et quae in generali concessione non veniunt, et non obstantibus clausulis annullativis, cassativis, exceptivis, ac etiam communicationis prohibitivis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, non solum per participationem, communicationem, illorum extensionem et illorum ad instar, sed speciatim, nominatim, pariformiter et aeque principaliter in omnibus et per omnia, absque ulla prorsus differentia, perinde ac si praedicto Ordini Praedicatorum etc. specialiter, expresse et nominatim ac per viam et modum simplicis et individuae ac particularis et specialis concessionis, Motu proprio etc. etc. concessa fuissent:

„quatenus tamen Concilii Tridentini decretis et huic Nostrae Constitutioni non contrarientur expresse etc.“*)

*) Benedictus XIII. Bulla: Pretiosus. § 77.

De privilegiis Confraternitatis.

Praeter gratias et privilegia suis locis iam memorata Confraternitati Ss. Rosarii concessa sunt alia, ex quibus tria eaque pretiosissima hic exponemus, scilicet:

I. Privilegium participationis bonorum spiritualium;
II. Privilegium altaris Confraternitatis;
III. Privilegium Missae Ss. Rosarii votivae.

Tractandum est igitur:

I. DE PARTICIPATIONE BONORUM SPIRITUALIUM.

1) Omnes confratres, qui Confraternitati inscripti ter in hebdomada Rosarium i. e. tertiam partem exsolvere solent, auctoritate Apostolica totiusque Ordinis Praedicatorum unanimi consensu ad participationem omnium bonorum beneficiorumque spiritualium Ordinis eiusdem recepti sunt. Quam gratiam primus concessit venerabilis Humbertus de Romans, quintus Magister Generalis Ordinis, his verbis: „Omnium bonorum, videlicet Missarum, orationum, praedicationum, ieiuniorum, laborum ceterorumque omnium, quae per fratres Ordinis nostri Dominus fieri dederit ubique terrarum, vos, qui iam ipsi congregationi adscripti estis, et in posterum adscribendos, participes tenore praesentium facimus et consortes.“*)

Instante Capitulo Generali Ordinis participationem

*) Litt. patent. d. 25. maii 1255. — Vide etiam supra pp. 212 n. 3, 214 n. 7, 217 n. 14.

illam Innocentius VIII.[1]) confirmavit, approbando litteras, quibus „Benedictus XI. commisit facultatem Magistro Ordinis etc., ut possit instituere suas Confratrias secundum arbitrium et voluntatem ipsius et recipere germanos et confratres ad omnia beneficia et ad omnes gratias et indulgentias totius Ordinis Praedicatorum.“ Idem approbatum est a Sixto IV., teste Magistro Ordinis Ioachimo Turiano per litteras patentes d. 12. iunii 1487, et postea a Iulio II.[2]), Leone X.[3]) aliisque.

2) Participatio bonorum se extendit ad ea omnia, quae a quibusvis totius orbis terrarum Rosarii fratribus et sororibus fiunt, tam in vita quam in morte.[4])

3) Confratres participant et communicant ad invicem in bonis spiritualibus et similiter in meritis totius militantis ecclesiae, in quibus eos fieri participes voluit Alexander VI.[5])

Quid autem proprie sit illa communicatio, erudite exponit Leonardi his verbis: „Quando fit communicatio per hunc modum: ‘Facio te participem meritorum totius Ecclesiae vel unius Congregationis’, tunc potest valere ad merendum aliquid ei, qui est in peccato mortali, puta merito congrui, non autem condigni. Meritum enim condigni non extenditur — nisi in Christo — ultra personam illam quae gratiam habet; meritum vero congrui etiam ad alias personas extenditur. Quia enim homo constitutus in gratia voluntatem Dei adimplet, congruum est secundum proportionem amicitiae, ut Deus impleat hominis illius amici sui voluntatem in salvatione alterius, maxime cum

1) In Brevi: ‘Sacer Ordo’ d. 26. iulii 1486.
2) Ineffabilia d. 4. maii 1504.
3) Pastoris aeterni d. 6. octob. 1520.
4) Reg. Colon. approbata.
5) Illius qui d. 13. iunii 1495.

Deus sit liberalior homine exaudiente amicum suum in hoc, quod inimicum intuitu ipsius amici recipit in gratiam, ut B. Monica Augustinum multo semine lacrymarum charitatis visceribus genuit Christo. Et quoad hoc haec participatio alienorum meritorum superat indulgentias.

„Huiusmodi applicatio non solum valet de congruo, sed etiam de condigno, quantum ad rationem satisfactionis, quia fit solutio, sicut dum unus pro alio satisfacit.

„Hinc tu consideres, quantum iuvet communicatio bonorum, quae fit in Confraternitate Rosarii, et receptio ad beneficia et suffragia Sacri Ordinis Praedicatorum, quae confratribus indulgetur.[1])" Quid his beneficiis potest esse utilius? quid optatius, quam omnium Missarum, orationum, praedicationum, studiorum, vigiliarum, ieiuniorum, abstinentiarum, laborum ceterorumque bonorum operum ac meritorum, quae per fratres et sorores tum Ordinis tum Confraternitatis per universum orbem fiunt, gratuita communione et participatione gaudere? Considera, quaeso, quot et quanta debeant esse haec bona, bona illustrissimi Ordinis S. Dominici, qui innumeros sanctos Apostolos et Doctores, Martyres, Confessores sanctasque Virgines per septem fere protulit saecula!

II. DE ALTARI CONFRATERNITATIS PRIVILEGIATO.

1) In ecclesiis, in quibus canonice erecta est Confraternitas, altare Ss. Rosarii pro omnibus sacerdotibus confratribus gaudet privilegio in favorem cuiuscunque defuncti.[2])

a) Ab initio hoc privilegio gaudebant solummodo

1) Leonardi, edit. 5. pp. 205 seqq.
2) Summ. Pii IX. § XII.

sacerdotes Ordinis Praedicatorum in propriis ecclesiis, quoties in altari Ss. Rosarii Missam defunctorum celebrabant, et ideo dicebatur *personale:* „Recensitum privilegium altaris Ss. Rosarii a fel. rec. Gregorio XIII. concessum [primo Conventui Vercellensi d. 21. iulii 1579, deinde Turinensi d. 13. aug. 1579, Marcianensi in Hispania d. 31. iulii 1582, Pampelunensi d. 28. aug., Raconisiensi d. 30. octob., Luchentensi d. 6. nov., Oriolensi 17. dec. eiusdem anni 1582 etc. etc.] ac deinde a. s. m. Benedicto XIII. ad quaecunque altaria Rosarii extensum, tantummodo privilegium personale est, nimirum solis dumtaxat sacerdotibus regularibus Ordinis Praedicatorum et restrictum ad eos solos."[1])

Benedictus vero XIII. his utitur verbis: „Privilegium a Gregorio XIII. concessum ad quoscunque sacerdotes dicti Ordinis et ad omnia altaria ecclesiarum praefati Ordinis in suffragium omnium fidelium defunctorum eadem auctoritate perpetuo extendimus et ampliamus."[2])

Unde hoc privilegium, prout a Benedicto conceditur, est speciale Ordinis, et pertinet ad solos Fratres Ord. Praed., qui quotiescunque in ecclesiis sive propriis sive Sororum Ordinis pro defunctis celebrant, animam unam e Purgatorio liberare possunt.

b) Subinde extensum fuit hoc privilegium ad sacerdotes saeculares Confraternitati adscriptos, qui hac gratia gaudent in ecclesiis, in quibus canonice erecta est Confraternitas, celebrando tamen ad altare Ss. Rosarii. In ecclesiis itaque Ordinis S. Dominici indulgentiam hanc lucrabuntur in solo altari Ss. Rosarii, non vero in altari quocunque, ut Fratribus Ord. Praed. concessum est; in aliis ecclesiis, in quibus altare Ss.

1) S. C. I. d. 27. nov. 1764 et Summar. Innoc. XI. c. XII, 1.
2) Exponi nobis d. 22. sept. 1724.

Rosarii non existit, hoc privilegio non fruentur, quapropter dicitur *locale* in sequenti decisione:

„Sodalitates canonice erectae privilegiis et indulgentiis gaudent illorum Ordinum Regularium, quorum fruuntur titulis iuxta Constitutionem s. m. Clementis VIII; ita sacerdotes Sodalitati Ss. Rosarii adscripti gaudent privilegio altaris eo modo, quo presbyteri Ordinis Praedicatorum, qui in respectivis eorum ecclesiis habent privilegiatum altare B. M. V. de Rosario dicatum; cum vero privilegium hoc sit tantum *locale*, minime vero personale, sequitur, quod ea ecclesia Sodalitatis Rosarii, ubi hoc altare non reperitur, privilegio quoque altaris omnino careat.“[1])

c) Denique Pius IX. hoc privilegium extendit ad omnes sacerdotes saeculares, etiamsi Confraternitati non sunt adscripti, ut patet ex Summario, ubi § XII, 2. legitur: „Eodem privilegio gaudet altare Rosarii pro quocunque sacerdote, dummodo aliud non existat in ecclesia, in quo celebrat, altare privilegiatum.“

2) „Sacerdos, qui gaudet privilegio personali altaris, si aggregatus sit Confraternitati, quae etiam dicto privilegio gaudet, potest adhuc frui hoc alio privilegio, cum aliunde iam habeat per tres aut quatuor vices in hebdomada tale privilegium, dummodo in indulto aliter expresse non disponatur.“[2])

3) „Sacerdos, qui Missam celebrat pro defuncto eidemque applicat indulgentiam plenariam altaris privilegiati, potest eodem die, vi Sacrae Communionis in Missae Sacrificio peractae, lucrari aliam indulgentiam plenariam, vel sibi vel defunctis applicabilem, si ad hanc lucrandam praescribitur S. Communio.“[3])

1) S. C. I. d. 7. iunii 1842. 2) S. C. I. d. 27. martii 1839.
3) S. C. I. d. 10. maii 1844.

4) „Qui celebrat in altari pro singulis diebus privilegiato, semper uti debet paramentis nigris diebus non impeditis, ut indulgentiam privilegii consequatur.“[1])

„Quando autem Missa de Requiem dici nequit, etiam Missa de Sancto vel de feria currente gaudet eodem indulto iuxta declarationem Clementis IX. d. 23. sept. 1669.“[2])

5) Indulgentia altaris privilegiati applicari potest non solum defunctis confratribus Ss. Rosarii, sed omnibus Christifidelibus; valet „in suffragium animarum omnium fidelium defunctorum in Purgatorio existentium, etiamsi in libro Confraternitatis Ss. Rosarii descriptae minime reperiantur“.[3])

6) Privilegium altaris sive locale sive personale non potest applicari pluribus defunctorum animabus in eadem Missa.[4])

7) „An existentia altaris privilegiati certo personarum coetui concessi obesse possit concessioni alterius similis privilegii indefinite pro omnibus in eadem ecclesia, ratione clausulae in posteriori privilegio exaratae: ‘in qua aliud altare privilegiatum non reperiatur concessum’? Resp.: Negative.“[5])

8) „An idem altare in eadem ecclesia assignari possit ut altare proprium variis sodalitatibus, v. gr. Ss. Rosario, B. Mariae V. de Carmelo, Ss. Cordi Iesu? Respondetur: ‘Affirmative’ in genere et de consensu uniuscuiusque rectoris respectivae sodalitatis ibi erectae, sed ad praecavendas quaestiones, quae facile oriri solent

1) S. C. I. d. 11. april. 1840.

2) S. C. I. d. 18. sept. et 27. nov. 1764.

3) Benedictus XIII. Exponi nobis d. 22. sept. 1724. S. C. I. d. 31. mart. 1856, approbatum a Pio IX. d. 14. april. eiusdem anni.

4) S. C. I. d. 29. febr. 1864 et 19. iunii 1880.

5) S. C. I. d. 18. iunii 1742.

quoad functiones peragendas aut altare custodiendum etc., magis expedit, si fieri potest, ut quaelibet sodalitas suum habeat altare."[1])

9) „An privilegium maneat, non obstante, quod altare sub eadem invocatione de novo aedificatum fuerit in alio quidem loco, sed in eadem ecclesia? Resp.: Affirmative."[2])

10) Idem valet, si ecclesia destructa aut collapsa eodem, non vero alio loco reaedificatur.[3]) — „Indulgentiae quoque Confraternitatis Ss. Rosarii vel aliae indulgentiae non cessant, si nova aedificetur ecclesia fere in loco, ubi vetus existebat, dummodo sub eodem titulo aedificetur."[4])

11) „An ecclesia, in qua Confraternitas Ss. Rosarii rite erecta erat, incendio destructa ita, ut funditus reaedificari debeat et nonnisi post aliquos annos usui reddi possit, fideles indulgentias Confraternitati concessas interim in ecclesia ad tempus et pro necessitate tantum constructa, seu in capella subitaria lucrari valeant?

Resp.: Certum est, quod, destructa ob incendium ecclesia, non cessat neque dissolvitur Sodalitas Ss. Rosarii, quando iam fuit debito erecta modo; licet enim Confraternitas in ecclesia erigi debeat, ab ecclesia materiali distinguitur ac veluti vitam propriam habet; unde absque dubio fideles in praecario sacello indulgentias Confraternitati adnexas lucrari possunt. Quoad indulgentias vero peculiares, quae altari Confraternitatis sunt adnexae, lucrari et illas possunt, dummodo ad novum altare iconem B. M. Virginis a Rosario

1) S. C. I. d. 29. maii 1841.
2) S. C. I. d. 16. sept. 1723.
3) S. C. I. d. 18. iulii 1712, 23. april. 1714, 23. sept. 1723.
4) S. C. I. d. 9. augusti 1843.

transferant ac meliori modo quo possunt, conditiones adimpleant, quae pro altari Confraternitatis sunt praescriptae. Revera in opere cui titulus — Decreta authentica S. C. Indulgentiis et Reliquiis praepositae — Ratisbonae, anno 1883 edito pag. 122 no. 126 — casus similis invenitur propositus, et S. C. declaravit, quod indulgentiae cuidam sodalitati concessae perseverant, sodalitate ad aliam Ecclesiam translata. Hoc ipsum, ut mihi videtur, eruitur ex alia responsione Sacrae Congregationis d. 9. augusti 1843 [supra no. 10]. Manent ergo indulgentiae Sodalitati concessae, dum nova aedificatur ecclesia, alioquin nova concessio indulgentiarum necessaria esset."

Romae, d. 10. sept. 1885.

Fr. Marcolinus Cicognani,
Procurator et Vic. Glis Ord. Praed.

12) „In Elencho Indulgentiarum Confraternitatis Ss. Rosarii § XII. no. 1. legitur: „Quod privilegium subinde extensum fuit ad omnia altaria ecclesiarum FF. Praedicatorum etc., scilicet privilegium altaris Ss. Rosarii. Quaeritur, utrum hoc valeat etiam:

1. pro capella Novitiatus eiusdem Ordinis?

2. Utrum pro capella, quae specialiter in honorem S. Thomae Aquinatis erecta, aditum habet ex conventu et ab organo ecclesiae tantum?

Resp.: ad 1) Negative.

ad 2) Extenditur ad altare sacelli D. Thomae Aquinatis. Concessio facta est pro omnibus altaribus ecclesiae, et quia favores sunt ampliandi, sacellum ad quod accedi potest ab ecclesia, vel etiam per aliquam e. gr. fenestram, communicat cum ecclesia, ex communi usu consideratur tamquam pars ecclesiae, con-

sequenter, altare talis sacelli privilegium participat altaribus ecclesiae concessum."

Romae, d. 10. sept. 1885.

Fr. Marcolinus Cicognani, ut num. praec

13) Durante iubilaeo anni Sancti neque privilegia altarium neque indulgentiae ceterae Ss. Rosarii confratribus concessae suspenduntur.[1])

III. DE MISSA SS. ROSARII PRIVILEGIATA.

1) Missa votiva Ss. Rosarii, quae incipit: 'Salve Radix Sancta', differt a similibus, quae in Missali Romano habentur.[2]) Est pretiosis indulgentiis dotata, quas Clemens X. ad instantiam Caroli II., Hispaniarum regis, eiusque genitricis reginae Mariannae concessit.[3])

2) Quam Missam Regularibus Ordinis Praedicatorum omnino esse permittendam, non vero saecularibus, statuit S. Congregatio Rituum.[4])

3) Permissa est dictis Regularibus et iisdem dumtaxat, nec potest ab aliis celebrari, etiam in ipsorum Regularium ecclesiis.[5])

In numerum horum Regularium referuntur sacerdotes tertii Ordinis S. Dominici, quibus Magister Generalis Fratrum Praedicatorum facultatem utendi Ordinis missali concessit.[6])

---

1) S. C. I. d. 16. dec. 1749.

2) Clemens X. Coelestium munerum d. 16. febr. 1671.

3) Ibidem et Summar. Pii IX. § VIII.

4) D. 25. iunii 1622.

5) S. R. C. d. 30. sept. 1628.

6) „Sacerdotes tertiarii saeculares possunt etiam obtinere ab Ordinis Magistro facultatem utendi missali Ordinis in celebratione Missarum, privatarum ubicunque, solemnium vero in ecclesiis nostris dumtaxat; sed tunc nihil mutare possunt in Ordinario seu Directorio Missae nec in Canone, quae debent exequi iuxta proprium ritum dioecesanum." *Ex Rescript. Pii VII. d. 6. iulii 1806. Constit. Ord. 1872 no. 734.*

4) Sacerdotes vero saeculares, qui non sunt tertii Ordinis S. Dominici et hoc privilegio frui desiderant, adire debent Summum Pontificem, quod colligitur ex sequentibus decretis:

a) „Festum Ss. Rosarii ubique servari potest ad limites decreti a Sacra Congregatione emanati ad mentem s. m. Urbani VIII., scilicet cum Officio et Missa B. M. V., sumendis tamen e Breviario et Missali Romano, non autem propriis de Rosario, Ordini tantum Dominicano indultis.“[1])

b) Missam de Rosario pro Fratribus Praedicatoribus privative approbatam non posse concedi aliis extra eorum Ordinem, et proinde a Capitulo et Clero Limano recitari non posse, etiam quod B. M. V. Ssmi Rosarii sit Patrona totius regni, declaravit Sacra Congregatio Rituum.[2])

c) Sacerdos saecularis vel Ordini Praedicatorum extraneus, qui accepit eleemosynam pro persolvenda Missa votiva Ss. Rosarii, quomodo satisfacit dictae obligationi? Resp.: „In casu proposito posse celebrari aliam Missam de B. Virgine; habito verbo cum Sanctissimo, Sanctissimus annuit.“[3])

d) „An vero in favorem conventualium secundi et tertii Ordinis S. Dominici rectoribus saecularibus permissum sit, ut missali Ordinis utentes hanc Missam privilegiatam dicant?“

Respondit Rms P. Procurator Ordinis d. 10. sept. 1885: „Nullibi invenitur haec concessio.“

5) Attento voto Rmi Procuratoris Ordinis Praedicatorum Missa: ‘Salve Radix Sancta’, cum cantu

1) S. C. R. d. 16. mart. 1658.
2) d 16. april. 1667.
3) S. C. R. d. 6. maii 1623, 20. dec. 1628, 16. mart. 1658, 23. ian 1664.

celebrari potest in ecclesiis Ordinis singulis intra annum sabbatis, non impeditis festis de praecepto servandis, duplicibus primae et secundae classis, feriis, vigiliis et octavis privilegiatis ceterisque octavis festorum B. Mariae Virginis.[1])

Deinceps hoc indultum ampliatum est sequenti concessione:

6) „Ad confovendam devotionem erga Bmam Virginem a Rosario nuncupatam, Ordinis Patronam, Missa votiva: 'Salve Radix' in posterum celebrari poterit bis in hebdomada, nempe qualibet feria quarta et sabbato, dummodo iis diebus non incidat festum primae vel secundae classis aut de praecepto, aut feria vel vigilia vel octava privilegiata vel festivitas B. Virginis aut eiusdem octava."[2])

Diversis quaestionibus hac de concessione Romae motis responsum est:

a) Non requiritur, ut haec Missa sit cantata (cfr. num. praec. 5).

b) Color albus est semper adhibendus.[3])

c) Patres Ordinis hoc privilegio in quacunque ecclesia et capella extra Conventum uti valent, modo color albus adhiberi possit.

d) In dicendis vel omittendis 'Gloria, Alleluia vel Tractus, Credo, Evangelium in fine', servetur ritus diei; semper dicitur Praefatio B. M. V. cum clausula:

1) S. C. R. d. 17. novembris 1853.

2) Ex Rescripto Rmi Magistri Generalis Ordinis d. 16. aug. 1877.

3) Quod patet etiam ex hac decisione: „Fratres Provinciae Conceptionis ex Indulto Apostolico possunt celebrare in singulis sabbatis, festo secundae classis non impeditis, Missam de Conceptione B. M. V.; et cum aliquando contingat, ipsa die recitari de Sancto Martyre, quaeritur in casu: quo colore utendum est pro Missis votivis de B. M. V. in illis ecclesiis, ubi fit de Martyre ritus duplicis?

S. R. C. respondit die 18. dec. 1779: „Adhiberi debet color albus."

„et te in veneratione Sanctissimi Rosarii Beatae Mariae V.“ Post orationem fit primo loco memoria eius, de quo est Officium cum aliis commemorationibus, si quae occurrerint.

Missa de qua hisce tractavimus, ex missali Ordinis Praedicatorum desumpta, haec est.

MISSA PRIVILEGIATA

VOTIVA PER ANNI CIRCULUM

SS. ROSARII B. M. V.

Officium.

SALVE RADIX SANCTA, salve mundi gloria; o Maria, flos virginum, velut rosa vel lilium: tuum pro nobis deprecare Filium.

℣. ℣. Alleluia. Alleluia.

V. Eccli. 26. Gratia super gratiam mulier sancta et pudorata. Gloria Patri. Salve.

Gloria in excelsis, *si regulariter dicitur.*

Oratio.

Omnipotens et misericors Deus, qui ab aeterno unigenitum tibi coaequalem atque consubstantialem Filium secundum carnem praedestinasti in Spiritu sanctificationis Dominum nostrum Iesum Christum, et Sanctissimam Virginem Mariam tibi acceptissimam in matrem eidem a saeculo praeelegisti: praesta, quaesumus, ut amborum meritis, per sacra quindecim Mysteria Sacratissimi Rosarii completis, ita in praesenti simus illis addicti, quatenus etiam in coelestis vitae gloria fructus eorum in nobis iugiter sentiamus. Per eundem Dominum etc. in unitate eiusdem. Amen.

Lectio libri Sapientiae.

Cant. 2. et 4. Eccli. 24.

Ego flos campi et lilium convallium. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Favus distillans labia tua, sponsa; mel et lac sub lingua tua, et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. Hortus conclusus, soror mea sponsa; hortus conclusus, fons signatus. Emissiones tuae paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris: et flores mei fructus honoris et honestatis. Ego mater pulchrae dilectionis et timoris et agnitionis et sanctae spei. In me gratia omnis viae et veritatis, in me omnis spes vitae et virtutis. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini. Spiritus enim meus super mel dulcis, et haereditas mea super mel et favum.

℟. Cant. 2. Dilectus meus mihi et ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies et inclinentur umbrae.

℣. Eccli. 50. Sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum et lilia convallium.

Alleluia. Alleluia.

℣. Num. 17. Virga Iesse floruit, Virgo Deum et hominem genuit: pacem Deus reddidit, in se reconcilians ima summis.

Alleluia.

INFRA SEPTUAGESIMAM TRACTUS.

Gaude, Virgo Maria, cunctas haereses sola interemisti.

℣. Quae Gabrielis Archangeli verbis credidisti.

℣. Dum Virgo Deum et hominem genuisti et post partum virgo inviolata permansisti.

℣. Dei Genitrix, intercede pro nobis.

TEMPORE RESURRECTIONIS.

II. Alleluia. V. Matth. 28. Surrexit Dominus et occurrens mulieribus ait: Avete. Tunc accesserunt et tenuerunt pedes eius.

Alleluia.

TEMPORE ASCENSIONIS.

II. Alleluia. V. Ephes. 4. Ascendens Christus in altum captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus.

Alleluia.

☩ **Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam. Cap. 8.**

In illo tempore: Iter faciebat Iesus per civitates et castella, praedicans et evangelizans regnum Dei, et duodecim cum illo, et mulieres aliquae, quae erant curatae a spiritibus malignis et infirmitatibus: Maria, quae vocatur Magdalene, de qua septem daemonia exierant, et Ioanna, uxor Chusae, procuratoris Herodis, et Susanna et aliae multae, quae ministrabant ei de facultatibus suis. Cum autem turba plurima convenirent et de civitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem: Exiit qui seminat, seminare semen suum, et dum seminat, aliud cecidit secus viam et conculcatum est, et volucres coeli comederunt illud. Et aliud cecidit supra petram, et natum aruit, quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter spinas, et simul exortae spinae suffocaverunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam, et ortum fecit fructum centuplum. Haec dicens clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat. Interrogabant autem eum discipuli eius, quae esset haec parabola. Quibus ipse dixit: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis, ut videntes non videant et audientes non intelligant.

Offertorium.

Ave Regina coelorum, Mater Regis Angelorum: o Maria, flos virginum, velut rosa vel lilium: funde preces ad Filium pro salute fidelium.

℣. ℟. Alleluia. Alleluia.

Secreta.

Annue, quaesumus, misericors Deus, precibus nostris, ut quicunque intra Rosarii Dei Genitricis Mariae, eius soli Filio dicati, ambitum virtutis continemur, plena tibi atque perfecta corporis et animae devotione placeamus: ut dum haec praesentia vota reddimus, ad aeterna praemia te adiuvante venire mereamur. Per eundem. Amen.

In Praefatione.

Et te in veneratione Sanctissimi Rosarii Beatae Mariae Virginis.

Communio.

O quam speciosa facta es et suavis in deliciis virginitatis, Sancta Dei Genitrix, quam videntes filiae Sion vernantem in floribus rosarum et liliis convallium Beatissimam praedicaverunt et reginae laudaverunt eam.

℣. ℟. Alleluia. Alleluia. Alleluia.

Postcommunio.

Veneranda Sacratissimi Rosarii Mysteria, in honorem Dei Genitricis semper Virginis Mariae ab ecclesia tua fideli dicata, celebrantes, omnipotens Deus, benigno favore prosequere, ut omnibus in te sperantibus auxilii tui munus ostendas, et Mysteriorum virtus et votorum obtineatur effectus. Per Dominum. Amen.

Huius de Confraternitate Ss. Rosarii tractatus finis.

Iam ad finem eorum pervenimus, quae de Confraternitate Ss. Rosarii nobis dicenda fuerunt. Concludamus igitur cum P. Iustino Miechoviensi*):

„Vidisti originem, progressum, utilitatem, dignitatem, excellentiam, gratias, indulgentias etc. Archiconfraternitatis Ss. Rosarii. Putasne in toto orbe christiano aut exstitisse unquam aut etiamnum exstare talem Confraternitatem, de qua tam admiranda, tam antiqua, tam nova, tam perpetua et testata exstent laudis praeconia? putas exstitisse societatem laicam, quae tantum Ecclesiae Dei profuerit, quae tantam in populo christiano devotionem excitaverit? quae tot gratiis, privilegiis, indulgentiis, favoribus a Summis Pontificibus condecorata fuerit?

„Quam miseri ergo, qui ab hoc pio instituto se abstrahunt; quam infelices, qui illud impediunt! O quantorum malorum se reos faciunt, qui hanc Sacram Archiconfraternitatem vel negligunt vel prohibent, immo destruere conantur. Honoris Dei et cultus Deiparae, qui praestari; Ecclesiae utilitatis et emolumenti, qui impetrari; omissarum tot orationum, quae Deo offerri; fraternae caritatis, quae augeri; neglectarum tot Confessionum et Communionum, quae percipi; indulgentiarum non perceptarum, quae participari; imminutae religionis catholicae, quae illustrari; animarum in Purgatorio detentarum, quae liberari possent, se hostes exhibent et sibi damnationem acquirunt.

„O si haec illustrissima Archiconfraternitas ubique terrarum ardore, quo par est, praedicaretur, quantum floreret pietas, quam cito reflorescerent prisca illa chri-

*) Discursus Praedicabiles, disc. CCCXXI, n. 15 seqq.

stianorum devotio ac caritas! Christiani uno Christo Patre, una Ecclesia Matre, generati et educati, unius Dei, unius religionis vinculo et sacramento constricti consociarentur, cederet ignorantia, exstirparentur errores, restinguerentur odia, et pestifera membra corporis Ecclesiae resecarentur aut converterentur etc. Ubique pax, ubique concordia, ubique philanthropia et amor Fraternitatis coleretur; una esset fides mentium et pietas actionum."

Faxit hoc Deus!

Tu autem, benevole lector, memento Patris nostri Sanctissimi Leonis Papae XIII., qui inde ab anno 1883, iteratis Encyclicis litteris, promotionem Ss. Rosarii nobis sacerdotibus enixe commendavit. Sequamur pro viribus ipsius Vicarii Domini nostri Iesu Christi in terris vocem, quae hisce novissimis diebus denuo nos exhortatur ad colendam et propagandam hanc devotionem „pulcherrimam eandemque convenientem nostris temporibus, usu facilem, utilitate uberrimam", ideoque sub patrocinio Sanctissimae Virginis a Rosario esse voluit sacrum Iubilaeum, quod pro anno occurrente 1886 indicit. Ait enim Sanctissimus Dominus in litteris Encyclicis[1]):

„... In omni magnae christianae reipublicae tempore quoties Ecclesiae usuvenit, ut vel externis periculis vel intestinis premeretur incommodis, praeclare maiores nostri, sublatis in coelum suppliciter oculis, docuerunt, qua ratione et unde lumen animi, unde vim virtutis et apta temporibus adiumenta petere oporteret. Inhaerebant enim penitus in mentibus illa Iesu Christi praecepta: 'Petite et dabitur vobis[2]);

1) 'Quod auctoritate Apost.' d. 22. dec. 1885.
2) Matth. VII, 7.

oportet semper orare et non deficere.[1]) Quibus resonat Apostolorum vox: ‘Sine intermissione orate.[2]) Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus’.[3]) Quam ad rem non minus acute quam vere illud Ioannes Chrysostomus scriptum per similitudinem reliquit: „Quomodo homini, cum nudus idemque egens rebus omnibus suscipiatur in lucem, manus natura dedit, quarum ope res ad vitam necessarias sibi compararet; ita in iis quae sunt supra naturam, cum nihil per se ipse possit, largitus est Deus orandi facultatem, qua ille sapienter usus, omnia quae ad salutem requiruntur, facile impetraret.

„His ex rebus singuli statuite, Venerabiles Fratres, quam sit gratum et probatum Nobis studium vestrum in provehenda Sacratissimi Rosarii religione his praesertim proximis annis, Nobis auctoribus, positum. Neque est silentio praetereunda pietas popularis, quae omnibus fere locis videtur in eo genere excitata: ea tamen ut magis inflammetur ac perseveranter retineatur, summa cura videndum est. Idque si insistimus hortari, quod non semel idem hortati sumus, nemo mirabitur vestrum, quippe qui intelligitis, quanti referat, Rosarii Marialis apud christianos florere consuetudinem, optimeque nostis, eam esse huius ipsius spiritus precum, de quo loquimur, partem et formam quandam pulcherrimam eandemque convenientem temporibus, usu facilem, utilitate uberrimam . . .

„Ceterum summa cura studeant universi magnam Dei parentem praecipuo per id tempus obsequio cultu-

1) Luc. XVIII, 1.
2) I. Thessal. V, 17.
3) I. Timoth. II, 1.

que demereri. Nam in patrocinio Sanctissimae Virginis a Rosario sacrum hoc Iubilaeum esse volumus: ipsaque adiutrice confidimus, non paucos futuros, quorum animus detersa admissorum labe expietur, fideque pietate, iustitia non modo in spem salutis sempiternae, sed etiam in auspicium pacatioris aevi renovetur . . .

Datum Romae apud S. Petrum, die XXII. Decembris anno MDCCCLXXXV. Pontificatus Nostri Octavo.

LEO PAPA XIII.

DE
SOCIETATE ROSARII PERPETUI.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

De societate Rosarii Perpetui.

Rosarium Perpetuum est sodalitas, quae vicibus inter sodales distributis continuo et sine intermissione die noctuque Rosarium recitat, ut Beatae Dei Genitrici Mariae perpetuum exhibeat cultum atque eius perpetuum succursum imploret.

Instituta est haec devotio a P. Petronio Martini, Ord. Praed., qui eam ipse primus Bononiae die prima Ianuarii 1635 in ecclesia S. Dominici, coram ipsius praeclarissimi Patriarchae sepulchro, praedicavit.*)

*) Non desunt, qui huius devotionis auctorem putant esse P. Ioannem Ricciardi de Altamura, eiusdem Ordinis, Petronii coaevum, qui Neapoli Rosarium Perpetuum plantavit, postquam Bononiae iam fuit institutum. Vir pius et eruditus, plura praeclaraque dedit saeculo suo posterisque reliquit utriusque dotis specimina. Inter alia scripsit anno 1637: 'Discursus de Ss. Rosario' et 'Breve istruzzione per istituir il Rosario Perpetuo in favore degli agonizanti'; quod latine reddidit P. Reginaldus Bader Bambergensis sub titulo: 'Brevis instructio instituendi Rosarium Perpetuum pro agonizantibus, ex italico Fr. Ioannis Ricciardi de Altamura, primi auctoris, latine reddita', Bambergae 1641. Vide Quetif et Echard: Scriptores Ord. Praed. Paris, 1721 tom. II. p. p. 659 et 541, ubi de F. Petronio haec tantum leguntur: „F. Petronius Martini Bononiae in Italia natus, ibidemque ad Ordinem adscitus, vir eruditus et pius, Sacrae Scripturae lector publicus ibidem agebat annis 1643 et 1644 et una Congregationis Ss. Rosarii moderator, cumque Italia tum bellorum incendio conflagraret, duce Parmensi ceterisque Italiae principibus cum Apostolica Sede et Urbano VIII. dissidentibus invicemque certantibus, cives Bononienses eo adduxit, ut cultu speciali apud Beatissimam Virginem pro pace eius interventu obtinenda ferventius instarent, quod tanto omnium concursu tantaque pietate peractum a 13. iunii 1643 ad 30. martii sequentem, ut quae optabatur concordia annuente numine secuta sit, Antonio Cardinali Barberino Bononiae Legato Caduceatore et Mercurio, cui propterea libellum a se de Rosario scriptum italice Petronius nuncupavit, qui et gallice versus prodiit hoc titulo: 'Recours spiri-

Bononienses autem tanto cum gaudio hanc novam devotionem susceperunt, ut eodem fere anno ingens sodalium numerus adscriberetur, qui se singulis annis per horas sibi assignatas totum Psalterium Marianum persoluturos esse promittebant. Nec promisere solum, sed et promisso fideliter stetere.

Quam mira fuerit huius devotionis propagatio, P. Thomas Leonardi, Ord. Praed. Lovaniensis, paucis annis post illius institutionem sic exponit*):

„Cum primum hoc pium exercitium populo proponeretur, res quaedam difficilis et observatu impossibilis apparebat. Cum etenim annus 8760 horas in-

---

tuel fait à Dieu et à la Sainte Vierge Marie avec la très efficace oraison du S. Rosaire dans la ville de Bologne, l'espace de neuf mois continuels, les années 1643 et 1644, pour obtenir la paix d'Italie, inventé et persuadé par le zèle du R. P. F. Petronio Martini Dominicain, docteur etc.“ Praeter hoc opusculum anno 1644 compositum P. Petronius nihil aliud scripsisse videtur, dum Patris Altamurae liberculus iam anno 1641 latine et 1642 Constantiae germanice redditus fuit, ex quo fieri potuit, ut P. de Altamura consideraretur ut auctor ipsius Rosarii Perpetui.

Etiam Colonienses se primos Rosarium Perpetuum invenisse contendunt, saltem in liberculo, quod ut strena pro anno 1885 a Confraternitate impressum est. Quo in liberculo describitur imago quaedam, in ecclesia S. Andreae appensa, quae cum Confraternitate ex vetere Ordinis Praedicatorum ecclesia huc translata fuit. Imago illa, magnitudinis 150 × 115 cm., repraesentat in parte superiore Reginam S. Rosarii, in parte media S. Dominicum cum duobus Fratribus, qui populum hinc inde genuflectentem benedicunt et magno libro nomina inscribunt. Sub mensa, cui assident, delineatum est Purgatorium; Angeli a Matre coelesti missi asportant Rosaria ad S. Dominicum et ab eo benedicta ad animas Purgatorii, quae summo cum desiderio ea appetunt. — Pictura ista anno 1624 confecta est. Ex hac circumstantia concludit liberculi auctor: „Haec imago est pretiosa pro Confraternitate Coloniensi, etiam quoad historiam; nam verisimile est, imaginem, cum sit anno 1624 picta, confectam esse in memoriam fundationis ‘Rosarii Perpetui’, quod Coloniae initium capiens per Germaniam, Franciam, Italiam divulgatum est.“ — Verum ex hac imagine nihil certi pro Rosario Perpetuo concludere licet, quia ea, quae in ipsa repraesentantur, ad solam forte Confraternitatem pertinent, nec ulla certa ratione Rosarium Perpetuum indicant.

*) ‘Thesaurus gratiarum Ss. Ros.’ Coloniae Agripp. 1646, edit. quinta.

cludat, immensi laboris videbatur, tot homines conquirere, qui ex illis singulas in se horas susciperent, maxime propter tot horas nocturnas, quae saecularibus et tota die laborantibus quieti inserviunt, non vigiliis aut orationi. Longe tamen res aliter successit. Nam ubi tantum haec devotio populo innotuit, tantus fuit undequaque confluxus, ut catervatim ad librum pro eligenda hora concurrerent, ut etiam, tribus vel quatuor Religiosis inscribentibus, exspectari deberet tempus, quo quisque accedere posset. Non paucae familiae integras sibi noctes singulis mensibus eligebant, quarum horas inter domesticos suos, etiam pueros et famulos et famulas distribuebant, ad quas mutuo per vices a somno excitabant. Famuli et ancillae, quia propter diurnum famulatum non licebat, nocturnas horas, quibus a domesticis servitiis vacabant, eligebant. Pauci unica contenti erant hora, plurimi singulis mensibus unam desiderabant.

„Ita factum est, ut in una civitate viginti dierum spatio totus fere horarum numerus compleretur. Dici non potest, quantam hinc devotionem etiam rudis plebs conceperit. Passim in muris civitatis vigiles horas excubiarum recitatione Rosarii transigebant; nautae in navibus loco fabularum stato tempore cum Rosario secedebant; inter opera sua pauperes devotionem hanc intermiscebant. Poenitentium etiam numerus augebatur, ita ut qui antea aegre praecepto Ecclesiae de annua Confessione et Communione satisfacere solebant, iam ferialibus etiam diebus occurrente hora et ad Confessionem et ad Sacram Synaxim se sponte disponerent.“

Alii eiusdem aetatis scriptores similiter huius sodalitatis successum enarrant, in his P. Ioannes Paulus Demora del Maro, eiusdem Ordinis. Indefessus ille

Ss. Rosarii promotor testatur in opusculo de Rosario Perpetuo*), solummodo per Italiam infra primum decennium plus quam decies centena millia hominum huic sodalitati adscriptos fuisse, inter quos Urbanum Papam VIII. [† 1644], qui horam nocturnam vigesimam tertiam diei 22. maii sibi assignatam fideliter observabat. Ex ratiocinio a P. Demora accurate, ut ipse fatetur, composito concluditur, iam tunc in sola Italia per omnes totius anni horas semper saltem centum quadraginta homines Rosarium in B. Dei Genitricis Virginis laudem persolvisse.

Eodem tempore pia haec unio per Hispaniam, Galliam, Germaniam totumque orbem divulgata ubique saluberrime floruit et crevit, donec ob miserrimas nefandasque perturbationes exeunte saeculo decimo octavo in Gallia exortas pene exstincta est nec nisi inopem aliquam vitam passim ducebat.

Sane postquam Confraternitates omnes legibus iniquissimis interdictae, abrogatae, exstinctae fuerunt, Rosarium Perpetuum, quod est simplex unio pia et germen quoddam Ss. Rosarii Confraternitatis, pluribus quidem in locis suo modo conservatum est, sed — quod maxime mirum videtur — in detrimentum ipsius Ss. Rosarii Confraternitatis. Nam reliquiae istae Rosarii Perpetui sibi titulum Confraternitatis vindicare conabantur. Id conspicuum est ex pagellis, quae paucis ante decenniis variis locis impressae superbo exornatae sunt titulo: ‘Archiconfraternitas Ss. Rosarii Perpetui’, etiamsi nihil aliud continent nisi regulas ordinarias pro sola Rosarii hora. Inde factum est, ut ipsa Confraternitas iam collapsa eo magis oblivioni traderetur,

*) Gioiellino del Ss. Rosario Perpetuo. Mediolani 1650.

tantaque creata est perturbatio et confusio, ut vix unus sciret, quid esset Ss. Rosarii Confraternitas, quid Rosarium Perpetuum, an et in quo distingueretur utrumque sodalitium. Maxima tandem illata est perturbatio, cum etiam Rosarium Vivens se Confraternitatem nominare incepit. Per plura igitur decennia huius saeculi tria simul diversa Rosarii instituta speciem quidem Confraternitatis prae se ferebant — at proh dolor! reapse ac iure nulla existebat Confraternitas.

In hac calamitate necessarium fuit, ut litteris Apostolicis aperiretur et explanaretur, quid tenendum esset de tribus his societatibus. Sic emanata sunt

1) in favorem *Confraternitatis Rosarii* decretum de 12. maii 1851 et Summarium Indulgentiarum eiusdem Confraternitatis die 18. sept. 1862, supra iam allata;

2) pro *Rosario Perpetuo* Breve quod immediate hic, et Summarium Indulgentiarum, quod infra sequitur;

3) pro *Rosario Vivente* Breve: 'Quod iure haereditario' et Summarium Indulgentiarum, quae habebis, ubi de hoc sodalitio tractabitur.

Exemplum vero Brevis novissimi Rosario Perpetuo concessi est hoc:

PIUS PAPA IX.

Ad perpetuam rei memoriam.

Postquam, Deo monente et excitante, Sanctus Dominicus, Ordinis Praedicatorum Institutor, ad convellendos Albigensium errores Deiparae Immaculatae, cui uni datum est cunctas haereses interimere in universo mundo, auxilium imploravit, et Rosarium populis velut singulare adversus haereses et vitia praesidium coepit praedicare, mirum in modum inter fideles praefata de-

votio diffusa fuit. Imo, posteriori aevo plurimi e fidelibus, et praesertim Fratres Ordinis Praedicatorum sancti sui auctoris et Patris vestigiis inhaerentes Rosarium, a quo multa bona ac commoda in christianam rempublicam diffluxisse noverant, magis excolere et efficere, ut devotio illa Divinae Matri magis accepta evaderet, sategerunt. Hinc fidelium Societas '*a Perpetuo Rosario*' nuncupata, ut Nobis est expositum, ineunte saeculo decimo septimo, viri ex Ordine Fratrum Praedicatorum zelo, Bononiae ortum habuit, quorum esset singulis diei noctisque horis alterna vice Rosarium recitare, ut perpetuus Deiparae cultus exhiberetur.

Porro nuperis temporibus, tum Venerabilium Fratrum Galliarum Antistitum, tum Fratrum Ordinis Praedicatorum studio Societas mox memorata, quae ob miserrimas nefandasque perturbationes exeunte saeculo elapso in Galliis habitas pene soluta fuerat, iterum in novam vitam revocata, novisque legibus magis firmata fuit.

Ea, ubi est rite erecta, Moderatore ex Fratribus Ordinis Praedicatorum et Concilio utitur, et utriusque sexus Christifideles adscribit. In duas dividitur classes, quarum altera sectio dierum, altera divisio mensium appellatur, et unaquaeque Praefecto suo gaudet e Societate selecto, qui a respectiva classe nomen usurpat.

Praefectus divisionis socios triginta et unum iuxta mensium dies eligit, et singulis eorum praestituti mensis diem assignat; quilibet vero ex his triginta et uno *Praefectus sectionis* vocatur eiusque est viginti quatuor socios adscribere, et unicuique eorum unam diei vel noctis horam designare.

Ex hac recta dierum, mensium personarumque divisione fit, ut singulis diei noctisque horis utriusque

sexus Christifideles eidem Societati adscripti reperiantur, qui Rosarium recitent, atque ita Divinae Matri perpetuum cultum exhibeant. Maxima autem animi nostri consolatione iam centena fidelium millia praedictae Societati nomen suum dedisse accepimus.

Nuper tandem Venerabilis Frater hodiernus Archiepiscopus Lugdunensis suo et aliorum Venerabilium Fratrum in Galliis Antistitum nomine, quibus alii fideles, et praesertim Dilecti Filii Fratres Ordinis Praedicatorum additi sunt, enixas humilesque preces nobis admovendas curavit, ut praefatam Societatem coelestibus indulgentiarum thesauris de benignitate Apostolica ditare dignaremur.

Nos, qui post Deum, omnem fiduciam in Beatissima Maria Virgine reposuimus, et spe recreamur, ut frequenti Rosarii recitatione a fidelibus ubique peracta, tandem, ut alias, errorum monstra, quae nunc serpunt, interimat et impios sceleratorum hominum ausus avertat et destruat, supplicationibus admotis annuendum ultro censuimus.

Quare de omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, eis fidelibus ad munus Praefecti vel divisionis vel sectionis Societatis sub titulo Perpetui Rosarii in quacunque Dioecesi canonice erectae vel erigendae designatis, die quo primum munus exercuerint, si vere poenitentes, et confessi ac S. Communione refecti quamlibet Ecclesiam publicam visitaverint, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam; insuper omnibus utriusque sexus Christifidelibus in dicta Societate nunc et pro tempore existentibus, qui respectivae horae in menses sibi prae-

stituti diei operam devote navaverint, dictoque die vere pariter poenitentes et confessi, ac S. Communione refecti aliquam Ecclesiam visitaverint, ibique, ut supra, oraverint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Tandem singulis tum divisionis tum sectionis Praefectis, quoties fraterna charitate, quae patiens est et benigna, vel aliquem fidelem praedictae piae Societati adscribi fecerint, vel conventibus ad confratrum et consororum pietatem et devotionem in frequenti Rosarii recitatione excitandam adfuerint, aut aliud quodcunque opus iuxta Societatis institutum rite in Domino praestiterint, dummodo antequam memorata opera inchoent, saltem corde contrito, hymnum qui incipit: *Veni, Creator Spiritus*, et ter Salutationem Angelicam devote recitaverint, toties tercentum dies de iniunctis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus.

Quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christifidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse indulgemus.

In contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Praecipimus autem, ut praesentium Litterarum (quod nisi fiat nullas esse volumus) exemplar ad Secretariam Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae deferatur, iuxta decretum ab eadem Congregatione sub die 19. ianuarii 1756 latum, et a sa. mem. Benedicto PP. XIV. praedecessore nostro, die 28. dicti mensis et anni approbatum: volumus etiam,

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 12. aprilis 1867, Pontificatus nostri an. 21.

L. † S. N. Card. Paracciani Clarelli.

Suprascriptarum litterarum Apostolicarum exemplar exhibitum fuit in Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum, ut in eadem asservetur, iuxta decretum eiusdem S. Congregationis die 19. ianuarii 1756.

In quorum fidem, etc. Die 13. aprilis 1867.

Philippus Can. Cossa, substitutus.

Itaque Apostolicis his litteris

1) distinguitur Rosarium Perpetuum ab ipsa Confraternitate, cum constanter societas, nunquam vero Confraternitas nominetur;

2) exponitur, hanc devotionem ineunte saeculo decimo septimo, viri ex Ordine Praedicatorum zelo, Bononiae ortam et postea pene solutam esse;

3) declaratur finis,

4) explicatur forma,

5) conceduntur indulgentiae.

Unde cum de duobus prioribus sufficienter iam egerimus, restat, ut examinemus et finem et formam et indulgentias Rosario Perpetuo concessas.

DE FINE ROSARII PERPETUI.

Finis Rosarii Perpetui ex verbis Pii IX. est, ut fideles „singulis diei noctisque horis alterna vice Rosarium recitantes perpetuum Deiparae cultum exhibeant". Sicut igitur Adoratio, quae dicitur Perpetua, a P. Antonio Le Quieu Ord. Praed. Massiliae anno 1634 inventa, specialem, et in quantum fieri potest, perpetuum cultum Ss. Sacramento exhibet, ita Rosarium Perpetuum, eodem fere anno ortum, continuo cultu B. Dei Genitricem Virginem prosequitur.

Praeter finem istum primarium dantur et alii fines secundarii, ad quos Rosarii Perpetui devotio dirigitur, teste laudato P. Thoma Leonardi, qui p. 240 haec habet:

„Rosarium Perpetuum est continua lectio [persolutio] Rosarii per diem et noctem a personis diversis, singulis certam distinctamque horam legendi [persolvendi] servantibus.

„Haec devotio originem accepit in Italia et inde eodem fere tempore in Germania et in Belgio coli coepit, diverso tamen fine.

A. „In Germania quippe instituta est pro solis agonizantibus; ut in illo ultimo salutis discrimine, cum propriae vires deficiunt, aliorum preces subveniant.

B. „In Belgio ultra illam necessitatem ad alias etiam communes se extendit, videlicet:

a) pro universalis Ecclesiae statu; ut sicut Ecclesiae caput Petrus Apostolus quondam assidua oratione, quae ab Ecclesia pro eo sine intermissione fiebat, e carcere divinitus est liberatus, ita et Ecclesia Catholica a tot hostium furore assidua prece eruatur;

b) tum etiam cum nulla omnino sit hora, qua

non divina bonitas tot hominum peccatis offenditur, haec Rosarii devotio introducta est, ut semper aliqui orando divinam iustitiam conentur placare, et pro peccatorum conversione deprecentur;

c) tertio etiam pro fidelibus defunctis, ut illae piae animae, quae Purgatorii flammis sine intermissione cruciantur, etiam sine intermissione a Rosarii confratribus releventur.

„Quae omnes et aliae necessitates apte in hoc pio exercitio distinguuntur, ut infra patebit. Hoc igitur devotissimum Rosarii exercitium in hoc situm est, ut quilibet horam aut semel aut pluries in anno eligat, diversam tamen ab aliis, quod in libro ad hoc servando patere poterit; et ita omnes mutuo in orando succedant, ut sicut excubitores civitatis per vices excubias servant vigilando, ita hi spirituales Ecclesiae vigiles excubias suas observent orando."

Sed non solum in Germania, verum etiam in Italia et Gallia Rosarium Perpetuum primitus pro solis moribundis institutum est. Hoc probatur ex P. Ioanne de Altamura, ut vidimus supra p. 469, et ex P. Michaele Tramo Bisuntino, qui composuit Manuale, cui titulus est: 'Rosaire Perpétuel pour la consolation des agonisants', Lugduni 1644. Postquam vero eodem anno 1644 P. Petronius Rosario Perpetuo a se 1635 invento usus est etiam pro pace in Italia obtinenda, P. Ioannes de Giffre de Rehac Petronium secutus liberculum edidit: 'Le Rosaire Perpétuel pour obtenir par son entremise la paix désirée pour toute la chrétienté', Paris 1644. Patet hunc finem quasi per accidens adiectum fuisse propter temporum circumstantias et necessitates extraordinarias et ad tempus solummodo, donec Ecclesia ab hostium furore liberata esset. Nihilominus cum

istae necessitates publicae perdurarent, mirum non est, quod finis ille passim quasi firmiter adiectus permansit. Praeterea cum in populorum dissidiis et Ecclesiae impugnatione divina bonitas continuo horrendis peccatis offenderetur et innumeri milites et cives necarentur, etiam ad placandam Dei iram et liberandas interfectorum animas iure merito potuit Rosarium Perpetuum esse remedium. Inde igitur factum esse videtur, ut Rosarii Perpetui devotio ad tres illos fines dirigeretur, quos supra P. Leonardi in Belgio se reperisse testatus est.

Finis igitur Rosarii Perpetui a primo initio non erat multiplex, sed unus, scilicet cura agonizantium. In Germania hoc permansit usque ad dies nostros, quod sole clarius ex pagellis nostro adhuc saeculo reimpressis et ex omnibus patriae partibus a nobis collectis patet. Picturae his schedulis insertae omnes repraesentant moribundum, cui Pater ex Ordine Praedicatorum dulciter alloquens cereumque benedictum porrigens in extrema hac necessitate assistit, et eius anima, dum ceteri adstantes Rosarium persolvunt, a S. Dei Genitrice Maria benignissimo vultu in coelum assumitur.

Quodsi alibi praeter hanc moribundorum curam tres alii fines, a P. Leonardi allati, intenduntur, quaeritur, utrum modus primitivus, an alius postea introductus, sit praeferendus.

Pium IX. praeter cultum B. Mariae Virginis nullum finem proposuisse vidimus, etiamsi sperat fore, ut frequenti Rosarii recitatione ubique peracta tandem, ut aliis temporibus, errorum monstra interimantur et impii sceleratorum hominum ausus avertantur et destruantur. Item ceteri Pontifices, in quibus Alexander VII., Inno-

centius XI., Clemens IX., X., XI., Innocentius XIII., Clemens XII. fines speciales non adducunt in Brevibus*), quae ad Rosarium Perpetuum spectent. Cum his consonat Pius VII., ut habetur supra p. 411 no. 5.

Quapropter in acceptatione finium huius sodalitatis ex parte legis nullo ligamur vinculo. Traditio vero pia et accepta a maioribus consuetudo semper sancte colenda est. Ideo putamus finem illum primitivum, scilicet solatium et adiuvamen agonizantium, firmiter retinendum aliisque omnibus praeferendum, et per totam horam assignatam orandum esse pro illis omnibus, qui isto tempore in universo mundo in agonia atque in ultimo salutis discrimine versantur, maxime vero pro ipsius Rosarii Perpetui consodalibus ista hora agonizantibus. Ita Societati nunc renascenti proprius ac pristinus finis restituetur.

Quoad alios fines, qui supra memorati sunt, scilicet universalis Ecclesiae bonum, offensarum erga Deum reparatio ac peccatorum conversio, animarum in Purgatorio liberatio: istos fines, quantumvis laudabiles

*) Brevia ista horae annuali indulgentiam plenariam quotannis lucrandam concedunt ad septennium tantum, et ideo septimo quoque anno erant renovanda. Renovata vero inveniuntur in Bullario Ordinis Praedicatorum d. d. 1. iun. 1656, 15. ian. 1663, 17. feb. 1683, 16. mai. 1689, 5. mart. 1703, 11. nov. 1709, 12. dec. 1716, 3. aug. 1723, 22. dec. 1730. Incipiunt omnia: 'Ad augendam' et inter se et cum sequenti exemplo de verbo ad verbum concordant:

„Ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem, coelestibus Ecclesiae thesauris, pia caritate intenti, omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac Sacra Communione refectis, qui hora sibi assignata Rosarium Beatae Mariae Virginis devote recitaverint, et pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam semel in anno duntaxat omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus ad septennium, quo vero ad Indias ad quindecim annos tantum valituris. Volumus autem etc."

sint, non nisi per accidens et aliquando pro temporum necessitatibus prae oculis habendos vel potius includendos esse censemus. De cetero fidelibus defunctis iam haud parum solatii continuo a Rosarii Perpetui sodalibus affertur eo quod omnes indulgentias, quas horam sibi assignatam observando lucrantur, animabus purgandis applicare possunt. Quod vero attinet ad universale Ecclesiae bonum, id vel maxime promovetur, dum pro agonizantibus continuae preces fiunt. Teste enim ipso Summo Pontifice Leone XIII. in his nostrae aetatis calamitatibus „miserrimum est ac longe luctuosissimum, tot animas Iesu Christi sanguine redemptas, quodam aberrantis saeculi veluti correptas turbine, praecipites in peius agi atque in interitum ruere sempiternum.“*) Quapropter agonizantium animas precibus continuis ab interitu sempiterno praeservando Ecclesiae proculdubio auxilium in re gravissima conferimus.

Praeter piam et a maioribus acceptam consuetudinem sunt aliae graves rationes, quae omnino suadent, ut Rosarii Perpetui societas praecipue ad solamen agonizantium ordinetur.

Ac primo quidem ipsum huius societatis bonum id postulat. Unaquaeque enim sodalitas, ut florere et in dies crescere valeat, debet habere finem aliquem determinatum et ita specialem, ut nullo modo confundi queat cum aliis sodalitiis. Atqui pro aliis finibus, qui etiam Rosario Perpetuo non ab initio, sed postea et quasi per accidens tantum fuerunt adiecti, aliae Confraternitates et societates fundatae existunt. Sic exempli causa ad animas e Purgatorio liberandas instituta est Archiconfraternitas B. M. V. dolorosae anno 1255. Eundem finem alia B. M. V. Archisodalitas prosequitur.

*) Encycl. Supremi Apost. d. 1. sept. 1883.

Item pro conversione peccatorum et Sanctae Ecclesiae exaltatione praesertim nostris temporibus, annis scilicet 1836, 1860, 1873 etc. specialia fundata sunt sodalitia Immaculati Cordis B. M. V., S. Michaelis Archangeli, SS. Angelorum et alia. Oportet igitur, ut Rosarii Perpetui sodalitas nunc de novo resurgens, relictis istis finibus, aliquando et per accidens adiectis, unice ac nominatim proprium suum finem, scilicet agonizantium solamen, prae oculis habeat diligentique studio prosequatur.

Id ipsum huius rei gravitas exigere videtur. Nam cum pro aliis variis necessitatibus variae sodalitates institutae sint, pro ea necessitate, quam inter omnes maximam dixeris, id est pro solamine agonizantium, praeter Rosarium Perpetuum nullam invenies. Moriuntur autem ex communi computatione singulis horis terna circiter milia sesceni homines, gravissimis vexati tentationibus atque extremo aeternae vitae periculo obiecti, nec est qui adiuvet. Plurimi ex illis versantur in peccato mortali et nisi in hoc ultimo discrimine per gratiam specialissimam convertantur ad Deum, in aeternum peribunt. Alii, quamvis sint iustificati, tamen multis peccatis venialibus obstricti et poenarum debitis onerati sunt, et nisi ardentiore charitatis actu ante obitum purgentur, nimis diuturnis Purgatorii cruciatibus tradentur.

Quanti igitur putas interesse, ut et his et illis in agonia constitutis non solum interdum aliquis succurrat piis supplicationibus, sed ut habeatur propria ad id instituta Rosarii Perpetui sodalitas, quae per vices inter sodales distributas continuo ac sine ulla temporis intermissione potentissimae Reginae Ss. Rosarii supplicet pro agonizantibus? Ita enim efficietur, ut nulla sit quovis temporis momento anima tam derelicta,

quin pro ipsa quoque in agonia Rosarium alicubi recitetur. Quot inde animae salvabuntur! Quantum illud misericordiae erit opus! Quam gratum Divinae Misericordiae et misericordiae Matri!

Denique uberrimi fructus ex eo sodalibus provenientes suadent, ut Rosarium Perpetuum hunc proprium suum finem retineat. Etenim

„Quotquot sunt artes, non est praestantior ulla,
Quam bene felici discere morte mori!“

Hic versus invenitur in omnibus Rosarii Perpetui liberculis et pagellis, quo fideles saepius moneantur, ut totum studium et desiderium referant ad mortem vere sanctam obtinendam. Mors autem sancta supponit mortis cognitionem pia oratione et meditatione acquisitam. „In omnibus operibus tuis memorare novissima tua et in aeternum non peccabis.“*) Quid vero nostro saeculo incredulo, vanitatibus et petulantiis pleno, magis est perosum, quam seria mortis meditatio? Ipsi fideles audiunt sermones de terroribus mortis, sed levitate abrepti, citius quo possunt conceptus illos spinosos e memoria repellunt; concomitantur quidem corpora defunctorum ad sepulchrum, sed omissis precibus fabulantur et iocantur in via quasi ethnicis deteriores. Huic mundano levitatis spiritui quomodo efficaciter occurrendum sit, quaestio est non parvi momenti. Vix autem efficacius remedium excogitari poterit, quam Rosarium Perpetuum pro moribundis institutum. In civitatibus enim, ubi, uti infra p. 490 n. 3. indicabimus, per modum hebdomadae, ut ita dicam, sanctae exercetur, sodales mortem adspicere et de ea meditari, imo nomine moribundorum et quasi ipsi moribundi devote

*) Eccli. 7, 40.

orare tenentur per integram horam. Insuper exemplo ceterorum sodalium per plures dies continuo trahuntur ad cogitationes serias, ita ut Director exhortationibus et devotionibus publicis in hac Missione annua animos bene dispositos facillime ad meliora ducere et in aversione a levitatibus firmare queat.

Hoc igitur modo continget sodalibus, ut „felici discant morte mori." Non solum vivi sodales artem moriendi discent, sed etiam in ipso mortis discrimine maximum solatium experientur. Patet enim, preces illas continuo a sodalibus pro agonizantibus fusas imprimis ipsis consodalibus prodesse, et ita in sua ipsorum mortis hora proculdubio habebunt, qui eos in aeternas mansiones recipiant.

DE FORMA ROSARII PERPETUI.

Imprimis animadvertendum est, Rosarium Perpetuum duplici forma gaudere posse iuxta duplicem modum, quo horae sodalibus distribuuntur. Antiquitus unusquisque huic sodalitati adscriptus regulariter unam horam singulis annis observabat; sed cum Fratres Praedicatores in Gallia abhinc viginti circiter annis Rosarium Perpetuum restituere coepissent, horam non iam semel in anno, sed unoquoque mense observandam volebant. Ex una enim parte timebant, ne tepescente in plurimis fidelibus spiritu orationis numerus orantium pro antiqua horarum distributione necessarius non posset compleri, ex altera parte piorum desideriis, qui una tantum in anno hora vix contenti erant, magis ita satisfieri putabant. Inde igitur distinguendum est inter antiquum morem unius horae per annum observandae et novum ejusdem horae singulis mensibus observandae. Uterque autem modus approbatus est a Sancta Sede; prior

per Urbanum VIII., qui ipse huius sodalitii fuit sodalis, per Alexandrum VII. et alios Summos Pontifices[1]), posterior a Pio IX. per Breve: 'Postquam' d. 12. april. 1867, instantibus praesertim Fratribus Praedicatoribus Provinciae Lugdunensis.

De utraque forma separatim agemus et primo quidem loco de forma antiqua. Regulas quas nunc proponimus, fere omnes ex antiquis liberculis et pagellis de Rosario Perpetuo tractantibus deprompsimus.

DE HORA ANNUALI.

1) Moderatores seu Directores huius sodalitatis pro singulis Ordinis Praedicatoris Provinciis sunt Patres ejusdem Ordinis, a suis Superioribus Provincialibus ad hoc munus gerendum destinati.

2) Rectores Confraternitatum Ss. Rosarii pro tempore eo ipso et absque ulla nova deputatione sunt Directores locales Rosarii Perpetui. Idem valet in locis, ubi Confraternitas erecta non est, pro sacerdotibus illis, qui ab Ordine Praedicatorum gaudent facultatibus personalibus Ss. Rosarii.

3) Praefecti[2]) Rosarii Perpetui vocantur ii, qui a Directore locali, etiam in locis, ubi nulla Ss. Rosarii sodalitas existit, deputantur, ut viginti quatuor socios adscribant et inter eos unius eiusdemque diei viginti quatuor horas dividant et singulis suo tempore id, quod promiserunt, in memoriam revocent, ne ulla hora ex oblivione omittatur.

4) Sodales a Praefectis admittuntur hac conditione, ut singulis annis horam sibi assignatam et acceptam observare promittant.

---

1) Vide p. 481 seqq.
2) Cfr. notam p. 489.

Unde ordine, quo incepimus inverso, agendum erit:

I. DE SODALIBUS ROSARII PERPETUI.

1) Sodalis Rosarii Perpetui est quilibet Christifidelis cuiuscunque aetatis, status, sexus a legitimo Praefecto admissus.

2) Non requiritur, ut admittendus sit membrum Confraternitatis Ss. Rosarii, etiamsi ratione indulgentiarum recitationi Rosarii annexarum hoc valde desiderandum est.

3) Quilibet recipiendus profitetur se sincerum Beatae Mariae Virginis, Matris Domini Nostri Iesu Christi et Reginae Ss. Rosarii, servum, quam sanctiore, quo potest, cordis affectu in supremam Patronam eligit. Deinde promittit, se in honorem huius Patronae et ad succurrendum moribundis secundum regulas sodalitatis observaturum esse singulis annis horam talem diei talis, mensis talis, sibi assignatam.

4) Deinde adscribitur et recipit schedulam, in qua a Directore notatur dies et hora et specialis Patronus, cui agonizantes saepius commendet, praesertim infra horam orationis assignatam. Schedula ista post mortem possessoris Directori citius reddenda est, ut pro anima defuncti fiant orationes a sodalitate.

5) Horam autem suam quilibet sodalis hoc modo pie observabit:

a) Sodalis quilibet ea die, in quam electa hora inciderit, sacramentaliter confessus communicabit aut saltem vera contritione se Deo reconciliari conabitur, ne fructum orationis impediat et indulgentiis obicem ponat.

b) Si commode fieri potest, hanc horam in ecclesia implebit.

c) Incipit horam ad signum campanae accurate, cum intentione praestandi Reginae Ss. Rosarii perpetuum cultum atque omnibus ipsa hora agonizantibus, praesertim sodalibus, solatium et succursum, et applicandi defunctis omnes indulgentias huic pio exercitio adiunctas.

d) Intentione facta persolvit totum Psalterium Marianum, more ordinario cum meditatione quindecim Mysteriorum praescriptorum*) absque ulla mutatione. Ratione indulgentiarum praesertim cavendum erit, ne verba „Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus“ mutentur in „ora pro moribundis nunc et in hora mortis. Amen.“ Permissum vero est, ut singulis decadibus praemittatur versus: „Clementissime Iesu! Per sanctam tuam derelictionem noli unquam me derelinquere, praesertim in hora mortis meae. Amen.“ Versus iste in omnibus fere antiquioribus pagellis huius sodalitii positus preces vult reddere fervidiores, sicuti essent, si orantes non tam pro aliis, quam pro seipsis iam moribundis orarent.

e) Psalterio absoluto, si hora nondum ad pulsum campanae finita est, subiunguntur Litaniae Lauretanae et aliae preces in honorem B. Mariae V. et Sancti eius, qui in pagella receptionis specialiter unicuique sodali adiudicatus est, ad eundem finem, donec horologium novam nuntiat horam.

f) Interim moneatur successor, si in eadem domo habitat, ut se praeparet et exacte incipiat.

g) Sodalis morbo aut alio quovis modo impeditus inquirat alium, qui vice sua eadem hora has preces offerat, vel saltem Praefectum certiorem reddat, ut is possit alium substituere pro illa hora.

*) Vide p. 260 seqq.

h) Qui hora tantum destinata est impeditus, commutet eam cum alio sodali.

i) Qui horam suam quacunque de causa omittit, non peccat; studeat tamen, ut damnum creatum reparet, per oblationem sacrificii Missae vel alio modo, quo animabus illis Purgatorii succurrat, quos in decessu e corpore dereliquit.

k) Maxime semper curandum, ut hora exacte incipiatur et tota sub omni respectu compleatur.

Moris est, ut sodales singulis annis die Dominica prima post festum Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum Communionem Generalem celebrent et offerant sacrificium Missae pro omnibus sodalibus defunctis.

II. DE PRAEFECTIS.*)

1) Praefectus providere debet viginti quatuor horis diei a Directore locali sibi indicatae.

Dies illa incipit a media nocte et finitur media nocte insequenti.

2) Curare debet, ut viginti quatuor hujus sectionis sodales, in quantum possibile, habitent vicini, et singuli suos in oratione successores moneant de officio proxime instante;

3) ut ii, quibus horae nocturno tempore persolvendae incumbunt, in eadem domo cohabitent; alius enim hoc modo alium facillime expergefacere et hora absoluta in oratione perseverare potest, donec successor incipiet;

4) ut hora sodalis impediti ab aliquo alio observetur.

*) Munera sub hoc titulo afferenda antiquitus erant solius Directoris; sed quia Directores nostris temporibus iam sat sunt occupati et nova organisatio Pii IX. Praefectos admittit, non est, cur Directores hoc adiutorio non utantur.

5) Habeat tabulam pro inscribendis diei sibi praefixi horis et nominibus eorum, qui istas horas observare promittunt.

6) Horis illius diei rite distributis tabellas proponat Directori approbandas et corrigendas. Deinde exemplum earum offert Directori, qui eas libro sodalitatis inserat et schedulas receptorum subscribat. Originalia autem remanent in manibus Praefecti, ut congruo tempore singulos sodales monere, loco mortuorum vel impeditorum alios substituere possit.

7) Die infra Octavam festi Ss. Rosarii et aliis diebus a Directore designandis conveniant omnes Praefecti ad consilium, in quo Directore praesidente tractentur omnia, quae ad bonum sodalitatis spectant, tabulae conferantur et in quantum opus est, in libro corrigantur, et de statu et progressu sodalitatis deliberetur.

8) Schedulas receptionum sodalium defunctorum reddat Directori, ut animae eorum orationibus sodalitatis specialiter commendentur.

III. DE DIRECTORE LOCALI.

1) Director localis nominat et approbat Praefectos sectionum.

2) Habet librum, in quo dies, horas, nomina sodalium a Praefectis in tabulas redacta transcribat scriptaque redigat, quoties in locum sodalis defuncti novum membrum succedit.

3) Curet, ut dies in sua parochia huic pio exercitio dedicandae immediate subsequantur serie non interrupta, ita ut parochiani hac devotione quotannis hebdomadam quasi sanctam constituant et celebrent in honorem Reginae Ss. Rosarii et moribundorum salutem.

4) Pro illis diebus offerat, si potest, sodalibus copiam Confessariorum. Hac enim occasione sodales, qui nomine tot moribundorum supplicationes instituunt, animas suas ad mortem praeparare debent ita, ac si ipsorum hora ultima instaret et ab ipsis reddenda esset ratio ultima coram ipso Summo Judice jam praesente.

5) Die Dominica huic exercitio immediate praecedente e suggesto fideles ad illud invitantur: „Tali die incipiunt in nostra parochia horae annuales Rosarii Perpetui, quae durant usque diem talem.“ Deinde sequitur instructio et exhortatio de morte, ut sodales summa cum devotione horas suas persolvant et nondum adscripti nomina sua sodalitati dent.

6) Nomina sodalium proxime defunctorum a Directore publicantur, ut sodales pro decessorum requie orent et offerant.

7) Singulis annis infra Octavam festi Ss. Rosarii consilio cum Praefectis habito Director cum Moderatore seu Promotore Ss. Rosarii Ordinis Praedicatorum respectivae Provinciae communicet *dies*, qui in sua parochia Rosario Perpetuo sunt dedicati. Sodalium vero nomina non mittantur, quia inscriptio in libro sodalitatis localis plane sufficit.

IV. DE MODERATORIBUS ROSARII PERPETUI.

1) Summus Rosarii Perpetui Moderator est Magister Generalis Ordinis Praedicatorum.

2) Pro singulis hujus Ordinis Provinciis Moderatores sunt ejusdem Ordinis Patres Provinciales seu eorum vicesgerentes Patres Promotores Ss. Rosarii.

3) Promotor Ss. Rosarii cujuslibet Provinciae habeat librum, qui tot continet folia, quot annus habet dies, ita ut pro unaquaque die reservetur folium unum. His foliis inserantur sub respectivis diebus *loca* solum-

modo, pro hac sodalitate acquisita et nomina Directorum, nisi forte aliqua speciali memoria digna videantur.

4) Praecipua cura istorum Moderatorum est, ut omnes totius anni horae accurate inter sodales distribuantur, ut vere perpetuum sit Rosarium. Ad id obtinendum necessarium erit, ut singuli Directores, qui studium ac operam introducendi in suis locis piam hanc et maxime utilem sodalitatem conferre volunt, recurrant ad Moderatorem Provinciae, ut cum ejus approbatione constituantur dies, qui pro ipsorum locis magis idonei videantur.

Ut aliqua saltem habeatur regula generalis pro distribuendis inter singula loca diebus, hanc nos proponimus.

Haec regula nascitur ex serie alphabetica, cujus litterae binae singulis mensibus applicantur. Mensi igitur Ianuario apponuntur litterae *A* et *B*, ita tamen, ut litt. *A* valeat pro prima, litt. *B* pro altera mensis Ianuarii parte. Litt. autem *A* significantur loca omnia, quorum littera initialis est *A*, ut Aquisgranum, Augusta Vindelicorum; littera vero *B* loca omnia, quorum initialis est *B*, ut Basilea, Bonna. Directores ergo in locis, quorum nomina incipiunt a litt. *A*, eligant, nisi aliquid obstet, diem aliquem ex diebus quindecim primis (1.—15.) Ianuarii eumque diem prius a Moderatore Provinciae approbatum assignent Praefecto primo Rosarii Perpetui fundandi. Cui diei immediate subiungantur dies ceteri hoc eodem loco societati dedicandi. Unde si primo Praefecto assignatus est v. gr. dies quintus, secundo, tertio etc. assignandi sunt dies sextus, septimus etc, ita ut series semel coepta non interrumpatur.

In locis vero, quae incipiunt a litt. *B*, eligantur dies ex altera parte (16.—31.) Ianuarii eodem modo. Idem valet de ceteris locis et mensibus nisi quod aliquibus litteris rarius occurrentibus simul iunctis dimidia mensis pars assignatur, e contra litteris saepissime occurrentibus integri menses attribuuntur.

Ad Litteram	*A*	pertinent	dies	1.—15.	Ianuarii;
„ „	*B*	„	„	16.—31.	„
„ „	*D*	„	„	1.—15.	Februarii;
„ „	*E*	„	„	16.—28.*)	„
„ „	*F*	„	„	1.—15.	Martii;
„ „	*G*	„	„	16.—31.	„
„ „	*H*	„	„	1.—30.	Aprilis;
„ „	*I*	„	„	1.—15.	Maii;
„ „	*C, K*	„	„	16.—31.	„
„ „	*L*	„	„	1.—30.	Iunii;
„ „	*M*	„	„	1.—31.	Iulii;
„ „	*N*	„	„	1.—15.	Augusti;
„ „	*O*	„	„	16.—31.	„
„ „	*P, Q*	„	„	1.—15.	Sept.;
„ „	*R*	„	„	16.—30.	„
„ „	*S*	„	„	1.—31.	Octobris;
„ „	*T*	„	„	1.—15.	Novbris;
„ „	*U, V*	„	„	16.—30.	„
„ „	*W, X, Y, Z*	„	„	1.—31.	Decbris.

Sed, ut iam diximus, hunc ordinem volumus esse nonnisi aliquam regulam generalem, quapropter si alicubi tempus iuxta hunc ordinem eligendum minus conveniens iudicetur, poterit etiam aliud quodlibet eligi.

*) Pro die 28. febr. constituantur duae sectiones, quarum altera annis intercalariis horas diei 29. febr. observabit.

Haec de hora annuali, nunc tractandum erit

DE HORA MENSUALI.

Ut iam diximus, hora mensualis inventa est in Gallia a Patribus Praedicatoribus. Quoad organisationem autem pro illa mensuali hora erant aliqua addenda; ita praesertim Praefecti duplicis generis, divisionis scilicet et sectionis, creati sunt. Nova haec organisatio a Pio IX. approbata et indulgentiis dotata est per Breve: 'Postquam' p. 473 a nobis allatum. Quo in Brevi satis clare exponuntur munera Praefectorum et divisionis et sectionis.

Ratio autem quare huiusmodi Praefecti instituti sunt, repetenda est ex primo impetu, quo sodales omnes onus horae mensualis suscipere desiderabant, quam tamen obligationem leviter susceptam paulo post oblivioni tradebant. Qua de causa necessarium fuit, ut Praefecti tamquam monitores instituerentur.*)

De cetero observentur regulae supra pro hora

*) Cfr. P. Chéry: La théologie du Rosaire II, pag. 333, ubi legitur: Dans notre siècle, où les chrétiens fervents sont beaucoup plus rares qu'autrefois, on chercha à compenser le nombre des associés par le nombre des heures; on prit non plus une heure par an, mais une heure par mois, par semaine, et même par jour; il y eut ainsi le Rosaire perpétuel mensuel, hebdomadaire et quotidien: telle est l'organisation trouvée par la province de France. Cette organisation attestait une grande générosité et une grande ardeur, mais il était à craindre qu'on ne pût la réaliser; on avait à se mettre en garde contre les surprises et les entraînements d'un moment d'enthousiasme, et il fallait à tout prix prévenir la lassitude, l'inconstance, les revirements et le désarroi où jettent quelquefois une promesse irréfléchie et un engagement pris à la légère. Il s'agissait, en un mot, de trouver le moyen d'entretenir parmi les associés le feu sacré et de procurer l'exacte récitation du Rosaire perpétuel. C'est ce que fit heureusement le P. Augustin Chardon, du couvent de Lyon, en instituant des chefs de section et de division, chargés de rappeler périodiquement aux confrères le jour et l'heure qui leur ont été assignés. Cette organisation a été couronnée du plus merveilleux succès, et adoptée dans nos trois provinces de France.

annuali expositae, nisi quod sodales eandem horam singulis mensibus repetunt.

INDULGENTIAE ROSARIO PERPETUO CONCESSAE.

A) PRO HORA ANNUALI:

1) Indulgentia plenaria, lucranda ab omnibus Christifidelibus, qui confessi et communicati hora sibi assignata Rosarium B. Mariae Virginis recitaverint et ad mentem Summi Pontificis oraverint.[1])

2) Indulgentiae omnes plenariae et partiales, quae recitationi Rosarii annexae et a nobis supra pp. 434 et 435 enumeratae sunt, modo sodales Confraternitati Ss. Rosarii nomen dederint.

B) PRO HORA MENSUALI:[2])

a) in favorem sodalium:

1) Indulgentia plenaria singulis mensibus a sodalibus lucranda, qui respectivae horae in menses sibi praestituti diei operam devote navaverint, dictoque die confessi ac Sacra Communione refecti aliquam ecclesiam visitaverint, ibique ad intentionem Summi Pontificis oraverint;

2) ut supra *A*)2.

b) in favorem Praefectorum:

1) Indulgentia plenaria a Praefectis acquirenda die, quo primum exercuerint munus suum, si confessi et communicati ecclesiam quamlibet publicam visitaverint ibique, ut supra, oraverint;

2) indulgentia 300 dierum toties,

α) quoties aliquem fidelem praedictae sodalitati adscribi fecerint, vel

1) Pius VII. Ad augendam, vide supra p. 411 n. 5.
2) Pius IX. Postquam, vide supra p. 473.

β) conventibus ad sodalium pietatem et devotionem in frequenti Rosarii recitatione excitandam adfuerint, aut

γ) aliud quodcunque opus iuxta sodalitatis institutum rite praestiterint, — dummodo, antequam memorata opera inchoent, saltem contrito corde hymnum: 'Veni Creator Spiritus' et tres 'Ave' devote recitaverint.

Praedictae indulgentiae omnes animabus in Purgatorio existentibus applicari possunt.

Quod attinet ad horam annualem et horam mensualem, quaenam forma praeferenda sit, utrum annualis hora an mensualis, non potest uno iudicio atque universaliter definiri. In priore forma obligatio levior est, sed numerus orantium maior requiritur; in posteriore obligatio est gravior, numerus orantium minor. Poterit tamen quis priorem praeferre posteriori eo quod facilius reperientur fideles ad unam anni horam se obligantium et ita numerus, sodalitate ubique diffusa, haud difficile complebitur. Minime enim requiritur, ut uno eodemque loco omnes horae totius anni observentur. Sed Directorum localium erit iuxta diversas locorum et personarum conditiones diiudicare, qualis forma magis pro suis locis expedire videatur. Poterunt utraque forma simul uti, dum generaliter fideles omnes ad horam annualem invitant et eos, qui volunt ac possunt, ad horam mensualem recipiunt. Ita etiam in prima Rosarii Perpetui institutione factum esse, ex Leonardi supra p. 471 vidimus, quamquam tunc hora mensualis specialem organisationem non habebat.

DE ROSARIO VIVENTE.

De Rosario Vivente.

Rosarium Vivens est societas, cuius sodales quinideni singulis mensibus quindecim Ss. Rosarii mysteria sorte inter se distribuunt ea intentione, ut unusquisque quotidie unam decadem recitans mysterium suum devote colat. Quo fit, ut quinideni sodales unum Psalterium B. Mariae V. integrum quotidie persolvant.

Confraternitas Ss. Rosarii, Rosarium Perpetuum, Rosarium Vivens conveniunt quidem in eo, quod sunt formae seu modificationes eiusdem Rosarii authentici; integrum enim hoc Rosarium recitare tenentur:

a) sodales Confraternitatis singuli singulis hebdomadibus,

b) sodales Rosarii Perpetui certa anni vel mensis hora,

c) sodales Rosarii Viventis quinideni quotidie.

Valde tamen differunt hae tres formae quoad indulgentias aliasque gratias illis concessas, in quibus Confraternitas longe superat illas sodalitates.

Rosarium Vivens anno 1826 Lugduni a pia Domina Maria Paulina Jaricot originem duxit, quae etiam celeberrimum opus, quod 'de Propagatione fidei' nuncupatur, excogitavit. Sperabat enim fore, ut Ss. Rosario eiusque Confraternitati tunc temporis neglectis, immo cum industria destructis, debitus honor facilius et citius restitueretur, si novitate formae fideles allicerentur. Unde regulas et statuta pro Rosario Vivente ipsa composuit et Domino Metemps [in Bulla Pii IX. —

vide infra p. 506. — legitur Bethemps] Canonico Lugdunensi tradidit. Qui inventum illud summo cum gaudio accepit et in libro suo: ‘Manuel du Rosaire Vivant’ explicavit multis adiectis piis exercitiis, ita ut primus Director huius associationis nominari meruerit. Eum vero librum nimis amplum et maioris pretii pro simplicibus sodalibus M. l'abbé Bérault des Billiers, sacerdos Parisiensis tituli S. Thomae Aquinatis et canonicus honorarius Langrensis, in compendium redegit, cui titulum ‘Nouveau Manuel du Rosaire Vivant’ dedit. Huius liberculi editionem quartam (Liège 1837) tamquam authenticam*) in sequentibus secuti sumus, in quantum recentiores Constitutiones non adversantur. Quaecunque igitur in hoc discursu idiomate franco-gallico scripta inveniuntur ex illo compendio saepius approbato sumpta sunt.

Illud Rosarii Viventis institutum Gregorius XVI. solemniter approbavit per Breve huius tenoris:

---

*) Dicit auctor ipse in introductione pp. 5 et 6: „Parmi les livres qui déjà ont été publiés pour le *Rosaire vivant,* il en est un qui se recommande plus particulièrement à l'attention des associés: c'est le *Manuel du Rosaire vivant,* rédigé par Metemps, chanoine de Lyon, premier directeur de l'Association. Cet ouvrage, où respirent les sentiments de la plus tendre piété pour Marie, contient aussi des prières, des méditations, des considérations touchantes, ainsi que les vêpres et les complies du Dimanche, ce qui peut-être lui donne un peu trop d'étendue, et le met à un prix trop élevé pour sa destination, mais il renferme le véritable esprit et les règles du *Rosaire vivant,* puisqu'il nous est offert par ses pieux fondateurs. Nous ne voulons donc point nous en écarter; nous le prenons au contraire pour notre guide; nous en conserverons toute la substance; nous ne ferons qu'en changer l'ordre et la méthode pour quelques points, joignant quelques explications à ceux qui en auraient besoin. Pour garant de ces explications, dont quelques-unes sont très importantes, nous indiquerons la lecture attentive du Bref du souverain Pontife (27 *Janvier* 1832), que nous donnons à la fin; des lettres que nous avons reçues de Rome à ce sujet, et les nombreux avis que nous avons tâché de recueillir.

GREGORIUS PAPA XVI.

Benedicentes Domino totius consolationis accepimus, quae a dilecto filio nostro Aloysio S. R. E. Presbytero Cardinali Lambruschinio nobis perlata fuerunt de pio quodam exercitio, quod titulo Rosarii Viventis honori B. V. M. sedula atque industria nonnullorum pietas haud ita pridem excogitavit. Inde enim, Deo bene iuvante, salubriter factum iri confidimus, nedum ut precatio ad eandem quovis loco ac tempore sancte colendam aptissima increbrescat ubique in dies magis ex facilitate ipsa sua, sed ut ex tanta supplicantium consensione maiorem quodammodo vim adepta acceptior feratur ad Deum, qui communi exoratus prece ad commiserationem flectitur et ad gratiam. Quod quidem salutare institutum favore Pontificiae auctoritatis commendare atque indulgentiarum dispensatione fovere animo decrevimus, libenti repetentes memoria, quidnam utilitatis res catholica universa persenserit, ubi primum coronis in honorem Sanctae Virginis compositis praesens ipsius praesidium fidelis populus est comprecatus.

Quare ad omnipotentis Dei gloriam atque ad Virginis Sanctissimae Mariae Genitricis Dei honorem ex certa scientia et de nostrae potestatis plenitudine omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui inter cultores Virginis pro usu piae precationis, quam Rosarii Viventis nuncupant, recensentur, . . . impertimur etc.

Sequitur Elenchus Indulgentiarum, quem de novo approbatum habebis p. 524.

Verum eo nos contendentes, ut studio venerationis, amoris cultusque erga Virginem Mariam impensiore omnium animi inflammentur, propositaque ideo ditissima indulgentiarum mercede stimulos vel currentibus admovere dum conamur, illud simul sum-

mopere urgemus, ut alia quoque religionis, charitatis ac virtutum officia intente omnes obeuntes moribusque ad christianae disciplinae rationem confirmatis cariores se Matri Sanctissimae exhibeant, quae aeternam vitam eos habituros pollicetur, qui ipsam elucidare studuerint. Secundos hoc pacto atque optatos exitus nanciscentur consilia et vota haec nostra, faustumque ac salutare hoc opus fideli populo accidisse gratulabimur.

Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere; in contrarium facientibus quibuscunque; praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae apud S. Petrum die 27. ian. 1832.

DE FINE*) SODALITATIS ROSARII VIVENTIS.

Sodalitas nec vult nec debet inferre ullum praeiudicium Ss. Rosarii Confraternitati; immo, ut ex Brevi Gregorii XVI. coniici licet, principalis finis huius societatis

*) Fines huius sodalitatis in liberculo memorato, cui est titulus: 'Nouveau Manuel' diversis locis declarantur hoc modo:

„A ces pratiques saintes d'une piété fervente déjà répandues et accréditées, il s'en est jointe une nouvelle, qui semble avoir été réservée pour des besoins nouveaux, et que le zèle actif et industrieux de quelques Fidèles leur a suggérée sous le titre de *Rosaire vivant*, pour faire revivre parmi nous l'antique et belle dévotion du *Rosaire*, et pour honorer la bienheureuse Vierge Marie etc.

„C'est le but principal qu'on s'est proposé en faisant revivre sous une forme nouvelle la dévotion du *Saint Rosaire*, l'une des plus excellentes et des plus accréditées, et qui a produit de si grands biens dans l'Eglise.

„Le *Rosaire vivant* n'étant, au fond et pour la substance, que l'antique et belle dévotion du Rosaire institué par saint Dominique, fondateur de l'Ordre des Frères-Prêcheurs, appelés aussi Dominicains, il est donc nécessaire, pour le bien pratiquer, de connaître cette dévotion. Voilà pourquoi nous devons en donner d'abord un exposé général.

„Pour nous, nous ne doutons pas que cette nouvelle méthode de pratiquer le Rosaire, qui, sans détruire ou altérer l'ancienne, ne doit que

est antiquam ac venerabilem Ss. Rosarii devotionem inter omnes Christifideles magis ac magis propagare atque hoc modo ipsam Ss. Rosarii Confraternitatem promovere.

Specialiter vero secundum proprias suas regulas eo spectat,

1) ut sodales, dum per totum mensem unum idemque mysterium meditantur, singula Ss. Rosarii mysteria et mente bene percipiant et toto corde amplectantur atque ediscant Sacrum B. Mariae Virginis Psalterium cum vera devotione ac pio affectu recitare;

2) ut sodalium preces eo fiant efficaciores, quo plures sub eadem precationis forma ad impretrandam Dei misericordiam sese coniungant.

Ac propterea sodalitas in iis praesertim locis vide-

---

la seconder, a été inspirée de Dieu pour ranimer la confiance en Marie, réveiller la ferveur qui se refroidit, et parer aux besoins présents et à venir. Entrons donc de tout notre coeur dans les vues de la Providence: dévoués au culte de Marie, ranimons, faisons revivre la dévotion du Rosaire, répondons à la voix du Père commun des Fidèles.

„Un des buts du *Rosaire vivant*, que le souverain Pontife exprime lui-même dans son Bref de 1832, c'est de faire revivre et de rendre plus fréquente la pratique du saint Rosaire, dévotion si belle, mais trop oubliée, en la mettant à la portée de tous, par une méthode plus simple et plus facile etc. Cette association nouvelle, loin de préjudicier aux Confréries du Rosaire déjà canoniquement érigées, doit au contraire les favoriser, en disposant ceux qui ne connaîtraient qu'imparfaitement cette dévotion à la goûter davantage, et à la pratiquer avec plus d'étendue, selon les règles de ces Confréries; car il ne faut pas confondre l'ancienne Confrérie du Rosaire avec l'association du *Rosaire vivant*: chacune demeure distincte, et conserve toujours son organisation, ses règles, *les indulgences* qui lui sont propres.

„Un autre but du *Rosaire vivant*, notre grand but, et le principal, c'est de fléchir la colère de Dieu, de faire une sainte violence au Ciel, d'implorer avec des instances réitérées la divine miséricorde par l'entremise de Notre-Dame du Rosaire, afin d'obtenir, s'il est possible, la conservation de la foi pour nous et pour nos frères, l'avancement et la perfection des justes, la conversion des pécheurs, l'exaltation de la sainte Eglise de Jésus-Christ, qui est l'Eglise catholique."

tur instituenda, ubi Confraternitas ob quascunque difficultates erigi non potest, ita ut sodalitas sit quasi praeambulum quoddam Confraternitatis.

Attamen praetermittendum non est, etiam sodalitatem ipsam esse vero ac proprio sensu societatem canonice institutam ac suis privilegiis exornatam. Quapropter cum non omnia omnibus conveniant, sodalitas, ubi legitime erecta est, in Confraternitatem transformanda non erit, nisi cum sodalium consensu ac praemissa matura rei deliberatione.

NOVA SODALITATIS ORGANISATIO.

Deinceps vero Rosarium Vivens novam organisationem accepit. Ab initio*) enim Gregorius XVI. regimen huius sodalitatis sacerdotibus saecularibus com-

*) „Or, tutto quello che riguarda il S. Rosario (di cui il Rosario-vivente non è se non una modificazione accidentale) essendo, da parecchi secoli, affidato dalla S. Sede all' Ordine de Predicatori; qualcuno potrebbe a prima vista maravigliarsi, nel vedere la direzione del Rosario-vivente data dal Sommo Pontefice al Clero secolare, e fuori d'ogni dipendenza dal Capo della famiglia Domenicana. Però fa d'uopo riflettere che, l'Ordine di S. Domenico distrutto, come gli altri, in tutta la Francia (ove ebbe origine, e più largo svolgimento il Rosario-vivente) dalla tremenda rivoluzione del passato secolo, non era stato ancora ristabilito in quella Nazione nel 1832, e nulla ne faceva prevedere il ristabilimento incominciato più tardi dal P. Lacordaire. Ma quando i Conventi Domenicani furono ripristinati in un buon numero di Diocesi, ed i figli di S. Domenico ebbero ovunque propagato, con risultati oltremodo consolanti, il Rosario ordinario, ed il Rosario Perpetuo, (che sempre appartennero alla famiglia Domenicana) i loro Superiori pensarono allora di reclamare la divozione del Rosario-vivente, posta da principio dalla S. Sede in altre mani. I Provinciali adunque delle tre Provincie Domenicane di Francia, fecero alla S. Sede una domanda in comune che non incontrò alcun' ostacolo: ed il nostro S. Padre Papa Pio IX, con un solenne Breve dato il 17. Agosto 1877, affidò la *direzione suprema* del Rosario-vivente al Maestro Generale dei Fratri Predicatori.“ Ex 'Instruzione sul Rosario Vivente' Rmi P. Fr. Ios. M. Sanvito, Vicarii Generalis totius Ordinis Praedicatorum, de 15. novembris 1877, ex qua instructione decisiones etc., quae idiomate italico huic tractatui insertae sunt, deprompsimus.

miserat, quia Ordo Praedicatorum, ad quem iure haereditario, pluries a Sancta Sede approbato, custodia et propagatio Rosarii pertinet, tunc temporis in Gallia exstinctus erat. At postquam opera praeclarissimi P. Lacordaire Ordo ibidem revixit, ius regendi Rosarium Vivens a Pio IX. ad Ordinem Praedicatorum delatum est. Hoc iure sibi restituto usus Rmus Magister Generalis Ordinis Praedicatorum quasdam novas declarationes edidit et novum Summarium Indulgentiarum a Sacra Congregatione impetravit. — Primo igitur Breve Pii IX. et praefatas declarationes referemus. Secundo exponemus novam formam et regulas sodalitatis. Tertio privilegia et indulgentias indicabimus.

I.

A. BREVE PII IX. DE 17. AUGUSTI 1877.

PIUS PAPA IX.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quod iure haereditario pluries quoque ab Apostolica Sede confirmato ad inclytum Fratrum Praedicatorum Ordinem in Galliis etiam pertinuerat, propagare nempe pium exercitium, cui a Rosario nomen, in honorem Bmae Mariae Virginis, et sodalitates a Sancto Rosario erigere, postliminii iure*) enixis precibus repetunt trium Provinciarum praedicti Ordinis in Galliis consistentium Praesides.

Pietate et industria bonae memoriae Mariae Jaricot, Lugduni ortum habuit sodalitas a Rosario Vivente nuncupata, cuius sodales, in quindenas dispertiti singulis per mensem diebus mysterium ad meditandum

*) Iuxta Ferraris, *postliminium* est „ius amissae rei recuperandae ab extraneo, et in statum pristinum restaurandae."

decademque recitandam sibi unoquoque mense sortiuntur; et sic reliquis deinceps mensibus. Hanc sodalitatem adscriptorum numero auctam laudibus prosecutus est indulgentiisque ditavit fel. rec. Gregorius XVI., Decessor Noster, qui eidem sodalitati patronum dedit eminentissimum virum Aloysium Lambruschini, tunc temporis in Galliis Nuntium Apostolicum, fecitque dilectum filium Bethemps*), Metropolitanae ecclesiae Lugdunensis Canonicum, eiusdem sodalitatis Moderatorem Supremum, cuius erat sodalitatum huiusmodi in reliquis Dioecesibus Praesides deligere, ac zelatores singulis earumdem sodalitatum sectionibus praeficere. Iamvero, uno et altero, quibus Sancta Sedes huiusce sodalitatis patronatum et regimen, ut supra, demandaverat, vita functis, et restituta in Galliis Fratrum Praedicatorum familia, cuius tres ibidem Provinciae constitutae sunt, quum praefata sodalitas non sine periculo iacturae indulgentiarum, primaeva constitutione et ordinatione sua destituta videatur, dilecti filii hodierni trium Dominicani Ordinis Provinciarum in Galliis existentium Praesides, enixe a Nobis postulant, ut supremam Rosarii Viventis moderationem Magistro Generali Ordinis supradicti, singularum autem sodalitatum seu societatum huiusmodi regimen et curam Moderatoribus Confraternitatum a S. Rosario, quae in locis singulis erectae sunt, de Auctoritate Nostra committamus.

Nos igitur, hisce votis obsecundare, omnesque et singulos, quibus Nostrae hae litterae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sen-

*) Cfr. supra p. 500.

tentiis, censuris ac poenis, quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Auctoritate Nostra Apostolica, perpetuis futurisque temporibus, munus Supremi Moderatoris Rosarii Viventis dilecto filio Magistro Generali Ordinis Fratrum Praedicatorum demandamus, regimen vero et curam sodalitatum seu societatum a Rosario Vivente Praesidibus seu Moderatoribus Confraternitatum a S. Rosario, quae in singulis locis institutae sunt, Auctoritate item Nostra et perpetuum in modum committimus.

Decernentes has litteras Nostras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, dictisque in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, Sedis Apostolicae Nuntios et S. R. E. Cardinales etiam de latere legatos, et alios quoslibet, quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus Nostra, Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo caeterisque quamvis speciali atque individua mentione ac derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Volumus autem, ut praesentium litterarum transsumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus

fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die 17. augusti 1877, Pontificatus Nostri anno trigesimo secundo.

Loc. † Sig. F. CARD. ASQUINIUS.

B. SUPREMI MODERATORIS SUPER ROSARIO VIVENTE DECLARATIONES.

a) Declarationes de die 15. novembris 1877:

Illas Rmus P. Sanvito, Vicarius Generalis Ordinis Praedicatorum, una cum supra allato Brevi Pii IX.: „Quod iure haereditario" divulgavit „per modum regulae directivae, ut statim in diversis Ordinis Provinciis obtineretur unitas"; quae declarationes*) reassumptae sunt in sequentibus.

b) Declarationes de 5. iunii 1879:

Vix dum „quod iure haereditario pluries ab Apostolica Sede confirmato ad Ordinem Nostrum pertinuerat (propagare nempe pium exercitium, cui a Rosario nomen, in honorem Beatissimae Mariae Virginis, et sodalitates a Sanctissimo Rosario erigere) iure etiam postliminii (per Breve s. m. Domini Nostri Pii IX. sub die 17. augusti 1877)" auctum fuit nova praerogativa, scilicet moderandae piae sodalitatis a Rosario Vivente nuncupatae, nihil habuimus antiquius quam ut tributa Nobis auctoritate ad aedificationem uteremur; dictamque sodalitatem „quae primaeva sua constitutione, non sine periculo iacturae indulgentiarum destituta vide-

*) Declarationes istae non sunt confundendae cum 'Instruzione sul Rosario Vivente' de eodem die et anno, quas suis in locis applicabimus. Vide supra p. 504, not.

batur", validiore simul ac securiore donaremus moderamine, per varias, quas sub die 15. novembris 1877, ordinationes decrevimus.

Quum autem exinde nonnulla suborta fuerint dubia, diversaeque enatae quaestiones, ideo pensatis hinc inde rationibus, his dubiis occurrere, atque experientia duce, quae ambigua videntur, declarare constituimus, eaque omnibus piae huic sodalitati propagandae addictis proponere et fideliter observanda mandare.

I. Sodalitas cui a Rosario Vivente nomen, cum ad Confraternitatis rationem minime attingat (non enim habet librum matricularem pro nominibus inscribendis, neque ullis sodales addicti sunt publicis exercitiis, sed in quindenas dispertiti singulis per mensem diebus mysterium ad meditandum decademque recitandam sibi unoquoque mense sortiuntur) consuetis Confraternitatum legibus astringi minime censenda est; atque ideo plures huiusmodi societates sub diversis legitimis Rectoribus in eodem loco subsistere licite possunt.

II. Volumus tamen et decernimus, ut omnes et singulae societates supradictae unum idemque nomen a Rosario Vivente genuinum, absque ullo alio addito titulo retineant; in methodo vero recitandi consueta mysteria Sanctissimi Rosarii nulla novitas ingeratur ex qua *„authenticum Rosarium Deo et Beatissimae Mariae Virgini sacrum antiquaretur"*. (Decreta de Libris prohib. in Indice, § IV., 8.)

III. Ad lucrandas indulgentias huic sodalitati non semel concessas, atque in Summario a S. Congregatione sub die 2. februarii 1878 approbato designatas, singuli sodales ab aliquo legitimo zelatore admitti necesse habent, atque *„uti corona precatoria de more benedicta per aliquem Sacerdotem Ordinis Praedicatorum, vel per*

alium Sacerdotem qui a Reverendissimo Ordinis Magistro Generali facultatem benedicendi Rosaria obtinuerit.“ (Summ.)

IV. Zelatores seu zelatrices aeque ac illorum Praesidentes per legitimos Directores instituuntur, qui et ipsi tali facultate donantur duplici modo; sive *titulo locali*, sicuti Rectores Confraternitatum Sanctissimi Rosarii canonice erectarum (Brev. 17. augusti 1877); sive *titulo personali* sibi ad vitam concesso a Magistro Ordinis FF. Praedicatorum Generali, Supremo sodalitatis Moderatore (Ibidem), vel a Moderatoribus per ipsum delegatis, Prioribus nempe Provincialibus eiusdem Ordinis, qui huiusmodi Directores, quisque intra suae Provinciae limites, ac etiam extra in locis, in quibus Ordo non viget, instituere libere possunt et debent (Epistola Encyclica 15. nov. 1877).

V. Directores *titulo personali* ad vitam semel donati ubique zelum suum exercere valeant, etiam in locis ubi Confraternitates Sanctissimi Rosarii, vel Conventus Fratrum Praedicatorum extant, dummodo mente teneant, Rosarium Vivens tyrocinium esse ad perfectionem Rosarianae devotionis assequendam, et aditum ad proprie dictam Confraternitatem uberiori aedificationis fructu, atque indulgentiarum thesauro multo locupletiore dotatam.

VI. Iam a die 15. novembris 1877, qua commissam Nobis a S. Sede auctoritatem prima vice exercuimus, atque omnes Directores, zelatores et sodales Rosarii Viventis in officio suo confirmavimus, mens Nostra fuit, ut Directores Generales seu Dioecesani facultate, qua prius alios Directores instituere valebant, deinceps privarentur, utpote quae solis Provincialibus Ordinis FF. Praedicatorum fuerit exinde delegata: atque iterum,

praesentium tenore dictam facultatem illis ademptam, istis vero collatam declaramus.

Simul atque per has praesentes Nostras declarationes infirmari intendimus quidquid ipsis minus consentaneum in praecedentibus habeatur, quidquid vero consonum, confirmari.

Non obstantibus, etc. In quorum fidem, etc.

Datum Romae in Conventu Nostro Sanctae Mariae supra Minervam die 5. iunii anno Domini 1879.

FR. IOSEPHUS MARIA SANVITO,
Vic. Generalis Ordinis Praedicatorum.

Secundum has declarationes authenticas n. II. non datur nisi unum solummodo Rosarium Vivens et hoc omnino dependens a Magistro Generali Ordinis Praedicatorum neque ulli alii sodalitati, cuiuscunque sit nominis, immixtum; unde nullo iure existit Rosarium Vivens Apostolatus seu S. Cordis Iesu etc. Possunt quidem sodales cuiuslibet sodalitatis Rosario Viventi nomen dare et vice versa, sed sodalitates confundere nullo modo licet. Quod iam sanxit ipsa huius Ss. Rosarii novae formae inventrix paucis ante ipsius decessum diebus. Paulina enim Maria Jaricot, antequam in odore sanctitatis die 9. ianuarii 1862 animam efflavit, Rvdo P. Ramière S. I., Supremo Directori Apostolatus Orationis, has scripsit litteras, quarum originale nostris est in manibus:

Au Père Ramière.

Lyon, décembre 1861.

Mon Rév. Père.

En me réjouissant de l'élan que doit donner à tous les cœurs l'Apostolat de la Prière, il est de mon devoir de vous faire remarquer que ce serait aller

au delà de la Volonté de Dieu de prétendre fondre le Rosaire Vivant dans l'œuvre de l'Apostolat. L'œuvre du Rosaire Vivant doit conserver son nom tel que Grégoire XVI. l'a reconnu et l'a béni, il a reçu sa constitution, sa forme; ses intentions ont été approuvées, et même il n'est au pouvoir ni des Directeurs ni de moi-même d'y rien changer.

Mais il n'y a rien de gâté. Votre Révérence voudra bien remédier à ce que j'ai l'honneur de vous signaliser par un ou deux petits cartons.

Je dois aussi vous faire remarquer que le centre et la direction de l'œuvre ayant son dépôt d'objets montée St. Barthélemy 40, de l'approbation également de Grégoire XVI., personne, je crois, n'a l'intention de vouloir intervertir cette disposition toute providentielle.

Je vous écris aux lueurs de l'Eternité; car je suis bien malade et fais un suprême effort. Je ne puis me relire; pardonnez et priez pour

Votre humble enfant
dans le sacré Coeur de Jésus
Pauline-Marie Jaricot.

II.

Ex praemissis elucet nova huius sodalitatis hierarchia.

HIERARCHIA*) ROSARII VIVENTIS.

(1) *Supremus Moderator seu Director Generalis* Rosarii Viventis est Magister Generalis totius Ordinis Praedicatorum, qui vel per se vel

*) „Il Breve del 27. Gennajo 1832, non fa menzione d'altra gerarchia, all' infuori di quella dei *zelatori*, ciascuno de' quali dirige quindici associati. Ma in seguito, diverse decisioni della S. Sede riconobbero

(2) per *Patres Provinciales* Ordinis sui

(3) *Directores* seu titulo locali seu titulo personali instituit, quorum est

(4) *Zelatores et zelatrices* necnon

(5) *Praesidentes* eligere et approbare ad hoc, ut ipsi zelatores

(6) *Sodales* legitime recipiant, societates efforment, sortes distribuant etc.

Itaque de his singulis eorumque officiis agendum erit.

I. DE SUPREMO ROSARII VIVENTIS MODERATORE.

Rmus Magister Generalis Ordinis Praedicatorum suprema auctoritate ea omnia agit, quae ad curam et regimen universale sodalitatis spectant. Ab ipso adm. Revdi Patres Provinciales diplomata et facultates recipiunt, quae suis in Provinciis sacerdotibus petentibus distribuunt.

II. DE PROVINCIALIBUS ORDINIS.

1) Patres Provinciales Ord. Praed. auctoritate sibi a Magistro Generali delegata instituunt Directores, non vero generales seu dioecesanos pro tota aliqua Dioecesi aut territorio.

2) Nisi aliquid obstat, sacerdotibus dignis et idoneis diplomata pro directione Rosarii Viventis et facultates benedicendi Rosaria petentibus libenter concedunt.

---

nell'Associazione del Rosario-vivente un'insieme di *Capi* o *Direttori*, siano Preti, che Laici, ordinati gerarchicamente gli uni al di sopra degli altri, con a capo un Consiglio di te Preti secolari, nominati e instituiti dal Sommo Pontefice, dietro la proposta d'un Cardinale, Protettore di tutta l'Associazione." Ex '*Instruzione sul Rosario Vivente.*' Vide supra p. 504 not.

3) Exemplum diplomatum pro directione huius sodalitatis est:

„Nos Fr. N. Prior Provincialis Prov. N. Sacri Ordinis Praedicatorum.

Inter principaliores Officii Nostri partes esse putamus, ut magis in dies propagetur et floreat devotio erga Beatissimam Deiparam eiusque Rosarium, quod haereditario iure ad Ordinem Nostrum pertinere saepius ab Apostolica Sede declaratum est. Cum igitur Pius PP. IX. per Breve sub die 17. aug. 1877 supremam Rosarii Viventis moderationem Reverendissimo Ordinis nostri Magistro Generali commiserit, auctoritate Nobis ab ipso delegata Te . . . instituimus et facimus Directorem Rosarii Viventis in civitate seu loco, ubi nunc temporis domicilium habes vel in posterum habebis, institutumque decernimus et declaramus, cum omnibus iuribus et gratiis, quae talium Directorum Muneri seu Officio competere constat: ita ut zelum tuum ubique exercere valeas, etiam iis locis, ubi existit Confraternitas Ss. Rosarii, auctoritate Reverendissimi Magistri Generalis Ordinis Nostri de consensu Ordinarii canonice erecta, vel Conventus Fratrum Praedicatorum, dummodo mente teneas, Rosarium Vivens esse tirocinium ad perfectionem Rosarianae devotionis assequendam et aditum ad proprie dictam Confraternitatem uberiore aedificationis fructu atque indulgentiarum thesauro multo locupletiore dotatam. Insuper ad lucrandas indulgentias huic societati non semel concessas atque in Summario a S. Congregatione die 2. februarii 1878 approbato designatas singuli sodales a legitimis zelatoribus admissi cum necesse habeant, „uti corona precatoria de more benedicta per aliquem Sacerdotem

Ordinis Praedicatorum vel per alium Sacerdotem, qui a Reverendissimo Ordinis Magistro Generali facultatem benedicendi Rosaria obtinuerit" (Summar.): addimus in libello adiecto hanc facultatem, qua Rosaria rite benedicere, immo Christifideles in ipsam Ss. Rosarii Confraternitatem admittere et adscribere possis et valeas. In Nomine Patris etc.

Datum N., die ... mensis ... anni ...

Reg. Litt. ... N. N. L. † S. N. N.
Prior Provincialis.

Promotor Ss. Ros. Provinciae ...

4) Facultates benedicendi Rosaria eaedem sunt, quae pro Confraternitate conceduntur.*)

5) Possunt Provinciales instrumenta illa nec non ea, quae ad Confraternitates Ss. Rosarii erigendas requiruntur, concedere omnibus sacerdotibus intra suae Provinciae limites ac etiam extra degentibus in locis, ubi Ordo non viget.

III. DE DIRECTORIBUS.

1) Directores nominantur duplici modo, scilicet:

a) *titulo locali.* Directores locales sunt et ipso quidem facto omnes Rectores Confraternitatum Ss. Rosarii pro tempore, quo id munus gerunt;

b) *titulo personali.* Directores hoc titulo ad vitam donati (v. pag. 510, V) ubique istud munus exercere valent, dummodo mente teneant, sodalitates has ad Confraternitates Ss. Rosarii, in quantum fieri possit, promovendas esse.

2) In eodem loco pluribus Rosarii Viventis societatibus diversi Directores praeesse possunt, seclusa perturbatione et loci angustia.

*) Cfr. supra p. 178.

3) Directores librum matricularem pro sodalium nominibus scribendis non habent nec ad publica sodalitatis exercitia habenda stricte tenentur.

4) Directores singulis sodalitatibus praesunt. Ad ipsos pertinet, Quindenas perscrutari atque approbare, zelatores et zelatrices instituere vel confirmare nec non singulis Quindenis undenis Praesidentes praeponere.

5) Opportuno tempore convocabunt Praesidentes sive solos sive una cum zelatoribus, ut eos de ipsorum officiis instruant, zelum eorum incitent, omnia denique cum eis pertractent, quae pertinent ad sodalitatem augendam ac propagandam.

6) Valde consulitur Directoribus, ut festa sodalitatis cum omni solemnitate peragi curent.

IV. DE PRAESIDENTIBUS.

1) In iis locis, ubi plures Quindenae existunt, singulis Quindenis undenis Praesidentes*) cuiuslibet sexus a Directore praeficiuntur.

2) Praesidentes sibi curae habebunt, ut singulae Quindenae, in quantum fieri possit, suum habeant zelatorem.

3) Item invigilent, ut zelatores seu zelatrices officia sua fideliter adimpleant.

4) Directori communicabunt desideria etc. zelatorum.

---

*) Praesidentes hos nominat Bérault 'conseillers'. Cur illi undecim unionibus praesint, explicat auctor ex numero granorum Rosarii, qui est 165 atque idem ac numerus sodalium undecim unionum seu Quindenarum. Habet enim haec: „Chaque conseiller ou conseillère a la direction de onze Rosaires ou quinzaines. On a choisi ce nombre de onze quinzaines pour former une division, parce que ces onze quinzaines comprennent cent et soixante-cinq associés, nombre égal à celui des grains du Rosaire que chaque associé est censé représenter."

5) Insuper prospicient, ut quaevis Quindena legitimum habeat sodalium numerum, transferendo illos sodales, qui alicubi supersunt.

6) Instituunt novas Quindenas ac Directori novos zelatores seu zelatrices ad obtinendam confirmationem commendabunt.

7) Directore defuncto vel amoto omnem adhibeant diligentiam, ne sodalitas supra mensem Directore careat. Pro tempore vacationis Directorem aliquem vicinum pro dirigenda sodalitate adeant.

8) Denique Directori transmittant indicem novarum Quindenarum ac quotannis pro festo Ss. Rosarii indicem Quindenarum omnium.

V. DE ZELATORIBUS SEU ZELATRICIBUS.*)

1) Zelatores a Directore rite nominati novos sodales in sodalitatem recipere valent. Etiam absentes per litteras recipi possunt.

2) Sodalium nomina descripta habeant, quae quotannis pro festo Ss. Rosarii transmittant Praesidenti, vel ubi Praesidens non est, Directori.

3) Curabunt, ut quaevis Quindena suum habeat sodalium numerum.

4) Sodales, qui unam constituant Quindenam, ita sunt eligendi, ut singuli quoad habitationem inter se sint vicini.

5) Quo facilius id fiat, zelatores possunt permutare sodales singularum Quindenarum; poterit etiam Director ad hoc universalem instituere reorganisationem.

---

*) On nomme zélateur ou zélatrice une personne chargée d'une quinzaine, c'est-à-dire, de quatorze associés auxquels elle se joint pour former le nombre de quinze dont se compose un Rosaire, chaque associé devant représenter et honorer un des quinze mystères du Rosaire.

6) Singulis mensibus quindecim mysteria inter sodales cuiusvis Quindenae sorte distribuant et suum cuique mysterium in schedula descriptum tradant aut transmittant.*)

7) Si contigerit, ut aliqua Quindena non habeat legitimum sodalium numerum, zelator decades vacantes vel per se vel per alios persolvendas curabit et saltem infra mensem numerum complebit.

8) Quodsi aliqua Quindena plus quindecim habeat sodales, zelator nomina eorum, qui supersunt, transmittat ad Praesidentem, ut nova ex eis instituatur Quindena. Id si fieri non potest, deficiente iusto sodalium numero, zelator eos, qui supersunt, sodales retineat ac post ordinariam mysteriorum distributionem, etiam inter istos sodales mysteria per sortem distribuat, ita tamen, ut decades, quae vacent, omittantur.

9) Denique ad zelatores pertinet, sodalium moribus invigilare, indignos, si qui inveniantur, per Praesidentem Directori denuntiare.

VI. DE SODALIBUS.

Sodales sunt, quicunque a zelatoribus vel zelatricibus rite institutis in societatem recipiuntur.

DE UNICA SODALIUM OBLIGATIONE.

Sodales stricte tenentur solummodo ad hoc, ut singulis diebus unam Ss. Rosarii decadem fideliter persolvant, adhibendo Rosarium rite benedictum ac pie meditando mysterium, quod ipsis sorte obvenerit.

Quoad locum, modum etc. recitandi nihil praescribitur.

Ea tamen obligatio non est sub peccato, sed

*) Regulas in distributione mysteriorum observandas infra specialiter exponemus.

tantummodo sub poena, ita ut negligentes privilegiis sodalitatis ex parte priventur.

Omnes vero sodales summopere studeant, ut obligationem suam singulis diebus fideliter ac devote adimpleant, ne ex ipsorum negligentia aliqua Ss. Rosarii pars omittatur, id quod procul dubio negligentibus ipsis haud parvum afferret detrimentum. Studeant insuper, „ut haec mysteria Sanctissimo Rosario Beatae Mariae Virginis recolentes et imitentur, quod continent, et quod promittunt, assequantur.“ Quare sodales omnium bonorum operum praebeant exemplum, exercitio virtutum omnium, charitate fraterna, modestia, solida pietate, frequenti Sacramentorum susceptione, ita ut alii quoque fideles alliciantur et inter sodales recipi petant. Incorrigibiles e sodalitate excludantur.

De benedictione Rosarii, de oratione vocali et mentali etc. vide quae supra pp. 240 usque ad 272 explicavimus.

REGULAE PRO DISTRIBUTIONE MYSTERIORUM.

1) Mysteria pro singulis mensibus inter sodales per *sortem**) sunt distribuenda. Distributio alio modo facta non admittitur.

*) „L'Associazione del Rosario-vivente è formata da parziali aggregazioni di quindici persone, riunite sotto la direzione di una tra esse, che è chiamata zelatore, o zelatrice. Al principio di ciascun mese, i quindici associati, riunitisi, traggono a *sorte* i quindici misteri del Santo Rosario. Ciascuno di essi recita dipoi privatamente, ogni giorno del mese, 1 Pater, 10 Ave, e 1 Gloria, meditando su quel mistero che gli è venuto in *sorte*. Al principio del mese successivo, per cura del zelatore, o della zelatrice vien fatto un'altro *sorteggio*, che dà una nuova distribuzione dei quindici misteri; e cosi di seguito per ogni mese, ciascun associato continuando a recitare quotidianamente 1 Pater, 10 Ave, e 1 Gloria, meditando su quel mistero che gli è caduto in *sorte*.“ Instr. sul Ros. Viv.

Idem iam ante novam organisationem M. l'abbé Ch. Girard in suo:

Sequens dubium S. Congregationi propositum est: „Plures fideles credunt, sodales Rosarii Vivi, qui degunt in loco ipso, ubi pia illa unio instituta est,

---

'Précis de l'association du Rosaire Vivant'. Paris [1875] p. 12 docet his verbis:

„TIRAGES DES MYSTÈRES.

1. Le mystère que chaque associé doit méditer sé désigne par le moyen du *tirage au sort.*

2. Le tirage des mystères se fait, dans chaque quinzaine, par la zélatrice, avec deux au moins de ses associées, et se renouvelle de la même manière tous les mois. Toutes les associées sont invitées à se rendre exactement à l'assemblée qui sera présidée par leur zélatrice.

3. Celles des associées qui n'assistent pas au tirage, reçoivent communication des mystères qui leur sont échus par les soins de la zélatrice ou de quelqu'autre associée de la quinzaine qui s'y trouve présente."

A primis vero sodalitatis initiis usus erat simplex distributio mysteriorum sorte non interveniente.

Insuper saepius fiebat, ut initio anni mysteria singulis sodalibus distribuerentur pro omnibus anni mensibus, aut ut qui hoc mense primum venerabatur mysterium, mensibus sequentibus absque ulla distributione nova secundum, tertium etc. quintumdecimum ac deinde iterum primum etc. coleretur. Qua de causa abbé Bérault proponit et solvit hanc quaestionem:

„Convient-il de distribuer les mystères, une fois pour toute l'année, sur des billets ou numéros destinés à cette fin?

C'est plus commode, en effet, pour les zélatrices; mais nous pensons que cela n'est pas convenable et régulier, et voici nos raisons:

1. C'est ralentir, sans motifs suffisants, le zèle des zélateurs ou zélatrices.

2. C'est retrancher les rapports qu'ils doivent avoir avec les associés de leurs quinzaines, et qui sont si utiles, et si conformes à l'esprit de l'association dont on s'écarte évidemment.

3. Beaucoup de personnes n'aiment point savoir à l'avance le mystère qu'elles devront honorer le mois suivant, et n'y prennent pas autant d'intérêt.

4. Quand on a les mystères distribués pour toute l'année, pensera-t-on bien, chaque mois, à changer et à prendre le suivant? Plusieurs ne l'oublieront-ils pas souvent? Et alors où sera cet ensemble si désirable en pareille matière? Ne s'écarte-t-on pas ainsi de la pratique exacte du Rosaire vivant, et n'est-il pas plus conforme à l'esprit de son institution de distribuer les mystères chaque fois qu'on doit en changer?

5. Enfin, quand on a distribué les mystères une fois pour toute l'année, comment, dans cet intervalle, saura-t-on si la quinzaine est toujours bien complète lorsqu'il peut arriver des changements fréquents

posse simpliciter sequenti mense assumere sequens mysterium Rosarii, prout concessum est illis sodalibus, qui absentes sunt a dicto loco. Quaeritur, utrum pro assequendis indulgentiis dictae piae unionis necessarium sit, ut mysteria Rosarii singulis mensibus a sodalibus in loco habitantibus sorte distribuantur?

Resp.: Recurrat ad R. P. Generalem Ordinis Praedicatorum.“*)

Eodem die recepimus rescriptum a Rmo P. Procuratore Generali Ordinis ad sequentem quaestionem:

„In Brevi Pii IX. de die 17. augusti 1877 dictum est: ‘Sodales Rosarii Viventis mysterium ad meditandum decademque recitandam sibi unoquoque mense sortiuntur’ et Rmus P. Vicarius Generalis Sanvito in declarationibus ipsius eodem utitur termino. Unde

1) quaeritur, utrum verbum „sortiri“ sensu stricto sumendum sit, an etiam liceat alius modus, quo sodales unoquoque mense sequens mysterium colunt v. gr., qui hoc mense colit mysterium primum, sequenti mense colat secundum, deinde tertium, quartum etc. et post decimum quintum iterum primum?

2) Quod si permissum non est, petitur, ut permittatur,

a) quia saepius accidit, ut idem sodalis per duos, tres vel quatuor menses idem mysterium sorte recipiat;

---

d'une manière ou d'autre? Et si la quinzaine n'est pas complète, gagnera-t-on les indulgences? Nous en doutons fort, parce qu'ici la négligence peut être considérée comme volontaire; et ceci est grave. Pourquoi s'écarter de ce qui a été établi dans l'origine? Il est toujours dangereux d'innover; il vaut donc mieux distribuer les mystères chaque fois et tous les mois, de la manière que nous avons indiquée: nous y engageons fortement. Les avantages en valent bien la peine: peine légère et facile pour le zèle. Ces raisons réunies nous paraissent solides; nous les donnons en toute humilité et charité; mais pour le bien et selon la vérité.“

*) S. C. I. d. 20. sept. 1879.

b) quia omnes quindecim sodales eadem hora et eodem loco pro sortitione non tam facile congregari possunt, praesertim in locis, ubi catholici dispersi et salva optima voluntate ab exercitiis religiosis non raro sunt impediti; unde fit, ut elapso mense multi sodalium primis diebus nesciant, de quo mysterio meditari teneantur.

Resp. Ad primum: „sortiri" sensu stricto sumendum est.

Ad secundum: Non expedire, quia non conceditur.

Ad *b*): Necesse non est, ut quindecim sodales pro sortitione congregentur. Hoc enim fieri solet a Directoribus vel zelatoribus, quorum interest, ea quae sorte cuique contigerunt, distribuere."

Romae, die 20. sept. 1879.

P. BIANCHI,
Proc. Gen. Ord. Praed.

Simili modo nobis responsum fuit ad sequens quaesitum:

„An sit necessarium, ut mysteria pro Rosario Vivente ad indulgentias lucrandas sorte distribuantur?

Resp.: Hoc est in organisatione ipsius Rosarii Viventis."

Romae, die 6. aprilis 1880.

P. BIANCHI,
Proc. Gen. Ord. Praed.

2) Sortitio in quavis Quindena per zelatorem vel zelatricem facienda est duobus saltem*) sodalibus

*) „Se tutti i quindici associati non sono presenti al sorteggio, basta che questo sifatto dal zelatore o dalla zelatrice alla presenza di due associati almeno. In questo caso, il zelatore provvederà, onde senza indugio venga rimesso a ciascuno degli assenti il mistero cadutogli in sorte." *Decisione di Roma, 8. Novembre 1835.*

assistentibus. Si fieri potest, omnes adsint sodales. Absentibus mysteria per zelatores sunt transmittenda.

3) In difficultatibus extraordinariis sortitio fieri potest per Praesidentem assistentibus duobus zelatoribus de Directoris consensu pro omnibus Quindenis ipsi Praesidenti commissis.

4) Distributio instituenda est primis cuiusvis mensis diebus vel saltem intra priorem mensis partem.[1]) Ubi fieri potest, eligatur ad faciendam sortitionem prima mensis Dominica, quae Ss. Rosario specialiter est dedicata.

5) Sodales per longum tempus absentes necnon illi, qui de nova mysteriorum distributione certiores fieri vix possunt, mense elapso subsequens mysterium sumere possunt. Sed tunc zelatores monendi sunt, ut mysteria illa a sortitione excludantur.

6) In quavis sortitione singuli sodales novam accipiant schedulam[2]), quam minime reddant, sed sibi asservent ac saepius relegant.

7) Sortitioni praemittantur communes aliquae piae preces ad Spiritum Sanctum et ad Reginam Ss. Rosarii Sunt eaedem, quae supra p. 220 habentur.

III.

DE PRIVILEGIIS ET INDULGENTIIS SODALITATIS.

A. Ex concessione Rmi P. Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum sodales Rosarii Viventis eodem modo,

1) „Se il sorteggio de'misteri non può aver luogo precisamente al principio del mese, è sufficiente che sia fatto nella prima metà del medesimo." *Decisione di Roma, 7. Giugno 1839.*

2) „Per maggior facilità, insieme ed utilità, possono distribuirsi a'quindici associati, quindici foglietti o immagini, in ciascuna delle quali venga indicato uno de'quindici misteri, con qualche pia sentenza, variata secondo i diversi misteri, o le circostanze, o il tempo in cui ha luogo il sorteggio." *Decisione di Roma, 1. Novembre 1835.*

ac confratres Confraternitatis Ss. Rosarii omnium bonorum spiritualium totius memorati Ordinis participes fiunt.[1]) Vide p. 448. Quae concessio, iam anno 1836 facta, renovata est per Rmum P. Vicarium Generalem eiusdem Ordinis die 15. nov. 1877.

B. SUMMARIUM INDULGENTIARUM
a S. Sede Sodalitati Rosarii Viventis concessarum.

PRO SINGULIS SODALIBUS.

Singuli sodales, dummodo ab aliquo legitimo zelatore seu zelatrice electi seu admissi fuerint, sequentes indulgentias lucrari possunt:

1. Primo die festo post suam admissionem indulgentiam plenariam, defunctis applicabilem, dummodo in hoc die vere poenitentes et confessi Sacram Eucharistiam suscipiant. (Gregorius XVI. in Brevi: Benedicentes, 27. ian. 1832.)

2. Pro recitatione decadis quotidianae centum dies in ferialibus diebus; septem annos et totidem quadragenas in diebus Dominicis et aliis per annum festis diebus, iis etiam quibus praeceptum audiendi Sacrum ademptum est, nec non per octavas Nativitatis Domini, Paschatis, Corporis Christi, Pentecostes et Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis Immac. B. M. V. (Ibid.)

3. In festivitatibus Nativitatis Domini, Circumcisionis, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, Corporis Domini, Pentecostes, Sanctissimae Trinitatis; item pro singulis festis, etiam minoribus[2]), B. M. V.; item in

1) „Per concessione fatta dal Maestro Generale dell'Ordine dei Predicatori, gli ascritti al Rosario-vivente partecipano inoltre alle buone opere e ai meriti dei Religiosi dell'Ordine medesimo." *Concessione fatta dal Rmo Generale Cipolletti, 24. Magio 1836.*

2) Cfr. supra p. 389 not.

festis SS. Apostolorum Petri et Pauli et omnium Sanctorum, nec non tertia Dominica cuiuslibet mensis: indulgentiam plenariam applicabilem defunctis: dummodo quotidie decadem suam sedulo sancteque recitaverint saltem per unum mensem, nisi quis fuerit legitima causa praepeditus, et contriti ac confessi Sacram Eucharistiam susceperint, atque visitando aliquam ecclesiam pias preces effuderint in diebus supra notatis. Si iusta causa visitationem ecclesiae impediat, Confessarius aliud opus subrogare potest. (Ibid.)

4. Indulgentias omnibus fidelibus Rosarium recitantibus ab Apostolica Sede usque ad annum 1832 concessas (Ibid.), et ideo 1) centum dies pro quolibet Pater et quolibet Ave dummodo utantur corona precatoria de more benedicta per aliquem Sacerdotem Ordinis Praedicatorum (Benedictus XIII. 13. april. 1726), vel per alium Sacerdotem qui a Rmo Ordinis Magistro Generali facultatem Rosaria benedicendi obtinuerit; 2) in die a singulis sodalibus semel quotannis eligenda indulgentiam plenariam defunctis applicabilem, si contriti, confessi et Sacra Communione refecti consuetas preces iuxta intentiones Summi Pontificis effuderint dummodo quotidianam decadem per integrum annum recitaverint utendo Corona ut supra benedicta. (Ibid.)

PRO CAPITIBUS ROSARII VIVENTIS.

1. Zelator (seu Zelatrix) qui Quindenam aliquam moderatur, dummodo electus seu approbatus fuerit ab aliquo Directore legitimo, indulgentiam centum dierum quoties aliquod sui muneris punctum impleverit. (Gregorius XVI. 7. iun. 1839).

2. Praesidens qui (vel quae) ab aliquo Sacerdote Directore legitimo eligi seu approbari potest, ut sub

eius auctoritate pluribus praesit zelatoribus, quando undecim saltem zelatores moderatur, indulgentiam tercentum dierum quoties aliquod sui muneris punctum impleverit. (Ibid.)

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita indulgentias in praesenti Summario contentas uti authenticas recognovit proindeque typis imprimi ac publicari posse censuit.

Datum ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 2. februarii 1878.

Al. Card. OREGLIA a S. Stephano Praef.

Loco † sigilli. A. Panici Secretarius.

Concordat cum originali. — Fr. Iosephus M. Sanvito Vic. Generalis Ord. Praed.

NOTANDA:

1) Si morte aut alia quacunque de causa numerus Quindenarum non est completus, sodales nihilominus lucrantur indulgentias Quindenis concessas, modo zelatores infra mensem a die, quo de defectu fuerint edocti, numerum compleant.[1])

2) Si aliqui sodales decadem suam aliquando non persolvunt, hac negligentia ceteri indulgentiis non privantur.[2])

3) Qui sunt sodales et Confraternitatis et Rosarii Viventis duplici suae obligationi non satisfaciunt sola decade quotidiana nec toto Rosario infra hebdomadam

1) „Se per morte, o per qualsivoglia altra causa venga a mancare uno de'quindici associati, quei che restano continuano a lucrare le S. Indulgenze; purchè il zelatore, dentro lo spazio d'un mese, da computarsi dal giorno in cui è stato avvisato, ascriva un'altro socio onde compiere il numero di quindici.“ *Decisione di Roma, 1. Novembre 1835.*

2) „Se taluni degli associati non sono fedeli nell'adempiere ogni giorno a'loro obblighi, questa loro negligenza non impedisce che gli associati esatti nell'adempimento de'medesimi lucrino le S. Indulgenze alle quali hanno diritto.“ *Decisione di Roma, 1. Novembre 1835.*

persoluto; ad indulgentias lucrandas requiritur utrumque, scilicet persolutio decadis quotidianae et totius Psalterii Marianae hebdomadalis.[1])

SYNOPSIS,

qua indulgentiae Rosarii Viventis in uno aspectu ponuntur.

Sodales igitur Rosarii Viventis secundum Summarium sodalitatis lucrari valent has indulgentias:

I.

Indulgentiam plenariam[2]) primo die festo post admissionem, si confessi communicaverint.

II.

Pro recitatione decadis quotidianae:

1) 100 dies indulgentiarum ferialibus diebus;
2) 7 annos et 7 quadragenas diebus Dominicis et festis, etiam amplius non praescriptis, necnon per octavas, quas infra in Kalendario notabimus;
3) 100 dies pro quolibet Pater et quolibet Ave decadis quotidianae, modo Rosarium sit per Patrem Ord. Praed. vel per alium sacerdotem, qui a Rmo Ordinis Magistro Generali facultatem Rosaria benedicendi obtinuerit;
4) indulgentiam plenariam die semel in anno libere

1) Les personnes qui sont, à la fois, de la Confrérie du grand Rosaire et du Rosaire Vivant, peuvent-elles satisfaire aux deux obligations par une même dizaine? Non: pour gagner les indulgences de l'une et de l'autre, il faut dire d'abord le Rosaire tout entier, c'est-à-dire, quinze dizaines, chaque semaine, pour le grand Rosaire; et, en outre, une dizaine tous les jours, pour le Rosaire Vivant. Or, en s'en tenant même à la stricte obligation, et en divisant le Rosaire, comme on en a la liberté, ce n'est, après tout, que trois dizaines à dire chaque jour. Rien n'est donc plus facile, et l'on peut fort aisément le réunir.

2) Indulgentiae omnes plenariae, non vero partiales, huius sodalitatis animabus in Purgatorio detentis applicari possunt.

eligenda lucrandam ab iis, qui per integrum annum decadem quotidianam persolverint, utendo corona *ut n. 3)* benedicta, si confessi et communicati ad mentem Summi Pontificis oraverint.

III.

1) 100 dies indulgentiarum concessae sunt legitimis zelatoribus et zelatricibus, necnon
2) 300 dies praesidentibus, qui saltem undecim Quindenis praesunt, quoties aliquod sui muneris punctum impleverint.

IV.

Reliquae indulgentiae per modum Kalendarii sic ordinari possunt. Singulis diebus nunc indicandis affixae sunt plenariae indulgentiae, quas sodales lucrantur, dummodo has impleant conditiones:

a) debent quotidie decadem suam sedulo sancteque recitare saltem per unum mensem, nisi legitime fuerint impediti;

b) istis diebus confiteri et Sacram Eucharistiam suscipere, necnon

c) iisdem diebus ecclesiam aliquam visitare ibique pias effundere preces. Pro visitatione ecclesiae Confessarius iusta ex causa aliud opus subrogare potest.

Kalendarium Rosarii Viventis.

Ianuario.

1. ian. Circumcisio D. N. I. C.
6. ian. Epiphania Domini.
Dominica tertia mensis.

Februario.

2. febr. Purificatio B. M. V.
Dominica tertia mensis.

Martio.

Compassio B. M. V.
(feria VI. ante Dom. Palm.)
Dominica tertia mensis.
25. mart. Annuntiatio B. M. V.

Aprili.

Festum Paschatis.*)
Dominica tertia mensis.

Maio.

Festum Ascensionis Domini.
Festum Pentecostes.*)
Dominica tertia mensis.

Iunio.

Festum SS. Trinitatis.
Festum Corporis Christi.*)
Dominica tertia mensis.
29. iun. Fest. SS. Apost. Petri et Pauli.

Iulio.

2. iul. Visitatio B. M. V.
16. iul. Comm. B. Virg. de Monte Carmelo.
Dominica tertia mensis.

Augusto.

5. aug. S. Mariae ad Nives.
15. aug. Assumptio B. M. V.*)
Dominica tertia mensis.

Septembri.

8. sept. Nativitas B. M. V.*)
Festum Ss. Nominis Mariae.
Dominica tertia mensis, quae simul est Festum septem dolorum B. M. V.
24. sept. B. Mariae V. de Mercede.

*) Quotidie per Octavam pro recitatione decadis quotidianae 7 anni et 7 quadragenae.

Octobri.

Festum Ss. Rosarii (Dom. I. mensis).
Dominica tertia mensis.

Novembri.

1. nov. Festum Omnium Sanctorum.
Dominica tertia mensis.
21. nov. Praesentatio B. M. V.

Decembri.

8. dec. Immacul. Conceptio B. M. V.*)
Dominica tertia mensis.
25. dec. Nativitas D. N. I. C.*)

DE FESTIS SODALITATIS.

1) *Festum Ss. Rosarii,*

cum sit festum principale sodalitatis, omni cum pompa celebretur. Sodales communiter ad sacram mensam accedant ac sacram Communionem secundum Summi Pontificis intentionem Deo offerant. Item vespere precibus publicis, quae fiant coram Sanctissimo exposito, pie ac devote assistant, ut aliquo saltem modo divinae iustitiae satisfaciant pro irreverentiis et offensionibus, illis praecipue, quae ab ipsis sodalibus committantur.

2) *Festum S. Dominici*
(4. augusti)

celebrari potest per Missam solemnem ac Laudes vespertinas. Sodales cum participes fiant omnium bonorum spiritualium, quae obveniunt tribus S. Dominici Ordinibus, specialem semper foveant devotionem in S. Patrem Dominicum, Institutorem ac primum Propagatorem Ss. Rosarii.

*) Quotidie per Octavam pro recitatione decadis quotidianae 7 anni et 7 quadragenae.

3) *Festum S. Philumenae,*

Virginis et Martyris, (die 11. augusti vel 3. septembris).

Gregorius XVI. S. Philumenam praeclarissimam illam saeculi nostri thaumaturgam, specialem sodalitatis Patronam nuncupavit. Quare sodales se ipsos et sodalitatem Sanctae Philumenae saepe saepiusque commendent eiusque festum, si fieri potest, solemniter peragant.

4) *Ex festis solemnibus*

D. N. Iesu Christi et B. Mariae Virginis ista praecipue a sodalibus speciali cum devotione celebrentur, quae spectant ad sacrosancta Rosarii mysteria.

CONSUETUDINES QUAEDAM COMMUNES.

a) Oblata.

Sodalibus pro mysteriorum distributione congregatis, colligi possunt oblata ad solvendas impensas, quae sunt necessariae. Si quae supersint, impendantur ad emendos pios libros, ad restauranda seu exornanda altaria, vel ad alia pia opera.

b) Devotiones publicae.

Ubi fieri potest, sodales in festis Beatae Mariae Virginis necnon diebus Dominicis tempore opportuno in ecclesiam conveniant, ut ante altare Deiparae in communi recitetur tertia pars Rosarii cum Litaniis Lauretanis. Ante et post cantari potest pium aliquod canticum in honorem Beatae Virginis. Haec praxis, non solum pietati privatorum, sed publicis etiam necessitatibus magnopere consentanea, ubique introducenda est, praesertim cum Sanctissimus Dominus Leo XIII. declaraverit, sibi esse in optatis, ut in Dioeceseon singularum templo principe quotidie, in templis Curialibus

diebus festis et Dominicis singulis Rosarium recitetur.[1]) Invitantur sodales ad exercitium Viae Crucis et Sanctissimi adorationem saepius repetendam.[2])

c) Missae.

Primo die non impedito post festum Ss. Rosarii Anniversarium solemniter celebretur pro sodalibus anno elapso defunctis. Item illico post obitum alicuius ex sodalibus celebrari faciant sodales missam privatam de Requiem, cui sodales saltem eiusdem Quindenae assistant.

In aliquibus locis cantantur Missae tertio quoque mense ad intentionem sodalitatis. Ubi habetur laudabilis ista consuetudo, istae missae primo die non impedito post Beatae Mariae Virginis Purificationem, Annuntiationem, Assumptionem, Nativitatem celebrentur.

Alibi singulis mensibus in prima vel tertia mensis Dominica ad eandem intentionem Missa celebratur et coram sodalibus congregatis sermo habetur.[3])

---

1) Breve de 24. dec. 1883 vide p. 19.

2) „Le grand but du Rosaire Vivant étant de fléchir le Ciel, d'implorer sa miséricorde et ses grâces; pour l'obtenir plus efficacement les pieux fondateurs de cette association ont eu la sainte pensée d'inviter les associés à joindre au devoir principal une pratique bien belle et bien édifiante: c'est de faire, chaque année, une demi-heure d'adoration devant le très-Saint Sacrement, ou le Chemin de la Croix, au nom de toute la société."

3) „A Saint Thomas-d'Aquin, nous avons une réunion tous les mois, au jour et à l'heure convenus entre nous. Elle commence par la sainte Messe, qui se dit pour les zélatrices et pour les associés, principalement pour ceux qui sont présents. La Messe est, ou précédée d'une méditation en commun, ou suivie de quelques mots de piété adressés par le directeur, et de quelques avis selon l'occurrence; et l'on termine par la récitation d'une dizaine de chapelet. Tous les associés peuvent assister à cette réunion, et nous les y exhortons vivement; mais les zélateurs et les zélatrices y sont plus strictement obligés, et, s'ils ne le peuvent pas, nous tenons à ce qu'il y ait au moins une personne de chaque quinzaine, pour entendre les avis et les transmettre aux autres. Sur ce point

d) De funeribus.

Sodalium defunctorum sarcophagis tres florum coronae cum quinis rosis albi, rubri, aurei coloris, ut signa sodalitatis, imponi solent.

e) Organisatio specialis.

Organisationem specialem haec sodalitas habere potest eodem modo, ut supra de Ss. Rosarii Confraternitate explicatum est.*)

Quae de festis sodalitatis et de consuetudinibus diximus, magna ex parte iam a sodalitii exordio observata sunt, quapropter magnam prae se ferunt auctoritatem, quamvis strictam obligationem non inducere videantur.

Ex illis igitur Directores eligant, quae sibi pro locorum diversitate in Domino videantur opportuna.

Accurate ac plene hucusque de Rosario Vivente egimus, quia multis fidelibus placet et multos etiam pietatis fructus procurat. Nihilominus huic tractatui finem imponentes non piget iterum iterumque monere, quod iam ab initio diximus et etiam in decursu tractatus saepius significavimus, istam Rosarii Viventis sodalitatem non esse aliquod institutum per se intentum et completum, sed essentialiter tendere ad restaurandam antiquam Ss. Rosarii Confraternitatem. Iuxta mentem ipsorum fundatorum Rosarium Vivens vicem Confraternitatis suppressae et oblivioni deditae exhibere

encore, chaque directeur particulier réglera ce qui convient le mieux pour les personnes et les localités, et se rapprochera autant que possible du but indiqué."

*) „L'association du Rosaire Vivant, telle qu'elle a été conçue par ses pieux fondateurs, et approuvée par le souverain Pontife, se compose des Directeur, qui doit être un Prêtre, Président ou Présidente, Secrétaire, Trésorier ou Trésorière, Bibliothécaire, Conseillers ou Conseillères, Zélateurs ou Zélatrices, Associés ou Associées."

debebat et simul remedium ad Confraternitatem renovandam, restituendam, obsecundandam, „pour faire revivre, seconder, favoriser les Confréries du Rosaire“.[1]) Id ipsum Supremus Moderator, ut vidimus p. 510, declaravit, imo in ipsis diplomatibus monet, ut Directores „mente teneant, Rosarium Vivens esse tirocinium ad perfectionem Rosarianae devotionis assequendam et aditum ad proprie dictam Confraternitatem uberiore aedificationis fructu atque indulgentiarum thesauro multo locupletiore dotatam.“

Quapropter apparet, temporibus mutatis, sodalitates Rosarii Viventis in Confraternitates esse elevandas, nisi rationes speciales obstent. Directores libenter id contendent, si Confraternitatis tamdiu neglectae praestantiam, dignitatem utilitatemque bene noverint; sodalibus vere haud difficile erit ad Confraternitatem transire. Postquam enim Pius IX.[2]) confratribus Confraternitatis indulsit, ut intra hebdomadam quindecim decades, ad quas tenentur, in plures quam tres partes dividere possint, sodales, si ad Confraternitatem transierint, easdem fere habebunt obligationes quoad recitationem Rosarii, gratias e contra ampliores recipient.

Omnes vero sodales et Confraternitatis et Rosarii Viventis eodem zelo unam eandemque Ss. Rosarii devotionem colere et propagare studeant, omnesque unanimiter collaudent atque exaltent Augustissimam Ss. Rosarii Reginam.

1) Vide not. pp. 502 et seq.
2) S. C. I. d. 22. ianuar. 1858.

APPENDIX.

I. DEVOTIONES QUAEDAM EX ROSARII CONFRATERNITATE NATAE.

II. SUMMARIUM INDULGENTIARUM ROSARIIS ETC. A SUMMO PONTIFICE BENEDICTIS ANNEXARUM.

III. ORDINATIONES PRO SS. ROSARIO EDITAE A CAPITULO GENERALI ORDINIS PRAEDICATORUM MENSE SEPTEMBRI 1885 LOVANII CELEBRATO.

IV. SERIES BULLARUM ETC. IN FAVOREM SS. ROSARII EMANATARUM.

I.

Devotiones quaedam ex Rosarii Confraternitate natae.

A.

DEVOTIO XV. SABBATORUM

in honorem Reginae Ss. Rosarii.

Devotio haec, saeculo septimo decimo Tolosae orta, consistit in eo, quod quindecim Sabbatis continuis SS. Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae recipiantur aliaque fiant pia exercitia ad singula Ss. Rosarii mysteria devotius colenda.

Ordinarie haec Sabbata incipiunt ab ultimo mensis Iunii Sabbato, ita ut immediate ante festum Ss. Rosarii seu primam Dominicam Octobris finiantur; possunt tamen observari omni anni tempore.

Plurimae gratiae, imo miracula attestata in libris, qui de hac devotione tractant, a probatis auctoribus enarrantur.

Indulgentiae huic exercitio concessae variantur secundum diversas Ordinis Provincias, qua de causa lectorem ad manualia remittimus.

B.

DEVOTIO XV. FERIARUM TERTIARUM

in honorem S. Dominici, Rosarii fundatoris.

Initium cepit haec devotio anno 1631 Florentiae, dum urbs ista dira devastabatur pestilentia.

Consistit in similibus exercitiis ac devotio XV. Sabbatorum cum hac distinctione, quod S. Dominicus proponitur et colitur tamquam exemplum, in quo mysteria Christi et B. Mariae Virginis, Ss. Rosario comprehensa, ad vivum quasi expressa liceat intueri.

Feria tertia, qua singulis annis hoc pium exercitium incipi solet, est ea, quae diem 20. aprilis prima insequitur.

De gratiis et indulgentiis huius devotionis eadem valent, quae supra de XV Sabbatis notavimus.

C.

DE MENSE SS. ROSARII SEU OCTOBRIS.

Anno 1863 in Hispania devotio orta est sub titulo: 'Mensis Rosarii seu Octobris', qua in honorem Reginae Ss. Rosarii quotidie per totum mensem Octobrem pia exercitia fiunt eodem modo, quo mensis Maius in honorem Virginis Dei Genitricis celebrari solet.

Triginta tres Episcopi Hispani hanc devotionem iam approbaverant et per suas Dioeceses divulgaverant, cum Pius IX. anno 1868 elargiri dignatus est indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum omnibus fidelibus, quoties huic devotioni interfuerint, plenariam vero in fine eiusdem mensis lucrandam ab iis, qui per totum mensem his exercitiis pie adstiterint et Sacris Sacramentis susceptis ad intentionem Summi Pontificis oraverint.

Concessio haec facta est sequenti Rescripto:

„Instante Fr. Iosepho Maria Moran sacerdote Ordinis Praedicatorum in Hispania, et referente infrascripto Procuratore Generali eiusdem Ordinis, in audientia ab eodem habita, die 28. mensis iulii, anno 1868,

Sanctissimus Dominus noster divina providentia Pius PP. IX., vivae vocis oraculo benigne elargiri dignatus est indulgentiam septem annorum et totidem quadragenarum omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, quoties in honorem Beatissimae Virginis Mariae a Rosario nuncupatae, devote adfuerint pio exercitio, quod dicitur *Mensis Rosarii vel Octobris;* plenariam vero pro una vice tantum in fine mensis dicti, si per totum mensem eidem pio exercitio adfuerint et vere poenitentes et confessi Sacraque Communione refecti per aliquod temporis spatium iuxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint.

In quorum fidem, etc. Datum Romae, in Conventu S. Mariae supra Minervam, die, mense et anno ut supra.

FR. RAYMUNDUS BIANCHI,
Procurator Generalis Ord. Praedicatorum.

„Suprascriptae concessionis exemplar exhibitum fuit in Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum et in eadem asservatur iuxta Decretum eiusdem S. Congreg. diei 14. aprilis 1856.

In quorum fidem, etc. Datum Romae, ex eadem Secretaria, die 18. augusti 1868.

Phil. Can. Cossa, substitutus.

Quae quidem devotio 'Mensis Octobris' cum iam per viginti annos approbante Pio IX. a compluribus Rosarii sodalitatibus passim coleretur, nunc iubente Leone XIII. ab anno 1883 ad totum orbem christianum extensa, maiore cum zelo et uberiore cum fructu frequentatur. Profecto in omnium nostrum memoria est celeberrima illa Encyclica: 'Supremi Apostolatus'*), in

*) Vide supra p. 3.

qua Summus Pontifex, postquam Rosarii devotionem eiusque praesertim communem ac publicam recitationem gravissimis rationibus commendavit, sic concludit:

„Non modo universos Christianos enixe hortamur, ut vel publice vel privatim in sua quisque domo et familia pium hoc Rosarii officium peragere studeant et non intermissa consuetudine usurpent, sed etiam integrum anni labentis Octobrem mensem coelesti Reginae a Rosario sacrum dicatumque esse volumus. — Decernimus itaque et mandamus, ut in orbe catholico universo hoc item anno [1883] solemnia Deiparae a Rosario peculiari religione et cultus splendore celebrentur; utque a prima die proximi octobris ad secundam subsequentis novembris, in omnibus ubique curialibus templis, et si Ordinarii locorum utile atque opportunum iudicaverint, in aliis etiam templis sacrariisve honori Deiparae dedicatis, quinque saltem Rosarii decades adiectis Litaniis Lauretanis religiose recitentur: optamus, ut ad has preces conveniente populo eodem tempore vel Sacrum ad altare fiat, vel Sacramento augusto ad adorandum proposito, Sacrosancta deinceps Hostia pius supplicantium coetus rite lustretur."

Deinde in eadem Encyclica Summus Pontifex has indulgentias elargitur.

1) Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum lucranda singulis vicibus, quibus quis huic exercitio interfuerit et ad mentem Summi Pontificis oraverit. Quae indulgentia acquiritur etiam ab iis, qui legitima causa impediti privatim eidem exercitationi sacrae operam dederint et ad mentem Summi Pontificis oraverint.

2) Indulgentia plenaria iis concessa, qui decies saltem vel publice in templis, vel legitime impediti,

privatim eadem peregerint et confessi Sacram Communionem receperint.

3) Indulgentia plenaria impertita iis, qui vel ipso festo Ss. Rosarii (Dom. I. Octobris) vel quolibet ex octo insequentibus diebus confessi et communicati in aliqua aede sacra ad intentionem Summi Pontificis oraverint.

Quam ordinationem et indulgentiarum concessionem iterum Sanctissimus Dominus renovavit pro anno 1884 his verbis:

„Adventante iam mense octobri, quo mense sacra solemnia Mariae Virginis a Rosario in orbe catholico aguntur, omnia ea, quae praeterito anno praecepimus, hoc anno iterum praecipere statuimus."

Deinde die 20. augusti 1885 eandem ordinationem quotannis, donec pax Ecclesiae et libertas Apostolicae Sedis restituta fuerit, observandam praecepit.

„Sanctitas Sua quaecunque duobus praeteritis annis constituit de mense, quo solemnia celebrantur Beatae Virginis Mariae a Rosario, hoc pariter anno et annis porro sequentibus praecepit et statuit, quoadusque rerum Ecclesiae rerumque publicarum tristissima haec perdurant adiuncta ac de restituta Pontifici Maximo plena libertate Deo referre gratias Ecclesiae datum non sit"

II.

Summarium indulgentiarum[1]), quas Sanctissimus D. N. Leo PP. XIII. impertitur *Christifidelibus, qui retinentes aliquam ex coronis, Rosariis, crucibus, crucifixis, parvis statuis, numismatibus ab eadem Sanctitate Sua benedictis, praescripta pia opera adimpleverint*[2]).

Monita. Ut quis valeat indulgentias lucrari, quas Summus Pontifex Leo XIII. impertitur omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui retinent aliquam ex coronis, Rosariis, crucibus, crucifixis, parvis statuis, ac numismatibus ab eadem Sanctitatae Sua benedictis, requiritur:

1. Ut Christifideles in propria deferant persona aliquod ex enuntiatis objectis.

2. Quod si id minime fiat, requiritur, ut illud in proprio cubiculo, vel alio decenti loco suae habitationis retineant, et coram eo devote praescriptas preces recitent.

3. Excluduntur ab Apostolicae benedictionis concessione imagines typis exaratae, depictae, itemque cruces, crucifixi, parvae statuae et numismata ex stanno, plumbo, aliave ex materia fragili seu consumptibili confecta.

4. Imagines repraesentare debent Sanctos, qui vel iam consueta forma canonizati, vel in Martyrologiis rite probatis descripti fuerint.

---

1) Schneider, Rescripta authentica etc. pag. 345 sqq.

2) Cfr. supra p. 250.

Hisce praehabitis indulgentiae, quae ex Summi Pontificis concessione ab eo acquiri possunt, qui aliquod ex supradictis obiectis retinet, et pia opera, quae ad eas assequendas impleri debent, recensentur.

Quisquis saltem in hebdomada semel recitaverit coronam Dominicam, vel aliquam ex coronis B. V. Mariae, autrosarium, eiusve tertiam partem, aut divinum officium, vel officium parvum eiusdem B. Virginis, aut fidelium defunctorum, aut septem Psalmos poenitentiales, aut graduales, vel consueverit catechesim christianam tradere, aut carceribus detentos vel aegrotos in nosocomiis misericorditer invisere, vel pauperibus opitulari, aut Missae interesse, eamve peragere, si fuerit sacerdos; quisquis haec fecerit vere contritus et peccata sua confessus ad sacram Synaxim accedet, quolibet ex infrascriptis diebus, nempe Nativitatis Dominicae, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, itemque diebus festis SSmae Trinitatis, Corporis Domini, Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis B. V. Mariae, Nativitatis S. Ioannis Baptistae, S. Iosephi Sponsi eiusdem B. Mariae Virginis, SS. Apostolorum Petri et Pauli, Andreae, Iacobi, Ioannis, Thomae, Philippi, Iacobi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Iudae, Mathiae, et Omnium Sanctorum, eodemque die devote Deum exoraverit pro haeresum et schismatum exstirpatione, catholicae fidei incremento, pace et concordia inter principes christianos, aliisque S. Ecclesiae necessitatibus; quolibet dictorum dierum plenariam indulgentiam lucrabitur.

Quisquis vero haec omnia peregerit in aliis festis Domini et B. V. Mariae, quolibet dictorum dierum indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum acquiret: quavis Dominica vel alio anni festo

indulgentiam quinque annorum totidemque quadragenarum lucrabitur: sin autem eadem alio quocunque anni die expleverit, centum dierum indulgentiam acquiret.

Praeterea, quisquis consueverit semel saltem in hebdomada recitare aliquam ex coronis aut rosarium, vel officium parvum B. Mariae Virginis, vel fidelium defunctorum, aut Vesperas, aut Nocturnum saltem cum Laudibus, aut septem Psalmos poenitentiales cum Litaniis adjectisque precibus, quoties id peregerit, centum dierum indulgentiam consequetur.

Quisquis in mortis articulo constitutus animam suam devote Deo commendaverit, atque iuxta instructionem fel. rec. Benedicti XIV. in Constitutione, quae incipit *Pia Mater* sub die 5. aprilis 1747, paratus sit obsequenti animo a Deo mortem opperiri, vere poenitens, confessus et Sacra Communione refectus, et, si id nequiverit, saltem contritus invocaverit corde, si labiis impeditus fuerit, SSmum Nomen Iesu, plenariam indulgentiam assequetur.

Quisquis praemiserit qualemcunque orationem praeparationi Missae vel Sanctae Communionis, aut recitationi divini officii, vel officii parvi B. Mariae Virginis, toties quinquaginta dierum indulgentiam acquiret.

Quisquis in carcere detentos aut aegrotantes in nosocomiis inviserit, iisque opitulatus fuerit, vel in ecclesia christianam catechesim tradiderit, aut domi illam suos filios, propinquos et famulos docuerit, toties biscentum dierum indulgentiam lucrabitur.

Quisquis ad aeris campani signum, mane vel meridie aut vespere solitas preces, nempe *Angelus Domini;* aut eas ignorans recitaverit *Pater noster* et *Ave Maria*, vel pariter sub primam noctis horam

edito pro defunctorum suffragio campanae signo dixerit Psalmum *De profundis*, aut illum nesciens recitaverit *Pater noster* et *Ave Maria*, centum dierum indulgentiam acquiret.

Eandem pariter consequetur indulgentiam, qui feria sexta devote cogitaverit de passione ac morte Domini Nostri Iesu Christi, terque Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam recitaverit.

Is, qui suam examinaverit conscientiam, et quem sincere poenituerit peccatorum suorum cum proposito illa emendandi, devoteque ter recitaverit *Pater* et *Ave Maria* in honorem SSmae Trinitatis, aut in memoriam quinque vulnerum Domini Nostri Iesu Christi quinquies pronuntiaverit *Pater* et *Ave Maria*, centum dierum indulgentiam acquiret.

Quisquis devote pro fidelibus oraverit, qui sunt in transitu vitae, vel saltem pro iis dixerit *Pater noster* et *Ave Maria*, quinquaginta dierum indulgentiam consequetur.

Omnes indulgentiae superius expositae a singulis Christifidelibus vel pro seipsis lucrifieri possunt, vel in animarum purgatorii levamen applicari.

Expresse declarari voluit Summus Pontifex, supradictarum indulgentiarum concessione nullatenus derogari indulgentiis a Praedecessoribus Suis iam concessis pro quibusdam operibus piis superius recensitis: quas quidem indulgentias voluit omnes in suo robore plene manere. Iubet deinde idem Summus Pontifex indulgentias Christifidelibus concessas, qui retinent aliquod ex praedictis obiectis iuxta decretum s. m. Alexandri VII. editum die 6. febr. 1657 non transire ab illis, pro quibus benedicta fuerint, vel illis, quibus ab iis prima

vice fuerint distributa: et si fuerit amissum vel deperditum unum alterumve ex iisdem obiectis, nequire ei subrogari aliud ad libitum, minime obstantibus quibusvis privilegiis et concessionibus in contrarium: nec posse pariter commodari vel precario aliis tradi ad hoc, ut indulgentiam communicent, secus eandem indulgentiam amittent: itemque recensita obiecta benedicta, vix dum pontificiam benedictionem receperint, nequire venundari, iuxta decretum S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis tuendis praepositae editum die 5. iunii 1721.

Praeterea idem Summus Pontifex confirmat decretum s. m. Benedicti XIV. editum die 19. augusti 1752, quo expresse declaratur, vi benedictionis crucifixis, numismatibus etc. uti supra impertitae, non intelligi privilegio gaudere altaria ubi huiusmodi obiecta collocata fuerint, neque pariter Missas, quas sacerdos eadem secum deferens celebraverit.

Insuper vetat, ne qui morientibus adsistunt, benedictionem cum indulgentia plenaria in articulo mortis iisdem impertiantur cum huiusmodi crucifixis, absque peculiari facultate in scriptis obtenta, cum satis provisum fuerit ab eodem Pontifice Benedicto XIV. in praecitata Constitutione *Pia Mater*.

Tandem Sanctitas Sua vult et praecipit, praesentem elenchum indulgentiarum pro maiori fidelium commodo edi typis posse non solum latina lingua vel italica, sed alio quocunque idiomate, ita tamen, ut pro quolibet elencho, qui ubicunque, et quovis idiomate edatur, adsit approbatio S. Congregationis Indulgentiarum.

Non obstantibus quolibet decreto, constitutione,

aut dispositione in contrarium etiamsi speciali mentione dignis.

Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum Sacrisque Reliquiis praepositae die 23. februarii 1878.

A. Card. OREGLIA a. S. Stephano, Praef.
A. Panici, Secret.

III.

Ordinationes pro Sanctissimo Rosario B. V. Mariae

editae a Capitulo Generali Ord. Praed. 1885, Mense Septembri.

I. Solent adinventiones humanae cum temporum decursu imminui, et mox evanescere in nihilum. Ea vero quae ad regnum coelorum pertinere dignoscuntur, fiunt velut granum sinapis, *quod minimum quidem est omnibus seminibus; cum autem creverit, maius est omnibus oleribus et fit arbor, ita ut volucres caeli veniant et habitent in ramis eius* (Matth. XIII). Et haec mirabiliter verificata confitemur in venerabili Beatae Mariae Rosario, quod, ab Ordinis fundatione, S. Patri Dominico eiusque Filiis concreditum, temporibus nostris maiorem in toto orbe christiano diffusionem maximumque suscepit incrementum, ex commendatione et Decretis SS. D. N. Leonis P. XIII., cui totus Ordo noster specialissimam gratitudinem merito profitetur, cum non solum in laudibus S. Thomae Aquinatis, sed etiam in praeconio devotionis SS. Rosarii, omnes praedecessores suos superavisse videatur. Quapropter universos Fratres nostros, praecipue vero Praedicatores, toto corde exhortamur ut, tantam gratiam ad suam et populi christiani utilitatem devote acceptantes, non cessent in

saluberrimis SS. Rosarii meditationibus et precibus occupari, illasque fidelibus ubique terrarum, quantum possunt, commendare. Nec contenti sint antiquam tantummodo Rosarii formam praedicare; sed aliquando praeterea exponant ac diffundant *Rosarium perpetuum*, cum certa quadam capitum hierarchia a SS. D. N. Pio P. IX. approbatum; ac etiam, ubi amplius obtineri non poterit, *Rosarium vivens*, quod ad nostrum Ordinem eiusque directionem seu gubernationem iure postliminii omnino pertinere declaravit S. Sedes.

II. Quia vero temporibus nostris communicationes doctrinae consueverunt fieri non tantum verbo seu viva voce, sed etiam scriptis, quae, per typorum inventionem, hodie parvo pretio et mirabili celeritate ubique diffunduntur, libenter gratulamur pluribus ephemeridibus quae, sub diversis titulis in variis Provinciis, propagationi et commendationi venerabilis Rosarii dicatae sunt. Illorum Directoribus animos addere iuvat et nobis placet, ut illi, de bono in melius proficientes, et *ad priora extendentes seipsos, ad bravium suae vocationis*, feliciter perveniant. Optamus toto corde ut, pro quolibet idiomate quod alicuius sit momenti, in lucem prodeat saltem una ephemeris Rosarii, non sine magno fidelium commodo ac profectu, sed cum adhuc maiori Directorum et cooperantium utilitate, cum Reginae SS. Rosarii bene applicari possit sententia: *Qui elucidant me vitam aeternam habebunt.*

III. Specialiter etiam gratulamur dilectis filiabus nostris Sororibus tertii Ordinis nostri a *Rosario perpetuo*, quae nuper Lovanii monasterium fundaverunt sub iurisdictione Archiepiscopi dioecesani, et quae de die et de nocte, absque ulla interruptione, vicissim recitant Rosarium coram SS. Sacramento et Imagine B. Vir-

ginis, Reginae SS. Rosarii. Illarum instituti scopus iam favorabiliter et amplis verbis laudatus est a SS. D. N. Leone P. XIII. in audientia diei 10. martii 1884, prout constat ex litteris Illmi D. Mercurelli, Secretarii Summi Pontificis pro Brevibus ad Principes. Unde vehementer optamus in Domino, ut alia quaedam monasteria Sororum eiusdem aut similis regulae, ad maiorem Beatae Virginis gloriam, in diversis Ordinis nostri Provinciis, Deo dante, erigantur.

IV.

Series Bullarum, Encyclicarum, Brevium necnon Decretorum ac Decisionum,

quae a Summis Pontificibus sacrisque Romanis Congregationibus[1]) in favorem Ss. Rosarii eiusque Confraternitatis emanata exstant.

N. c.	Nom. Summ. Pontific.	Tituli	de dato	in Bullario O. Praed.[2])
1	Alexander IV.	Splendor paternae	1258 5. maii	Ch. 11
2	idem	Splendor paternae	1258 26. iunii	I. 366
3	idem	Splendor paternae	1259 23. ian.	I. 370
4	idem	De studio[3])	1260 4. maii	Ch. 14
5	Eugenius IV.	Advesperascente	1439 17. aug.	III. 110
6	Calixtus III.	Generis tui	1456 9. octbr.	III. 355
7[4])	Pius II.	Dum levamus	1464 12. iunii	III. 431
8	Sixtus IV.	Pastoris aeterni	1478 30. maii	III. 567
9	idem	Ea, quae	1479 12. maii	III. 576
10	Innocentius VIII.	Viv. voc. oraculum	1484 15. octbr.	IV. 394
11	idem	Sacer Praedicat.	1486 26. iulii	IV. 12

1) Litteras gratiosas iam inde a medio saeculo 13° a Magistris Generalibus Ordinis Praedicatorum et a compluribus Episcopis ad Ss. Rosarii confratres missas, quamvis non ita certas, collegit *P. M. Chéry* Ord. Praed. in opere cui titulus est: *La théologie du Saint Rosaire. Paris. Poussièlgue 1869 tom. II.* quo in volumine etiam Bullae et Constitutiones hic enumerandae maximam partem transcriptae inveniuntur.

2) Citamus quidem magnum Ordinis Bullarium; quae vero ibi non reperiuntur Bullae et Decreta, praesertim recentiora, iuxta praelaudatum *P. Chéry* allegantur sic: *Ch.* (subintellige tom. II pag. . .) Aliquando etiam, praesertim in fine huius elenchi, pro iis Constitutionibus seu Decretis, quorum tenorem in hoc libro transcripsimus, hunc nostrum librum citamus verbo *supra* sc. pag. . .

3) Etiam Innocentium IV. († 1254), Urbanum IV. († 1264), Ioannem XXII. († 1334), Nicolaum V. († 1455), Paulum IV. († 1559), etc. Ss. Rosarii Confraternitatem litteris honorificis — nunc amissis — et gratiis decorasse constat ex dicto Brevi: „De studio" et ex infra sequentibus Calixti III. „Generis tui", Sixti V. „Dum ineffabilia", Benedicti XIII. „Pretiosus" etc.

4) Diplomata 1—7 Ss. Rosario vindicat *Chéry* in op. cit. et in *Hist. génér. du Ros. Paris. Poussièlgue. 1869.*

N. c.	Nom. Summ. Pontific.	Tituli	de dato	in Bullario O. Praed.
12	Innocentius VIII.	Splendor paternae*)	1491 26. febr.	IV. 67
13	Alexander VI.	Illius qui*)	1495 13. iunii	IV. 115
14	Iulius II.	Ineffabilia gloriosae	1503 4. maii	VII. 114
15	Leo X.	Ad sacram	1514 14. sept.	IV. 308
16	idem	Viv. voc. oraculum	1518 22. maii	Ann.O.P.
17	idem	Viv. voc. oraculum	1519 25. ian.	c.218.219
18	idem	Pastoris aeterni	1520 6. octbr.	IV. 392
19	Hadrianus VI.	Illius qui	1523 1. april.	IV. 412
20	Clemens VII.	Considerantes	1524 4. april.	IV. 430
21	idem	Ex Apostolicae	1527 1. iulii	IV. 438
22	idem	Ineffabilia gloriosae	1530 23. mart.	IV. 476
23	idem	Viv. voc. oraculum	1530 27. april.	IV. 474
24	idem	Cum itaque	1530 2. decbr.	IV. 439
25	idem	Etsi temporalium	1534 8. maii	IV. 524
26	Paulus III.	Rationi congruit	1534 3. novb.	IV. 533
27	idem	Romanus Pontifex	1537 20. april.	IV. 557
28	idem	Exponi Nobis	1540 18. mart.	IV. 591
29	idem	Viv. voc. oraculum	1542 3. iunii	IV. 608
30	Iulius III.	Sincerae devotionis	1551 24. aug.	V. 17
31	Pius IV.	Dum praeclara	1561 28. febr.	V. 64
32	idem	Cum sicut	1561 28. febr.	V. 64
33	idem	Unigeniti	1563 25. sept.	V. 93
34	S. Pius V.	Iniunctum nobis	1566 14. iunii	V. 126
35	idem	Inter desiderabilia	1569 29. iunii	V. 214
36	idem	Consueverunt	1569 17. sept.	V. 223
37	idem	Exponi nobis	1570 27. aug.	V. 250
38	idem	Salvatoris	1572 5. mart.	V. 295
39	Gregorius XIII.	Monet Apostolus	1573 1. april.	V. 318
40	idem	Dudum siquidem	1575 1. aug.	V. 335
41	idem	Salutem cunctarum	1576 11. octbr.	V. 345
42	idem	Ad augendam	1577 12. mart.	V. 349
43	idem	Omnium saluti	1577 8. maii	V. 327
44	idem	Exponi nobis	1577 1. octbr.	V. 352
45	idem	Ad augendam	1577 24. octbr.	V. 353
46	idem	Ad augendam	1578 8. novb.	V. 356
47	idem	Cum sicut	1579 3. ian.	V. 356
48	idem	Omnium saluti	1579 19. mart.	V. 328
49	idem	In specula	1579 3. iunii	V. 359
50	idem	Gloriosi Principis	1579 15. iulii	V. 362
51	idem	Omnium saluti	1579 21. iulii	V. 328
52	idem	Omnium saluti	1579 13. aug.	V. 328

*) Vide quae de his Bullis disputavi pag. 346—356.

N. c.	Nom. Summ. Pontific.	Tituli	de dato	in Bullario O. Praed.
53	Gregorius XIII.	Ad augendam	1579 29. aug.	V. 367
54	idem	Desiderantes	1580 22. mart.	V. 397
55	idem	Pastoris aeterni	1582 5. maii	V. 409
56	idem	Omnium saluti	1582 31. iulii	V. 329
57	idem	Omnium saluti	1582 28. aug.	V. 329
58	idem	Omnium saluti	1582 1. sept.	V. 330
59	idem	Omnium saluti	1582 6. novb.	V. 330
60	idem	Omnium saluti	1582 17. decbr.	V. 330
61	idem	Salvatoris et Domini	1583 13. ian.	V. 417
62	idem	Romanus Pontifex	1583 13. ian.	V. 418
63	idem	Omnium saluti	1583 21. febr.	V. 330
64	idem	Omnium saluti	1583 7. iulii	V. 330
65	idem	Cupientes	1583 24. decbr.	V. 426
66	Sixtus V.	Cum sicut	1585 17. novb.	V. 441
67	idem	Dum ineffabilia	1586 30. ian.	V. 444
68	idem	Super gregem	1588 25. octbr.	V. 468
69	Gregorius XIV.	Apostolicae servitutis	1591 25. sept.	V. 480
70	Clemens VIII.	Quaecunque	1592 4. aug.	V. 492
71	idem	Salvatoris	1592 13. ian.	V. 503
72	idem	De salute	1592 18. ian.	V. 504
73	idem	Dum praecelsa	1593 10. april.	V. 505
74	idem	Cum B. Dominicus	1593 22. novb.	V. 511
75	idem	Cum sicut	1594 14. maii	V. 521
76	idem	Cum sicut	1594 14. octbr.	V. 525
77	idem	Decet Romanum	1594 19. decbr.	V. 530
78	idem	Ea sane	1595 18. iulii	V. 532
79	idem	De salute	1595 11. sept.	V. 537
80	idem	Decet Romanum	1597 27. aug.	V. 543
81	sub eodem	Noveritis	1597 13. sept.	V. 544
82	idem	Ineffabilia	1598 12. febr.	V. 548
83	idem	Ineffabilia	1598 12. febr.	V. 549
84	idem	Ineffabilia	1598 12. febr.	V. 549
85	idem	Cum sicut	1599 2. octbr.	V. 559
86	idem	De salute	1601 13. febr.	V. 575
87	idem	Exponi nobis	1601 23. febr.	V. 576
88	sub eodem	Noveritis	1602 23. sept.	VII. 229
89	sub eodem	S. C. Ep. et Reg.	1603 13. maii	Ch. 340
90	idem	Quaecunque	1604 7. decbr.	V. 619
91	Paulus V.	Cum sicut	1606 13. april.	VII. 245
92	idem	Cum certas	1606 3. novb.	V. 645
93	sub eodem	S. C. Indulg.	1607 7. sept.	VII. 250
94	idem	Exponi nobis	1608 14. april.	V. 659
95	idem	Piorum hominum	1608 15. april	V. 660

N. c.	Nom. Summ. Pontific.	Tituli	de dato	in Bullario O. Praed.
96	Paulus V.	Ex pastoralis	1608 28. april.	V. 661
97	idem	Viv. voc. oraculum	1608 18. sept.	V. 669
98	idem	Cum olim	1608 20. sept.	V. 669
99	sub eodem	Pro parte	1614 6. iunii	VII. 254
100	sub eodem	S. C. Ep. et Reg.	1615 21. aug.	VII. 256
101	sub eodem	Pro parte	1620 8. aug.	VII. 260
102	Gregorius XV.	De pastoralis	1621 6. iulii	VI. 1
103	sub eodem	C. S. Rituum	1622 25. iunii	VII. 265
104	sub eodem	C. S. Rituum	1623 6. maii	VII. 454
105	Urbanus VIII.	C. S. Rituum	1628 30. sept.	VII. 456
106	idem	Nuper pro parte	1634 8. maii	VI. 94
107	sub eodem	S. C. Ep. et Reg.	1640 18. maii	VII. 300
108	idem	Exponi nobis	1641 18 sept.	VI. 114
109	sub Innocentio X.	Noveritis	1645 21. novb.	VII. 304
110	Alexander VII.	Ad augendam	1656 1. iunii	VI. 180
111	sub eodem	S. C. Rituum	1658 16. mart.	VI. 188
112	idem	Ad augendam	1658 8. april.	VI. 191
113	sub eodem	C. S. Rituum	1661 9. april.	VII. 315
114	sub eodem	Noveritis	1663 2. sept.	VII. 318
115	idem	In supremo	1664 28. maii	VI. 208
116	idem	Cum sicut	1666 7. octbr.	VI. 222
117	Clemens IX.	Exponi	1668 22. febr.	VI. 234
118	Clemens X.	Ad ea	1671 28. ian.	VI. 272
119	idem	Coelestium	1671 16. febr.	VI. 272
120	sub eodem	C. S. Rituum	1671 16. sept.	VII. 486
121	idem	Ex iniuncto	1671 26. sept.	VI. 300
122	sub eodem	C. S. Rituum	1673 6. maii	VII. 487
123	sub eodem	C. S. Rituum	1674 16. iunii	VII. 487
124	Innocentius XI.	C. S. Rituum	1678 24. octbr.	VII. 491
125	idem	Exponi nobis	1679 15. iunii	VI. 341
126	idem	Ad ea	1679 15. iunii	VI. 342
127	idem	Exponi nobis	1679 16. iunii	VI. 342
128	idem	Nuper pro parte	1679 31. iulii	VI. 344 [1]
129	sub eodem	S. C. Indulg.	1683 17. febr.	VI. 366
130	sub eodem	C. S. Rituum	1683 2. octbr.	VII. 493
131	sub eodem	C. S. Rituum	1684 12. aug.	VII. 494
132	sub eodem	C. S. Rituum	1686 20. iulii	VII. 495
133	idem	Cum sicut	1688 28. ian.	VI. 375
134	Alexander VIII.	Cum sicut	sine dato	VI. 394
135	Innocentius XII.	Exponi nobis	1692 1. mart.	VI. 396
136	idem	Exponi nobis	1697 14. novb.	VI. 423

1) Hoc Breve habes in extenso supra pag. 378.

N. c.	Nom. Summ. Pontific.	Tituli	de dato	in Bullario O. Praed.
137	Clemens XI.	C. S. Rituum	1701 27. aug.	VII. 500
138	sub eodem	C. S. Rituum	1711 21. novb.	VI. 478
139	idem	In supremo	1712 8. mart.	VI. 477
140	idem	Exponi nobis	1713 18. febr.	VI. 492
141	idem	Exponi nobis	1713 25. febr.	VI. 493
142	sub eodem	S. C. Ep. et Reg.	1716 7. aug.	VI. 508 [1]
143	sub eodem	S. C. Rituum	1716 3. octbr.	VI. 508
144	sub eodem	S. C. Rituum	1719 14. febr.	Ch. 364
145	Innocentius XIII.	Ad augendam	1723 3. aug.	VI. 530
146	Benedictus XIII	Exponi nobis	1724 22. sept.	VI. 539
147	sub eodem	S. C. Rituum	1725 26. mart.	VI. 551
148	idem	In supremo	1725 10. april.	VI. 556
149	idem	Cum nos	1725 8. aug.	VI. 568
150	idem	Cum nos	1725 15. sept.	VI. 572
151	sub eodem	S. C. Indulg.	1726 13. april.	VI. 586 [1]
152	idem	Quanta	1726 16. iunii	VI. 594
153	idem	In supremo	1726 16. iunii	VI. 596
154	sub eodem	S. C. Ep. et Reg.	1726 18. iulii	VI. 598
155	sub eodem	S. C. Indulg.	1726 13. aug.	VI. 600
156	sub eodem	C. S. Rituum	1726 27. sept.	VII. 504
157	idem	Pretiosus	1727 26. maii	VI. 615 [1]
158	idem	Exponi nobis	1728 23. febr.	VII. 507
159	Clemens XII.	S. C. Indulg.	1735 25. apr. [2]	Ch. 374
160	Benedictus XIV.	S. C. Indulg.	1747 21. ian.	„ 375
161	sub eodem	S. C. Indulg.	1747 26. aug.	„ 376
162	Clemens XIII.	S. C. Indulg.	1764 27. novb.	„ 378
163	Pius VI.	S. C. Indulg.	1775 20. sept.	„ 380
164	Pius VII.	Ad augendam	1808 16. febr.	„ 323 [1]
165	sub eodem	S. C. Indulg.	1820 1. mart.	„ 380
166	Gregorius XVI.	Benedicentes	1832 27. ian.	„ 327 [1]
167	sub eodem	Decreta S. C. Indulg.	1832 27. mart.	„ 382
168			1839 10. ian.	„ 383
169			1839 30. ian.	„ 384
170			1839 1. iulii	„ 385
171			1841 29. maii	„ 387
172			1842 28. ian.	„ 388
173			1842 14. mart.	„ 389

1) Haec transcripsi pag. 173, 243, 407, 409, 501.

2) Bullarium Ordinis hoc tempore expirat; quapropter Constitutiones Apostolicae exin, praesertim saeculo vertente, pro Ss. Rosario emanatae in unum collectae non habentur.

N. c.	Nom. Summ. Pontific.	Tituli	de dato	Chéry aut Hic supra
174	Gregorius XVI.	Decreta S. C. Indulg.	1842 16. mart.	Ch. 391
175			1842 7. iunii	„ 392
176			1843 7. ian.	„ 393
177	Pius IX.	Expositum est	1859 16. sept.	„ 330
178	idem	Viv. voc. oraculum	1863 8. mart.	„ 416
179	idem	Postquam Deo	1867 12. april.	supra 473
180	idem	Viv. voc. oraculum	1868 18. aug.	„ 538
181	idem	Ad augendam	1869 12. febr.	Ch. 339
182	idem	Egregiis sui	1869 3. decbr.	supra 285
183	idem	Expositum nobis	1871 11. aug.	
184	idem	C'est un fait	1875 8. febr.	„ 287
185	idem	Quod iure haer.	1877 17. aug.	„ 505
186	sub eodem	Decreta S. C. Indulg.	1845 25. sept.	„ 143*)
187			1847 12. iulii	Ch. 394
188			1847 12. iulii	„ 395
189			1848 31. ian.	„ 396
190			1848 25. febr.	„ 397
191			1848 25. febr.	„ 398
192			1851 12. maii	supra 413
193			1852 17. novb.	Ch. 401
194			1853 14. maii	„ 402
195			1853 14. novb.	„ 407
196			1853 17. novb.	„ 408
197			1853 29. decbr.	„ 409
198			1855 12. mart.	„ 410
199			1856 14. april.	„ 411
200			1858 22. ian.	„ 413
201			1858 22. ian.	„ 414
202			1862 18. sept.	supra 416
203			1864 29. febr.	Ch. 417
204			1864 11. april.	supra 122
205			1866 25. ian.	„ 358
206			1869 5. april.	„ 359
207			1877 25. febr.	„ 338*)
208	Leo XIII.	Supremi apostolatus	1883 1. sept.	„ 3
209	idem	Ex iis quae	1883 20. novb.	„ 12
210	sub eodem	Decret. S. R. C.	1883 10. decbr.	„ 15
211	idem	Salutaris ille	1883 24. decbr.	„ 17
212	sub eodem	Decret. S. R. C.	1884 19. iunii	„ 370
213	idem	Superiore anno	1884 30. aug.	„ 21
214	sub eodem	Decret. S. R. C.	1885 20. aug.	„ 291.

*) Confer: *Decret. authent. S. C. I. Ratisb. 1883.* p. 282 et 388.

AUCTOR

cum hoc opus, pro sua erga Reginam Ss. Rosarii devotione, invicta ad mortem usque sollicitudine feliciter ad finem perduxisset, libenter super ipsum quasi caput reclinans

IN DOMINO OBDORMIVIT

die 20 maii 1886

aetatis anno 44, professionis 21, ordinationis 20.

Ipse moriens hoc protulit votum:

„Saluto omnes amicos meos et precor, ut orent pro me.“

REQUIESCAT IN PACE.

Index rerum alphabeticus.

A

Absolutio in articulo mortis 198
Alanus 41, 81 seqq.
  eius effata 333
Alexandri Legati Breve 99
Alexandri VI. Indulgentiae 348
Altare Ss. Rosarii 139 seqq.
Altare privilegiatum 450
Anniversaria Confraternitatis 193
Archiconfraternitas *vide Confrat.*

B

Beghinagium Gandavense 62 seq.
Benedictio Candelarum 197
Benedictio Rosarum 197
Benedictio Imaginum Ss. Ros. 199
Benedictio Rosariorum
  quomodo facienda 180
  formula 195
  quis habeat facultatem 212
  qualia possint benedici 240, 245
Benedicti XIII. Summarium 407 seqq.
Birgittinae Indulgentiae 240 seqq.

C

Candela Confraternitatis 183
Candelarum benedictio 197
Capella Ss. Rosarii 139 seqq.
Cardinalium Litterae 106
Carolus Audax 93
Caroli Emmanuelis IV. Litterae 331
Cathedralis Coloniensis fenestra 109
Communicatio bonorum spirit. 217
Communio Indulgentiarum 344
Communio Privilegiorum 344
Conditiones pro lucr. Indulg. 372
Confraternitas Ss. Rosarii
  eius origo 51 seqq.
  progressus 57 seqq.
  lapsus 72 seqq.
  renovatio 81 seqq.
  ab anno 1475—1800. 102 seqq.
  scopus 116 seqq.
  erectio 121, 147
  statuta 135
  Capella 139
  translatio in novam ecclesiam 144
  sanatio 155
  iura 165 seqq.
  administratio 175
  anniversaria 193
  Rituale 194 seqq.
  organisatio specialis 219
  Consilium 219 seqq.
  Dignitarii 220
  excellentia 309 seqq.
  privilegia 448
  Coloniensis 89 seqq.
Confraternitatum distantia 124
Confratres Ss. Rosarii 211
  eorum obligationes 212
  qualis sit haec obligatio 214
Coppenstein 89, 103
Cornelii a Lapide effata 332
Crucigerorum Rosaria 252 seqq.

D

Devotio XV. Sabbatorum in hon. Ss. Ros. 537
Devotio XV Fer. III in hon. S. P. Dominici 537

Devotio mensis Octobris 538
Dignitarii Confratern. 220
Diploma erectionis Confr. 126
Distantia Confraternitatum 124
Distributio Mysteriorum 519
S. Dominicus
Rosarii Institutor 31 seqq.
Confraternitatis Auctor 51 seqq.
eius Imago 130, 142
eius Festum 191, 530
Dotatio Consororum 227

E

Ecclesiae visitatio pro lucr. Ind. 376
Electio Dignitariorum 223 seqq.
Episcopus
quae pertineant ad eum in erectione Confratern. 132
quaenam habeat iura in Confraternitatem 172
Erectio Confraternitatis
quae sint necessaria 121 seqq.
diploma erectionis 126
modus et forma 147
processus verbalis 151
documentum 159
Excellentia Confratern. 309
Exemptionis iura 173

F

Facultates personales 178
instrumentum *ibid.*
Festum S. P. Dominici 191, 530
Festum Ss. Rosarii 190, 356, 530
eius translatio 370
Flagellantes 75
Fraternitas Mariae 59
Fridericus III. Imperator 92 seqq.

H

Historia Ss. Rosarii 31 seqq.
Humbertus Vener. 57

I

Imago Confrat. Colon. 91
Imago Capellae Ss. Ros. 142 seqq.
Imago S. P. Dominici 130, 142
Imaginum Ss. Ros. benedictio 199
Indulgentiae
pro visitatione Capellae Ss. Rosarii 140
Birgittinae 240
Rosariorum, quando amittantur 247
Summaria 337 seqq. 524, 542
non revocandae 341
earum communio 344
earum duplicatio 351
Toties-Quoties 356
in Hispania concessae 363
pro infirmis, impeditis 365
pro Monialibus et Collegiis 367
earum translatio 369
conditiones 372
Kalendarium pro Confraternitate 431 seqq.
Kalendarium pro Ros. viv. 527 seqq.
Rosario viventi concessae 523
pro Coronis etc. a Summo Pontifice benedictis 250, 542
Innocentii XI. Summarium 378

K

Kalendarium Indulgentiarum
pro Confratern. 431 seqq.
pro Ros. vivente 527 seqq.

L

Leonis X. Breve 101
Leonis XIII. Litterae et effata de SS. Ros. 1—25; 291, 464
Leo XIII. et Rosarium 290 seqq.
Libelli mensuales de Ros. 113 seqq.
Liber Confratern. pro nominibus inscribendis 178 seqq. 201, 209
Lourdense Sanctuarium 286 seqq.

M

Magister generalis Ord. Praed.
erigit Confraternitates 121 seqq.
delegat Provinciales *ibid.*
eius consensus requiritur 122, 161
Mamachi 46 seqq.
Meditatio Mysteriorum
quomodo instituenda 266

an alia Mysteria substitui possint 267
an requiratur specialis mentio Mysteriorum 268
an ista mentio fieri possit 269
ordo Mysteriorum 271
Mensuales libri de Ros. 113 seqq.
Miracula Rosario patrata 329
Missa privilegiata Ss. Ros. 456
Formulare 459
Modus recitandi Ros. 273 seqq.
Moniales
in earum ecclesiis non erigatur Confraternitas 125
Indulgentiae pro Monialibus 367

N

Nomenclatura Confraternitatis Coloniensis 103
Nomina Ss. Rosarii 235
Novesium liberatum 93

O

Octobris, mensis 538
Oratio mentalis in recit. Ros. 261
Ordinarius *vide Episcopus*
Ordo Praedicatorum
eius connexus cum Rosario 67 seqq., 110 seqq.
sodalitates apud Praedicatores 60 seqq.

P

Parochi iura in Confrat. 165 seqq.
Participatio bon. spirit. 448, 523
Pauli Mariae Quarti tractat. 296 seqq.
Perpetuum Rosar. *vide Ros.*
Pestilentia saeculi XIV. 73
Petrus de Vineis 65
Pii VII. Breve 409
Pius IX. et Rosarium 284 seqq.
eius Summarium 416
Praedicatores *vide Ordo*
Preces vocales Ss. Ros. 257
Preces vocales pro lucr. Ind. 376
Priores, quae ad ipsos pertineant in erectione Confraternitatis 138
Privilegia Confrat. 448
Privilegiorum communio 344
Privilegiatum altare 450
Processio Ss. Rosarii 185 seqq.
Processus verbalis erectionis 151
Processus verbalis renovationis 163
Promotor Ss. Rosarii 153, 162, 491
Provinciales Ord. Praed. delegantur ad erectionem Confratern. 121

R

Receptio Sodalium
eius ritus 194
modus 200
puerorum 202
defunctorum; absentium 202—207
Recitatio Ss. Rosarii
qualis requiratur 215
quo loco, quando, pro quibus 216
modus recitationis 273 seqq.
Rectores Confraternitatis
eorum facultates et officia 130, 175 seqq.
eorum vices gerentes 179.
Rituale Confratern. 194
Rosarium
eius historia 31 seqq.
Capella 139
Imago 142
festum 190, 356, 370, 530
nomina 235
Mysteria 261
excellentia 276
Rosarium perpetuum
origo 469
Pii IX. Breve 473
finis 478
forma 485
hora annualis 486
hora mensualis 495
organisatio 487 seqq.
Rosarium vivens
quid sit 499 seqq.
Breve Gregorii XVI. 501
finis 502
nova organisatio 504
Breve Pii IX. 505
Declarationes Mag. Gen. 508

Hierarchia 512
Directores 515
Praesidentes 516
Zelatores et Zelatrices 517
Sodales 518
eorum obligationes 518
distributio Mysteriorum 519
Indulgentiae 523
Kalendarium Indulg. 527 seqq.
consuetudines 531
Rosaria
de novo inventa prohibentur 145 seq.
eorum benedictio 180, 195, 212 seq.
qualia benedicenda 240
ex quali materia 245
quando amittant indulg. 247
a S. Pontifice benedicta 250
Crucigerorum 252

S

Sanatio Confraternitatum erectarum inconsulto Mag. Gen. Ord. Praed. 124
Sanatio Confraternitatis in cautelam 155
Sacrista Confratern. 220
Sancti quomodo coluerint Rosarium 324
Secretarius Confratern. 220
Sectiones Confratern. 223
Sodalitates apud FF. Praed. 60 seqq.
Sprenger, Jacobus 90
Statuta Confratern. 135
Summaria Indulg. 337 seqq. 524, 542
eorum valor 338
Summarium Innocentii XI. 378
Summarium Benedicti XIII. 407
Summarium Pii IX. 416
Summarium Leonis XIII. 542

T

Thesaurarius Confrat. 220
Totiçs-Quoties, Indulg. 356
Translatio Confraternitatis in novam ecclesiam 144
Translatio Indulgentiarum 369
Translatio festi Ss. Rosarii 370
Trithemii elogia de Ss. Ros. 335

V

Victoriae virtute Ss. Ros. reportatae 316 seqq.
Vivens Ros. *vide Rosarium.*

Emendanda.

Pag. 55, lin. 9: pro *Confraternitatem* lege *Confraternitatis.*
„ 56, lin. 16: in loco Leonardi ibi citato, pro *Archiconfraternitas* etc. lege *Sodalitas sub invocatione etc. Virginis instituta.*
„ 60, nota 2: pro *Dilectis* lege *Splendor paternae.*
„ 140, lin. 6: pro *IX* lege *XI.*
„ 150, n° 10, adde: et benedicitur imago. Vid. Rituale VI. pag. 199.
„ 251, post medium: Summarium Indulg., de quo ibi, ad Appendicem remisimus.
„ 291, seqq. in capite paginarum: pro *1883* lege *1885.*
„ 334, in fine paginae: Notae invertendae sunt, et pro *p. 27* lege *p. 236 seqq.*
„ 361, lin. 16: pro *augusti* lege *aprilis.*
„ 368, nota 3: pro *326* lege *362.*
„ 543, lin. 7: pro *autrosarium* lege *aut rosarium.*

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

2071
232.931.9
L23
Leikes, T.M. O.P.
AUTHOR
Rosa Aurea
TITLE
DATE LOANED | BORROWER'S NAME | DATE RETURNED
14/7/43